


A. XXII. Mea

RICHARDI MEAD

COLLEG. MEDICOR. LONDIN. SOCII, REG. SOCIET. SODALIS, ET MEDICI REGII

OPERA MEDICA

FIGVRIS ILLVSTRATA, AC VARIIS MENDIS DILIGENTISSIME EXPVRGATA.

I. De Imperio Solis ac Lunae in Corpora humana, & Morbis inde oriundis. II. De Variolis & Morbillis Liber. III. Rhazis de Variolis ac Morbillis Commentarius ex Arabico Latine redditus. IV. Oratio Anniverſaria Harveiana. V. De Nummis quibusdam a Smyrnaeis in Medicorum honorem percuſſis. VI. De Venenis. VII. De Peſte. VIII. Monita & Praecepta Medica.

QVORVM BINA POSTREMA EX ANGLICO IN LATINVM CONVERSA.

EDITIO NOVISSIMA

AD EDITIONEM LONDINENSEM.



NEAPOLI MDCCLVIII.

Ex Typographia Benedicti Gessari.

SVPERIORVM PERMISSV.

Expenſis Dominici Terres.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

AUCTORIS ADMONITIO AD LECTORES.

POſtquam libellum hunc ante annos plus quam quadraginta a me ſcriptum, & in lucem editum, amicorum quorumdam hortatu iterum publicare in animum induxeram; id mihi negotii dari, ut novam ei impenderem curam, & acceſſionibus quibusdam augerem, plane intellexi. Inter relegendam itaque nonnulla, quae ad mathematica ſpectant, dilucidius expoſui; alia vero, quae in Medicina facienda uſui eſſe poſſunt, pluribus exemplis confirmavi. Quam late autem haec pateant in arte ſalutari, ex variis morborum generibus, quorum progreſſus ac ſtatus diverſos a Solis, Lunaeque periodis pendere oſtendimus, ſatis manifeſto apparebit. Quum fieri igitur poteſt, ut, qui calculis geometricis parum moventur, exemplis tamen adeo numeroſis fidem adhibeant, nolim hic Platonicum illud uſurpare:

ΟΥΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΑΤΩ

Dabam Londini,

ipſis Kal. Jul. A. D.

MDCCXLVI.

PRAE-

PRAEFATIO.

QUum varium ab omni aevo fuerit pro diverſis inter ſe Philoſophorum decretis medicinae ſtudium, mirari ſubiit aliquoties, poſt feliciter jam ante aliquot annos promotam cauſſarum naturalium indagationem, non ea acceſſiſſe ſalutari arti incrementa, quae a rectius inſtituta ratiocinatione ſperare fas erat. Quantum profecerint in rerum cognitione ſapientiae conſulti ab adjunctis diſquiſitioni de natura geometricis rationibus, auctoribus in primis celeberrimis Galileo, Keplero, Torricellio, & Newtono, nemo in his ſacris vel mediocriter verſatus ignorat. At conjecturis tamen adhuc ſcatet medicina, & vix dum ſcientiae nomen meretur. Id num artis ipſius indoli debeatur, quae certa principia reſpuat, an potius medicis vitio vertendum ſit, qui obliquum tramitem inſiſtentes, laboris taedio in rectam viam redire noluerint, alias fortaſſis dabitur diſputandi occaſio. Interim, ut manifeſtum fiat, quantum proſit medentibus tum in cauſſis, tum in remediis morborum inveniendis geometriae ſtudium, difficillimam quaeſtionem, *De quarumdam aegritudinum circuitibus*, explicare inſtitui: quae quidem talis eſt, ut ſola hujus diſciplinae ope inveſtigari queat.

Coactus idcirco ſum in hac diſputatione paullo accuratiores inire numerorum rationes, quam quas requirere videtur res medica. Lectorem igitur *Nevvtoniana* aliquantulum doctum deſidero; aut qui ea ſaltem intelligat, quae ad ſenſum ſummi Philoſophi *De aeſtibus maris in Actis* noſtris *Philoſophicis* luculenter expoſuit vir omnibus bonis litteris erudítiſſimus, Edmondus Hallejus. Negligant autem per me licet, qui nullo mathematicarum diſciplinarum ſtudio tenentur, hanc operis noſtri partem. Nullam ego ex calculis algebraicis gloriolam aucupabor umquam, qui ſentio, quam mihi ſit ad haſce animi exercitationes mediocre nimis ingenium. Et erunt, ut opinor, in his ſchedulis hiſtoriae aliquot & monita, quae etiam illis, qui omnia ratiocinia in arte noſtra contemnunt, ſolam experientiam ducem ſecuti, uſum aliquem in medendo praebeant: qui quidem noſtri omnis qualiſcumque laboris finis eſt.

Late patet iſte, in quo decurrimus, campus; neque uno tantum modo innumeris, inter quos miſeri vitam trahimus, doloribus opitulamur; tum experimentis, tum ratione conſtat medicina; & qui huic minime fidit, eo ſaltem certiori ſpe ſalutem promittit aegrotantibus, quo illis inſtructior ad artem ſe accingat. At utrumque ſane auxilium deſiderat res me-

medica; ut, quibus ſuperſunt exempla, hos non deficiat ſcientia, quae illa variis caſibus accommodare docet.

Quamquam enim ſobriis fortaſſe & frugi hominibus, quales fuiſſe primos mortales accepimus, adverſus infirmae valetudinis incommoda ſatis foret praeſidii in perpaucis remediis, quae caſus oſtenderat, & comprobarat uſus; ſucceſſu tamen temporis, poſtquam corpora vitiarant deſidia & luxuria, alia ſaepe atque alia curatione opus erat; quum quaerere jam neceſſe eſſet, non tantum quid morbum feciſſet, ſed & quaenam ratio communem ipſius naturam atque indolem in hoc aut illo immutaſſet. Hinc *mederi oportere*, dixit Kippocrates, *& communia & propria intuentem* (*a*): quoniam ut recte Celſus, *Inveniuntur in quibus aliter, atque in ceteris idem eveniat; & cauſſae quoque aeſtimatio ſaepe morbum ſolvit* (*b*).

Neque alia ſane de cauſſa medicinae profeſſionem per quingentos fere annos, a Trojano nimirum ad Peloponneſiacum bellum, *in nocte denſiſſima latuiſſe*, ut memoriae prodidit Plinius (*c*), veriſimile videtur; quam quod, quum nova jam non raro inciderent morborum genera, neque pares huic operi eſſe poſſent, qui ſolo uſu medici evaſerant, ſibi vindicarunt ſapientiae cultores artem ſalutarem, quae ſine naturae rerum cognitione trunca & debilis deprehendebatur. Hinc de eodem illo intervallo refert Celſus, habitam eſſe ſapientiae partem medendi ſcientiam, ut & morborum curatio, & rerum naturae contemplatio ſub iiſdem auctoribus nata ſit (*d*).

Et eſt quidem in rem noſtram quam maxime hic indicare, geometras revera inſignes fuiſſe illos Philoſophos, qui prima poſuerunt antiquitus artis noſtrae fundamenta. Excelluit enim inter omnes ſapientiae magiſtros illis temporibus Pythagoras, qui tantam acquiſivit laudem a medicinae peritia, ut circumferret vulgo fama, *peragraſſe ipſum civitates non docendi, ſed medendi cauſſa* (*e*). At eximii ſimul erant hujus viri in mathematicis diſciplinis progreſſus. Id teſtantur duo in primis nobilia ipſius reperta: alterum, *De quadrato lateris in ὀρθογωνίῳ triangulo recto angulo ſubjecti quadratis laterum eumdem continentium aequali*; alterum *De area Parabolae*, quam demonſtraſſe primum ipſum auctor eſt Proclus (*f*). Et ob prius quidem problema hecatomben illum immolaſſe, Apollodori arithmetici auctoritate freti, Athenaeus (*g*) & Diogenes Laertius (*h*) teſtantur. Vtrius tamen cauſſa ſacrificaverit, eodem Apollodori carmine adducto, in dubio relinquit Plutarchus (*i*).

Audivit hunc in Italia ſchola Empedocles, divino ingenio vir, qui abdita na-

(a) Epidem. Libr. I. (b) In praef. (c) Lib. XXIX. in Prooem.
(d) Loco citato Lib. IV. Cap. 17. (e) Ælian. Var. Hiſt. (f) Lib. IV. ad primum Euclid.
(g) Lib. X. pag. 418. (h) In vita Pythag. Lib. VIII. ſegm. 12.
(i) Quod ne vivere jucunde quiſquam poſſit, qui ſectam ſequatur Epicuri.

naturae penetralia rimatus illa praeſtitit in arte noſtra, quae fruſtra quis ab empirica medicina ſperaſſet. Inciderat enim in Agrigentum, natalem urbem, gravis peſtilentia, cujus ille mox cauſſam comperiens, *occluſis montium quorumdam faucibus, per quas ſpirantes inſalubres venti importarant contagionem, avertit malum* (*a*). Pari beneficio & Selinuntios affecit, *quos quum circumjacentis fluvii vitio & putore invaſerat lues, duos ille vicinos amnes in hunc derivari juſſit; quo pacto, concitato flumine, & purgato alveo, dulceſcebant paullatim aquae, & graſſari deſiit peſtis* (*b*). Ideo in primis memoratu dignae ſunt hae hiſtoriae, quoniam nullis cedere remediis contagioſos morbos, ad iram deorum vulgo relatos, credidit antiquitas, in utroque vero caſu auxilium indicavit mechanica ſcientia, & a conſimilibus cauſſis non raro hujuſmodi calamitates inferri innumerae auctorum obſervationes fidem faciunt.

Praeceptorem, ut quidam crediderunt, ipſius, Hippocratis Democritum geometriae pariter, medicinae ſtudium commendavit. Nam inter alia *De Contactu circuli & ſphaerae*, *De geometria*, *De lineis ratione carentibus*; ut etiam *De natura hominis*, *De humoribus*, & *De peſtibus ſcripſiſſe dicitur* (*c*).

Per hos quidem, & horum ſimiles viros increvit haec profeſſio ad Hippocratis uſque tempora, qui, ut Celſus ait, *primus ab ſtudio ſapientiae diſciplinam hanc ſeparavit* (*d*). Is enim, quum vulgi ſuperſtitionem, empiricorum audaciam, & ſimulationem inanemqoe ſophiſtarum oſtentationem artis proceſſibus maxime obſtare deprehenderet; ad illum finem ſcripta ſua referebat, ut hiſce impedimentis & difficultatibus obviam iret. Et religionibus quidem vanis obſiſtere docet in aureolo *De morbo ſacro* libello; ubi multus eſt in patefaciendis illorum hominum fraudibus ac fallaciis, qui pietatis erga deos ſpecie & obtentu inſcitiam ſuam velabant, incantamentis, & luſtrationibus morbos depellere profitentes, quos medicamentis non poterant. In libris *de arte*, *de Decoro*, & *de praeceptionibus*, tam contra iſtos, qui artem eſſe negantes medicinam experimenta tantum ſpectabant, quam eos, qui perverſo more hanc colebant, prolixe & acute diſputat. Et animadvertere quidem lubet, quoniam in partes trahi video a quibuſdam, invitum licet, divinum ſenem, mechanicum ubique ratiocinandi genus in hiſce tractatibus a medicinae parente probari & commendari. *Laudo*, inquit, *ratiocinationem, modo ex iis, qeae ſenſus comprehendunt, aut experimenta oſtendunt, naſcatur; & rite ex his, quae comparent, concluſiones colligat. Quod ſi non legitima inductione procedat, verum ex opinionum commentis proficiſcatur, moleſtias & difficultates graves adfert*

(a) Idem De Curioſitate, & Lib. contra Colote n.
(b) Vide Diog. Laert. Lib. VIII. ſegm 70.
(c) Idem in Vita Democrit. Lib. IX. ſegm. 46. & 47.
(d) In praefatione.

adfert (*a*). Illuſtrantur etiam atque confirmantur haec ab iis, quae *de priſca medicina* diſſerens inculcat ipſe. Poſtquam enim *ſimillimos eſſe pleroſque medicos imperitorum navium gubernatorum*, pronuntiavit, *quorum*, *dum tranquillo mari & ſecundis ventis vehuntur*, *non deprehenditur artis inſcitia*; *at ſi forte gravior caetum contraxerit tempeſtas*, *conſtat mox illorum culpa factum eſſe naufragium*: *cognoſcendas in primis eſſe*, docet, *rerum facultates*, *non fingendo aut excogitando*, *ſed vires*, *quas in corpus noſtrum habent & exercent*, *inveniendo*, *in quo tum humorum affectiones*, *tum partium figuras perpendere oportet*; *quarum nimirum quaedam ex ampliore ſinu in anguſtum apicem coeunt*, *quaedam expaſſae ſunt*, *aliae teretes & cylindraceae*, *aliae denſae*, *aliae denique rarae & laxae*. Haec eſt illa ſapientia, quae cum ſtudio medicinae conjungenda eſt, quaque, ut ait, inſtructus *diis par evadit artifex* (*b*). Sed ego fuſius iſta non exponam. Ex dictis manifeſtum eſt, σοφιςὰς appellare artis magiſtrum iſtos, qui fictis ſuper cauſſis argumentantur; at ἔργῳ ἰητρὺς habere illos, qui ex perſpectis naturae legibus, & cognita corporis animalis fabrica ratiocinantur. Quod in illorum gratiam moneo, qui, quaſi nihil interſit inter commentitias philoſophorum ὑποθέσεις, & certas geometrarum concluſiones utiliſſimam diſciplinam deſpiciunt, & coram indocta plebe irrident. Nae illi craſſa, ne dicam invita Minerva, philoſophiam pariter ac medicinam colunt, non attendentes, quam longe diſcrepent ab illorum opinionibus horum rationes. Qui hypotheſin enim condit, veriſimilia ſequitur, & id in primis agit, ut eventibus & phaenomenis ſolvendis paria ſint & reſpondeant praeſcripta; contra autem mechanica θεωρία ex demonſtrationibus conſtat, quas aut ex corporum figuris colligit geometriam edoctus, aut ex cognitis jam & manifeſto compertis motus legibus neceſſaria inductione pertexit.

Exemplis res fiet illuſtrior. Concinnavit *de corporum gravitate ſuſpiciones & conjecturas* Carteſius, nec quidquam inde in naturae rerum cognitione profecit; at hujus leges, nulla habita cauſſae ratione, geometrice perſecutus magnus noſter Newtonus ipſam mundi fabricam contemplationi noſtrae ſubjecit. *Morborum ſoporiferorum ideam* commentus eſt Williſius, unde diſcimus ſuperfuiſſe auctori verba, defuiſſe naturae illorum ſcientiam; horum vero ipſorum hiſtoriam & ſymptomata ad mechanicas rationes exigens Bellini, cum ad notitiam, tum ad curationem etiam gravium malorum patefecit viam. Sed de his hactenus.

Quum meum autem ſuper opella hac edenda conſilium cum amiciſſimo

(a) Lib. de Praecept.
(b) Lib. de decoro.

mo A. Pitcarnio, ad reipublicae ſalutem & artis incrementum nato medico, per litteras communicaſſem, laudavit ille inſtitutum; & pro ea, qua eſt humanitate, ex theſauro ſuo inſtructiſſimo hiſtorias de quorumdam morborum recurſibus perlibenter mihi ſuppeditavit. Has, non levia libelli noſtri ornamenta, idoneis quaſque locis expoſui, gaviſus viri in hiſce ſtudiis principis teſtimonio ſententiam noſtram confirmaſſe; eoque magis, quoniam aequum erat tam alienis, quam propriis obſervationibus, novae theoriae fidem adferre. Neque id ſane hic tacendum duxi, quod rerum conditoris Opt. Max. ſapientiam haud parum illuſtret noſtra diſſertatio, & ipſius bonitatem miro artificio junctam patefaciat; qui quum omnibus viventibus ſumma cura proſpexerit, hoc bruta inter & ratione praedita animantia fecit diſcrimen, ut quum fruerentur illa communibus naturae beneficiis, nobis ultra liceret horum rationes & uſus explorare, ac Daedalae molis divinum opificium contemplari. Curationem denique memoratorum caſuum ideo perſtrinxi breviter; quoniam, quae mihi in pleriſque morbis notatione maxime digna in dies occurrant, ſi neque animus, neque otium ad ſcribendum deſit, in publicum aliquando emittere conſtitui. Tu interim, lector, his fruere, & vale.

Londini.

A. D. MDCCIV.

DE IMPERIO SOLIS AC LVNAE IN CORPORA HVMANA ET MORBIS inde ORIVNDIS.

CAPVT I.

Quo ſolis, lunaeque curſum pro variis ſuis ſtationibus varie corpora noſtra afficere, motuſque fluidorum turbare, demonſtratur.

MORBORVM complurium acceſſiones & circuitus a lunae viribus pendere ab omni aevo crediderunt antiqui. Immo quoſdam eſſe, qui ſoli aſtrorum potentiae originem ſuam debeant, teſtimoniis ſuis comprobarunt; hiſtoriarum enim morborum, qui per populum granſsantur, primi ſcriptores ſunt toti fere in corporum caeleſtium motibus & viribus enumerandis. Idcirco Theſſalum filium monet Hippocrates, *ut arithmeticae & geometriae operam det* (a); quoniam *multum poſſunt in aegritudinibus ortus & occaſus ſiderum* (b). At vero quum temporis decurſu philoſophorum decretis accommodari coepiſſet medicina, nec tamen ex his ulli compagis animalis cum aſtris conſenſum explicare aggrederentur; neglecta paullatim vera obſervandi norma, non alia caeleſtibus hiſce cauſſis tribuebatur efficientia, quam quae a manifeſta aeris ambientis diſpoſitione peti poſſet; niſi forte excipere velimus quaſdam quaſi varietatis ſcintillas, quas vanis ſuis commentis obſcuratas etiamnum jactat aſtrologorum vulgus.

ITAQVE ut certi aliquid in re perdifficili

A & re-

(a) *Epiſt. ad Theſſalum.* (b) *De aere, aquis, & locis.*

& recondita conſtare poſſit, primum ſolis, lunaeque curſum, praeter mutationes, quas anni tempora & tempeſtates hinc oriundae inducunt, pro variis eorum ſtationibus varie corpora noſtra afficere, & fluidorum turbare motus, oſtendere; deinde, quinam morbi, quaeve in morbis ſymptomata hinc trahant originem, inquirere; quantum denique ad medicinam recte faciendam conferant hujuſmodi ratiocinia, exponere conabimur.

Perpetva eſt auctorum, qui hiſtoriam ventorum conſcripſerunt, obſervatio, ſtatus caeli maxime ventoſos incidere in aequinoctium vernum aut autumnale. Notum eſt etiam pacatum alioquin aera ventorum vi plus minus agitari, plerumque meridie, & media nocte; hoc eſt, ſole ad meridianum caeli faſtigium, aut ſubter caeli ima & meridiano contraria, accedente. Idem pariter contingere liquet, quum intumeſcit maxime maris æſtus; hoc eſt, luna ſummum caeli verticem, aut huic oppoſitum locum, tenente. Servant idcirco haec tempora, quibus agricultura, aut res nautica curae eſt. Novam denique plenamque lunam caeli tempeſtates, plerumque ventis coortis, commutare nemini non compertum eſt. Evolvat, qui de his certior fieri cupit, I. Goad *Aſtrometeorologiam* (*a*). Haec omnia quum rato & perpetuo naturae ordine eveniant, mirum eſt philoſophos nondum illorum rationes accuratius exploraſſe. Quanquam enim veriſſimum ſit variam eſſe admodum, & a cauſſis pendere diverſis ventorum originem; nihilominus tamen conſtans adeo & certus ſtatis temporibus eorum recurſus unam aliquam neceſſario, quae conſtanter & eodem modo agat, habet a natura cauſſam.

Jamdiv compertum eſt aera terram noſtram ambientem eſſe fluidum ſubtile, grave tamen, ſimulque elaſtica virtute praeditum, cujus inferiora a ſuperioribus premuntur; vis autem cujuſque partis undique in orbem aequaliter ſe diffundit. Hinc fit, ut, ſi externa quaelibet cauſſa gravitatem hujus elementi in quovis loco minuat, ea ſimul efficiat, ut ruat confeſtim in eam ſedem ab omni parte circumfuſus aether, uſque dum reſtituatur in toto ambiente aequilibrium; quod in omnibus corporibus fluidis locum obtinere neceſſe eſt. Hujuſmodi quivis impetus ventum faciet, qui nihil eſt aliud, niſi concitatior aeris motus verſus certam aliquam mundi plagam. Inquirendum igitur erit, num ſuppetat generalis quaepiam cauſſa, quae preſſionem aeris enumeratis modo temporibus immutet; haec enim, quaecumque ſit, ventos, & ſiqua alia hinc pendent phaenomena, per certa illa intervalla recurrere faciet.

AEstvs maris reciproci, cum miro, quo fluunt, ordine, tum inſigni, quam animantibus ferunt, utilitate, numquam non invitarunt ad ſui contemplationem illorum ingenia, qui ſtudio naturae tenebantur. At fruſtra tamen tentarunt omnes nobile hoc divini rerum Conditoris artificium, uſque dum altius petita *principia*, & rebus ipſis conſona patefecit orbi magnus noſter Newtonus. Horum demum ope diſcimus a conjunctis, aut ſeparatis ſolis, lunaeque viribus, quarum tamen effecta incertae locorum, aliorumque caſuum rationes augent & minuunt, oriri omnes aeſtuum varietates. Quumque memoratae jam aeris mutationes iiſdem eveniant temporibus, quibus contingunt maris fluxus, ſintque pariter aquae oceani, & ambiens nos aether corpora fluida, iiſdem legibus motus magna ex parte ſubjecta; liquet hic locum habere illud ſummi philoſophi effatum, quo monet effectuum naturalium ejuſdem generis eaſdem aſſignandas eſſe cauſſas, quatenus fieri poteſt (*b*).

Qvodnam inter haec diſcrimen faciat nota illa aeris virtus, qua caret aqua, mox dicam. Sepoſita igitur tantiſper hujus conſideratione, certum eſt, ſicuti intumeſcit mare, ſic bis ſemper vicenis quiniſque horis attolli debere ad inſignem altitudinem nos ambientem aera, attractiones lunae ad meridianum caeli faſtigium accedentis, ita ut pro ſphaerali figura *ſphaeroidem*, quam vocant, adſumat, cujus longiſſima diametros producta per lunam tranſeat; eamdem pariter neceſſario ſequi aetheris intumeſcentiam, quoties ſol ad loci cujuſvis meridianum, aut ſupra, aut infra horizontem pervenit; lunamque hac potentia ſolem ea proportione, quam habent $4\frac{1}{2}$ ad

I. pro-

(a) *Edit. Londini, MDCXC.* (b) *Nevvton. Princip. pag. 387.*

1. proxime, ſuperare. Fit autem intumeſcentia haec maxima, quando luna nova vel plena eſt, a conjunctis nimirum utriuſque aſtri viribus; minima, quando ea dimidia eſt, quatenus nempe, in diverſas partes trahentibus eo tempore ſideribus, ſola virium, quibus alterum alteri praepollet, differentia effectum pariat; mediocris denique, eo tempore, quod inter lunae *quadraturas*, ut appellant, & novam plenamque lunam medium eſt. Perigaeum item & Apogaeum lunae vim hanc auget, vel minuit. Porro diſtantia ſolis a terra minor tempore hiberno, quam aeſtivo, efficit, ut aeſtus aerei maximi, & minimi ſaepius praecedant, quam ſequantur aequinoctium vernum; autumnale vero ſaepius ſequantur. In locis autem, ubi luna ab aequatore declinat, aeſtus fiunt alternis vicibus majores, & minores, ob diurnum telluris circa polos aequatoris motum.

Non alio fundamento nititur tota haec ratiocinatio, quam Newtoni doctrina *De aeſtibus maris* ad aërem utcumque accommodata. Neque ſane difficile erit ex jam dictis intelligere, qua neceſſitate ſtatis iis temporibus recurrant memorata modo ventorum phaenomena. Sequitur igitur ut oſtendam, quantum attollantur Oceani aquae, quibuſque de cauſſis ſuperet harum fluxus lunaris aetheris intumeſcentia; quo clarius, quanti illa momenti ſit ad turbandos machinae animalis motus, percipiatur.

Demonstravit Newtonus vim ſolis ad mare movendum eam habere rationem ad vim gravitatis, quam habet 1. ad 12868200. (*a*) Eſto haec, $G : S :: 1 : n.$ unde $S = \frac{G}{n}$. Vires pariter lunae, quibus attollitur mare, eſſe ad gravitatem in proportione 1. ad 2871400. Sit haec,

$L : G :: 1 : s.$ unde $L = \frac{G}{s}$. Quumque vis Centrifuga partium terrae a diurno motu orta ſit ad vim gravitatis, ut 1. ad 289. Eſto haec,

$C : G :: 1 : e.$ unde $C = \frac{G}{e}$. Hinc

$$S + L : C :: \frac{G}{n} \times \frac{G}{s} : \frac{G}{e} :: \frac{1}{n} + \frac{1}{s} : \frac{1}{e}$$

$$\begin{array}{l} \qquad\quad s\ \ n \\ ::1: =\!=\ = \ ::1:8123. \\ s \qquad + n + \qquad e \end{array}$$

Docuit nos idem philoſophus vim centrifugam ſub aequatore aquas attollere, ultra quam circa polos intumeſcunt ad pedes 85472. (*b*) Unde, quum ea vis, quae eſt ut 8123. elementum hoc ad ped. 85200. intumeſcere faciat, junctae ſolis, lunaeque vires, quae ſunt ut 1. idem ad pedes $10\frac{1}{2}$ attollent, nam $\frac{85472}{8123} = 10\frac{1}{2}$ quam proxime.

Proinde jam notum eſt eo majori impetu ferri, referrique maris aeſtus, quo promptius & facilius virtuti trahenti obſequi poſſunt aquae. At vero quum poſitum ſit, rationes ineunte Edm. Hallejo, ſagaciſſimo Geometra, aeris regionem ad 44. uſque milliaria diffundi, aquarum porro Oceani mediocrem altitudinem eſſe dimidii milliaris; liquet ſpatium a ſphaera aerea occupatum centenis circiter vicibus Oceani molem, etiamſi globus terrae aquis undique operiretur, ſuperare. Hinc major erit in ampliori orbe circumacti liquidi aetheris agitatio. Obſtant praeterea accedenti & recedenti mari, hic ſcopuli, illic vada, & inaequales litorum ſinus. At ſurgentem in altum aera nihil reprimit; cujus ea eſt tenuitas, & prae aqua mira fluiditas, ut minima vi facillime quaquaverſus impellatur & excurrat.

His accedit, quod ea lex in Corporibus, quae attrahuntur, locum obtinet, ut vires attractionis ſint in ratione quadratorum diſtantiarum ſuarum reciproca; unde validius multo erit, ob majorem ejus elementi viciniam, in aera, quam in aquas, ſolis lunaeque imperium. Quid, quod majoris quoque momenti eſt in aethere virtutis elaſticae conſideratio? Cujus haec eſt conditio & natura, ut ſit pro ratione preſſionis, quae ei incumbit; hinc diminuto, quod incumbit, pondere, immane quantum ſe in altum explicabit ſubjectus aer. Verum eſt profecto hanc ita paullatim minui & decreſcere, ut ultra certum a terra terminum ſit momenti nullius; ideo tamen vel levis hujuſmodi mutatio parit hic effectum maximum, quoniam ab illa fit, ut velocius facultatem trahentem ſequatur circumfuſa globo volubilis materia.

(a) *Princip. lib.III. prop.36. & 37.* (b) *Princip. lib.III. prop.37.*

Iſta quidem omnia & ejuſdem generis alia efficiunt, ut ab eadem vi lunari aetheri, quam aquis, longe majores aeſtus inferantur. Neque patitur hujus inſtituti ratio, ut operoſis calculis, quantum ad hanc rem conferant ſingula, & quo momento agant, accurratius exſequar. Ad propoſitum ſatis eſt, cum univerſas eſſe, tum certis intervallis reverti, dictas aereae regionis motiones oſtendiſſe.

Haec quum ita ſe habeant; facile eſt ex aeſtibus maris reciprocantis ſimul aetheris impetum conjectura aſſequi. Ab intumeſcentia ad decem pedes cum dimidio, quanta vi appellant ad litora detumeſcentes aquae, videmus. Turbines itaque ventorum concitet neceſſe eſt altius longe, ultra milliare forſan, levatus aer; niſi forte praeſto ſint aliae, quae his obſtent, cauſſae. Neque ſane dubitare par eſt, quin eodem rerum Opificis Opt. Max. conſilio eveniant hi utriuſque elementi fluxus, refluxuſque; qui motibus his reciprocis tum aquas Oceani ſtagnationis & corruptionis vitiis, quibus animantibus omnibus noxiae evaderent, immunes praeſtat; tum fluidi aetherii purum & ſalubrem ſtatum, ſine quo nulla nobis conſtare poſſent vitae officia, in dies conſervat & recreat. Hujus artificii uſum experimur quotidie; modum vero, quod ſciam, monſtravit hactenus nemo. At non aliud tamen magis ſpectare debebant ii, qui in apricis & apertis locis citiſſime convaleſcere aegritudinibus confectos, in humidis contra & concluſis vel ſaniſſimos facile morbis corripi, obſervarint.

Unum tantum occurrit, quod noſtris hiſce ratiociniis opponi fortaſſis poſſit argumentum. Dicat enim aliquis, ſi haec phaenomena a cauſſis jam memoratis ducant originem, quum ejus ſint naturae, ut aeris pondus imminuant, debere neceſſario, nova praeſertim plenaque luna, argentum vivum in barometro ad certum terminum ſubſidere; quod tamen non ita evenire comperiunt Ephemeridum barometricarum conditores. Idque in primis miratus eſt Ramazzinus, veriſimile ratus, *quod ſicuti in Oceano hiſce temporibus majores aeſtus, quam ceteris diebus lunaris menſis, nautae conſpiciunt, ob dominatum, quem ſupra mare creditur habere lunare ſidus; ita quoque in atmoſphaera notabiliter aliqua alteratio in gravitate apparere debeat. Sed revera*, inquit, *nihil effatu dignum adnotare licuit; nam in noviluniis & pleniluniis cunctorum menſium nullum fere diſcrimen in mercurii altitudine, reſpectu praecedentium & ſubſequentium dierum, compertum eſt; ſicuti neque ſilente luna quicquam memoratu dignum obſervatum* (a).

Ut ergo ſcrupulus iſte eximatur, operae pretium erit veram varie librati in fiſtula Torricelliana hydrargyri cauſſam inveſtigare, quam non ſemper aſſecuti ſunt rerum barometricarum ſcriptores. In primis igitur certum eſt aeris incumbentis preſſione attolli ponderoſum hunc liquorem, vim vero iſtam elementi eſſe pro ratione ipſius gravitatis; quae quum eo major ſit, quo plus aeris erit in cylindro, qui hydrargyro directe impendeat, quicquid molem hanc augeat, aut minuat, elevabit ſimul, aut deprimet ſuſtentatum liquorem. Hinc fit, ut venti maxime hic efficiant variationes, utpote qui diſtrahunt & laxant, aut impellunt & in cumulum quaſi cogunt aetherium hunc cylindrum. Unde inter circulos tropicos, ubi lenis perpetuo verſus eamdem plagam aura ſpirat, obſervante Hallejo, nullae fere in barometro fiunt mutationes (b); in locis vero borealibus inſigniores, quam in auſtralibus contingunt, quoniam in illis frequentiores ſunt ventorum turbines; iiſque temporibus, quae ſunt ventis maxime opportuna, in horas fere mutatur altitudo hydrargyri, uti de aequinoctiis obſervavit Ramazzinus. *Circa haec enim*, ut ait, *inſignes variationes inſpexit, ac praecipue in aequinoctio autumnali, eadem die ad plures lineas modo adſcendente mercurio; qui in Solſtitiis eamdem altitudinem, quam diebus praecedentibus habebat, prorſus ſervavit* (c). Quae quum ita ſint, fieri non poteſt, quantumvis in altum aſſurgat aether, ut ubivis locorum nova, plenaque luna ſubſidat ſemper in barometro hydrargyrum; quum manifeſtum ſit eam eſſe ventorum conditionem, ut, qui hic divellunt & diſſipant, illic cogant & condenſent imminentem terrae aera.

Hiſce ſic expoſitis, non alienum erit ſolutionem ſubjungere difficilis quaeſtionis, de qua magna inter ſummos etiam philoſophos fuit

(a) *Ephimerid. baromet. Mutin. ann.* 1694. *p.* 19. (b) *Act. philoſ. Num.* 181. *pag.* 111. (c) *Lib. citat. pag.* 20.

fuit diſſenſio. Nimirum qui fit, ut quum aqua plus quam octies centenis vicibus aerem gravitate ſuperet, hic tamen aquoſis vaporibus repletus minus ſemper attollat in barometro hydrargyrum; ita ut in tubulo ſubſidentia ejus jam inſtantem pluviam ſignificet? Ratio autem ejus rei ex hiſce, ut opinor, cauſſis praecipue petenda eſt. Aqua omni virtute elaſtica ita caret, ut nulla vi in minorem molem comprimi poſſit; interim tamen calore, qui illam ebullire facit, in partes tam parvas diſpergitur, ut ſpatium occupet quatuor decies millies iſto majus, quod natura habet (*a*). Hic vapor, pluſquam ſexdecies aere noſtro rarior, adeo ſubtilis eſt, ut facile particulis aeris commixtus teneatur; & unitate facta iis adhaereat, non alio modo, quam quo minutiſſimae metallorum partes ſeparatae in acidis quibuſdam liquoribus, qui illas eroſerunt, ſuſtentantur. Notum eſt enim corpora, quo minores in particulas dividuntur, eo majores pro ratione molis ſuperficies acquirere. Ad haec aether, quem ſpiramus, componitur magnam partem ex corpuſculis aqua ponderoſioribus, exhalatis ſcilicet ex varii generis materia, plantarum, mineralium, & animalium, quae in terra naſcuntur. At momenti forſan longe maximi hic eſt ipſa exhalationum e terra in ſublime latarum qualitas, quae ſunt plurimum ſulphureae. Fumos autem e ſulphure ita virtuti aeris elaſticae adverſari, ut illam penitus corrumpant & conficiant, multis experimentis compertum eſt (*b*). Et glebam hanc mineralem omnibus fere corporibus ineſſe docuit magnus Nevvtonus, cujus maxima copia aethera refertum eſſe crebra fulminum, tonitruumque phaenomena aperte demonſtrant. Ex his igitur omnibus, ut minori potentia agat humidus, quam ſiccus aer, efficitur. Poſtquam autem tenuiſſimus iſte vapor aquoſus particularum viribus, quas *attractivas* & *repulſivas* vocant philoſophi, in guttas coire incepit, hae jam, aucta mole, aere graviores pluviae forma decidunt; & aether deinceps, quo ab his purior eſt, eo majori facultate premit, elevatque in tubo barometrico mobilitate ſimul, & pondere praecellentem liquorem.

Sed e diverticulo in viam, & ad ventos, revertendum eſt; qui a variis fontibus, atque adeo inter ſe diverſi, originem ducunt, ut, qui omnes eorum rationes ex una eademque cauſſa ſubducere cogitat, calculum eum fallere neceſſe ſit.

Iis igitur, quae de hac re ſupra ſunt expoſita, accedit conſtans illa fluentis aeris cauſſa, ſolis calor. Ab hoc enim uti generales illos, ſtatoſque ventos, qui in mari zonae torridae, ſive quod inter tropicos jacet, ſpirant, oriri monſtravit Hallejus (*c*); ita ubique terrarum eumdem motiones aetheris varie mutare poſſe certiſſimum eſt. Quin etiam ſcimus turbinibus ſubinde agitari ſupernos caeli tractus, quum interim aer terram proxime ambiens tranquillus eſt & ſerenus. Item plurimis in locis increbeſcentibus ventis ſublimia montium juga intercedunt. Tot tantique prohibent caſus, ne eumdem ubique ordinem ſervent, quae lunarem actionem ſequuntur, in caelo mutationes. Quae autem incertos, nulloque ordine recurrentes ventos concitant, hae ſunt cauſsae praecipuae. Primo, vapores elaſtici vi ignis ſubterranei e terrae viſceribus erumpentes, & in aethere a quibuſcumque cauſſis denſati, id nonnumquam efficiunt. Deinde, effluviorum e variis corporibus concurſus ejuſmodi, ut rarefactiones, fermentationeſque, quales a commixtis quibuſdam chemicis liquoribus vulgo eveniunt, excitet, idem praeſtat. Et talia aliquando incidere phaenomena, docet nos fulminum, meteororumque ratio. Praeterea, montes incendia evomentes, & terrae motus, quae aeris fluxus ad diſſitas uſque regiones propagant, eamdem habent potentiam. Denique, cometarum, aliorumque ſiderum vires, quae ſolis, lunaeque imperium varie turbant, ſimili facultate ſunt praeditae.

Hisce igitur ita oſtenſis, convenit jam demonſtrare, quibus de cauſſis hi aetheris motus, qui, intumeſcente maris aeſtu, nova, plenaque luna, & tempore aequinoctiali contingunt, corporis animalis fabricam immutent. In quam rem haec ſunt tenenda.

Primvm animantia omnia, quo ſpiritum ſuo commodo & ſine labore ducant, aere indigent ad certum modum gravi. Pondere enim ſuo, & vi elaſtica, in inanes pulmonis fiſtulas impellitur ſpirabile fluidum. Quapropter ea, quam diximus, ratione imminuta his

(a) *Vide Deſaguliers Courſe of experimental phyloſophy*, *Vol.II. Lect.X.*

(b) *Vide Hales Statical eſſays*, *Vol.1. pag.230. & 299.*

(c) *Philoſ.Tranſact. Num.* 183.

his temporibus aetheris ambientis gravitate, minor ſolito in thoracem haurietur ipſius portio; quae quum minorum ſit virium ad ſanguinem ſubigendum, illiuſque impetum, quo ad cordis ſiniſtrum ventriculum fluit, promovendum, circulum ſuum conficiet tardius hic liquor: unde parcior erit fluidi, quod in nervos derivatur, ſecretio.

Deinde non gravis ſolum, ſed & virtute elaſtica ad definitum gradum praeditus eſſe debet, qui reſpirationi idoneus ſit aether. Sicuti enim is in aſperam arteriam, dum trahitur ſpiritus, vi ponderis ſui irruit; ita dum redditur, muſculorum pectoris & abdominis ope in extremos hujus fiſtulae ramos pelli ſolet: ubi conceſſa ob exemtam incumbentem preſſionem ſe explicandi libertate, illiduntur quaquaverſus particulae elaſticae in veſicularum latera, & coartatis hoc modo ſanguinis canaliculis, motui magis aptum reddunt vi tale fluidum. Idcirco, quae hanc aeris facultatem immutant, turbabunt ſimul compagis animalis motus cauſſae memoratae. Experiuntur harum conditionum neceſſitatem ii, qui altiſſima montium cacumina aſcendunt, his enim cum inſigni labore & anguſtia ducitur ſpiritus, & tantum non praecluditur, non alia de cauſa, quam quod tenuis ſupra modum & purus illic occurrat aether, hoc eſt, minus, quam par eſt ponderoſus, & elaſticus, & cujus vix ea hauriri queat portio, quae inflando pulmoni ſufficiat.

Postremo incluſam continent liquores omnes in corpore animali auram quamdam elaſticam, quae hanc habet naturam, ut vinculis ſoluta in omnes partes vires ſuas exerceat. Et haec quidem motuum illorum inteſtinorum, quos in ſanguine & ceteris fluidis vitalibus obſervamus, cauſſa eſt. Quorum impetum, dum in canalibus ſuis fluunt, aer corporis ſuperficiem ambiens reprimit. Imminuta igitur hujus preſſione, internus aether, pro ratione dempti de externo elemento ponderis, facultatem habet ſe protinus explicandi. Hinc, fermenteſcentibus humoribus, mutantur particularum minimarum cohaeſiones & nexus, & ultra modum tenſi rumpuntur ſubinde tenuiſſimi canaliculi. Non alia ratione contingit hoc, quam qua animantibus ope antliae pneumaticae aerem ex vitro, quo incluſa ſunt, extrahendo, eliditur ſpiritus. Haec enim primum anhela fiunt; deinde, ſubtracto paullatim aere, intumeſcit corpus; tum collabuntur ita ſub mortem pulmones minutiorum, ut diſſecantis ſenſum fere effugiant (*a*).

Si quis autem curioſior ſcire velit, quanto pondere, & quo preſſionis diſcrimine, in corpus noſtrum agat circumfuſus aer, illi hoc calculo ſatisfiat. Pro certo habendum eſt pondus hoc aeſtimari poſſe ex vi, qua hydrargyrum in barometro ab aere attollitur. Superficies humani corporis molis mediocris eſt pedum quadratorum quindecim, ſive pollicum bis mille centum & ſexaginta. Cubus hydrargyri pollicis magnitudine eſt pondo unciarum octo. Preſſio igitur aeris in ſingulos corporis pollices, pro ratione ponderis hydrargyri in barometro, erit hujuſmodi: Columna quadrata hydrargyri unum pollicem lata in barometro ſurſum ferri poteſt ab aere, quum maxime ponderoſus eſt, ad pollices triginta; quum leviſſimus, ſubſidet ad pollices octo & viginti. Idcirco aer, quum graviſſimus eſt, premet ſingulos pollices ſuperficiei corporis noſtri pondere librarum quindecim & novem unciarum; quum leviſſimus, pondere quatuordecim librarum & unciarum duarum. Hinc Corpus univerſum in aere graviſſimo pondus ſuſtinet librarum circiter 33684. in leviſſimo, librarum 30622. Vnde evenit, ut inter preſſionem diverſis temporibus factam diſcrimen ſit librarum plus minus ter mille. Reſiſtit quidem, & in pondus iſtud nititur, internus aer per corpus noſtrum diſperſus. Fieri tamen nequit, quin magnum ſaepe momentum habeat tam inſignis variatio; ubi forſan vitio aliquo humorum, quibus commixtus tenetur, hic ipſe majori, aut minori virtute pollebit.

Dvo hic, priuſquam ad alia deveniamus, ut moneam, convenit. Vnum eſt, quod effectus cauſſarum jam expoſitarum maxime notabilis in his erit, quorum imbecillum eſt corpus & offenſis obnoxia valetudo. Obſiſtunt enim hiſce influxibus illi, quibus eſt in humoribus impetus major, & firmioribus inſtructa fibris machina. Hinc mala, quae mortalibus inde interdum eveniunt, minime poſſunt ejus eſſe momenti, ut imminuant laudem, quae artificio debetur ſupremi rerum Arbitri, qui has aetheri motus leges poſuit.

(a) *Vide Eſperienze dell'Accad. del Cimento p. m.* 118.

fuit. Optimo ſane Conſilio proſpexit Divinum Numen univerſis animalibus, ita tamen, ut ſingulis nonnumquam, & paucis cederet in detrimentum haec conſtituta ratio. Solis ſitum & diſtantiam a tellure eo modo diſpoſita eſſe quis dubitat, qui rerum univerſitati lucis, caloriſque diffuſione maxime conducat? At nihilo ſecius noxii interdum evadunt nonnullis in regionibus nimii fervores; in aliis tam acris eſt media hieme vis frigoris, ut huic ferendae pares eſſe non poſſint, quibus eſt a natura corpus paullo infirmius; in omnibus denique tempeſtatum viciſſitudines morbos quandoque pariunt. Optime tamen humano generi conſultum eſſe ab omnibus ultro conceditur. Praeterea, ſicuti ſua habent quique allati jam caſus auxilia, ita tanta ſunt fluxibus iſtis aeris oppoſita obſtacula, & tot modis ingruentibus inde damnis occurritur; ut haec nullo loco ſint habenda prae inſignibus illorum commodis, quorum ea eſt conditio, ut omnibus, quotquot alit terrarum orbis, animantibus ſint uſui.

Altervm, quod hic monendum duxi, eſt, quod ſuas quique vires ſortiti ſunt & ceteri Planetae: qui etſi ſolis, lunaeque actionem non aequent, conſpirant tamen variis modis ad horum potentiam in Corpora noſtra augendam, vel minuendam. Et tanti ſane momenti ſunt hujuſmodi concurſus, ut extra dubium ſit his quandoque acceptam referri debere ſubitam illam & occultam morborum vim, quae gentibus univerſis ingruunt. Neque aliud certe eſt Hippocratis θεῖον τι, *divinum quid*(a), cujus in aegritudinibus rationem haberi jubet; quam ambientis terram aeris ſtatus, ab aſtrorum imperio, vel alia quanam inſolita atque incognita cauſſa genitus; uti latius alibi diximus (*b*).

CAPVT II.

Quae morborum genera, eorumque ſymptomata, quae ex cauſſis memoratis ducunt originem, exponuntur.

His ita expoſitis, diſpiciendum jam erit, quas praecipue corporis noſtri actiones laedant periodicae hae liquorum ejus in canalibus ſuis turgeſcentiae. Neque propria tantum obſervatione, ſed ex medicorum etiam libris allatis exemplis noſtra confirmabitur ſententia. Auctoribus enim hujuſmodi hiſtorias referentibus tuto licebit fidem adhibere, quum nullus hic ſit opinionibus, quae corrumpunt plerumque narrationes, locus; & ex caſibus veritas appareat extra philoſophorum tunc temporis ratiocinia poſitis. Et hoc primum mihi ſatis conſtare videtur, lunaris hujus potentiae vim majorem neceſſario eſſe in illum corporis noſtri humorem, qui nervos irrigat, quem *ſpiritus animales* dicimus; quam in ipſum ſanguinem, aut alios quoſcumque vitales liquores. Quum enim is ſit partium tenuiſſimarum, & [ſicut alias monſtravi] (*c*) elaſticarum, virtuti cauſſae cujuſvis externae facilius obtemperabit. Idcirco, ad illos praecipue morbos ſpectabit vis lunae, qui a vitiis ſubtiliſſimi hujus ſpiritus oriuntur.

Ex his autem, ni fallor, nullus *morbo comitiali* magis notabilis eſt; qui quum alias ſit difficilis, tum hoc ipſo mirabilis prorſus medentibus viſus eſt, quod nova imprimis, plenaque luna ſoleat recurrere. *Regit*, inquit Galenus, *luna in epilepticis periodos* (*d*). Hinc dicti ſunt interdum a Graecis ſcriptoribus hoc malo laborantes σεληνιακοί (*e*); in hiſtoria Novi Foederi, σεληνιαζόμενοι (*f*); & ab auctoribus quibuſdam Latinis, lunatici (*g*). Et ipſe quidem memini, quum in noſocomio Divi Thomae medicinam facerem, quo tempore ſaeviebat bellum Gallicum, multos de claſſe noſtra nautas morbo hoc correptos curae meae traditos fuiſſe; quorum plerique tirones erant & novitii, qui aut in pugnae navalis furoribus, aut tempeſtatibus coortis, metu perculſi in hoc malum inciderant. Lunarem vero poteſtatem ita ſentiebant, ut mihi frequentiſſime liceret ex inſtante nova vel plena luna acceſſuum tempora ſatis certo praedicere. Vidit etiam Thomas Bartholinus puellam *epilepticam, habentem in facie maculas, quae pro varia lunae phaſi tam colore, quam magnitudine variae erant. Tantum,*

ait

(a) Prognoſtic. I. (b) *Vide Account of poiſons, Eſſay VI. pag.* 299. Editio tertia.
(c) *Vide Introduction to a mechanical account of poiſons*, edit. tert.
(d) De dieb. critic. Lib. III. (e) Alex. Trallian. Lib. 1. cap. 15.
(f) *Matth. cap. XVII. v.* 15. (g) *Appulejus de virtutibus herbarum cap.* 9. & 65.

ait ille, *corporibus noſtris cum caelo eſt commercium* (a).

PROINDE retulit mihi vir in medicina prope ſingularis, Archibaldus Pitcarnius, ſe virum inviſiſſe triginta annorum, corporis habitus paulo gracilioris, & temperamenti ad melancholicum accedentis; qui ante novem annos, poſt largum ſanguinis e naribus profluvium, queſtus erat de ſubito quaſi humoris alicujus a dextra ad ſummum brachium aſcendentis motu, unde ſenſibus orbatus humi concidit; mox ad ſe rediens torpore tenebatur illius manus adeo gravi, ut nullus conſtaret digitis motus; brachium vero dextrum, ipſo invito, ad quatuor horae minuta vi magna prorſum retrorſum agitabatur, deperdito interea linguae uſu. Recurrebat autem a primo, quo invaſit, tempore hoc malum ſingulis annis certo ordine menſibus Martio, & Septembri, hoc eſt, circa aequinoctium vernum, & autumnale, novaluna. Hiſce autem notabilis erat iſte caſus. Primo, ſaepius de nocte, quam de die, ingruit Paroxyſmus. Secundo, numquam pedes, aut brachium ſiniſtrum, vis morbi occupavit. Tertio, qui jam a prima aegritudinis acceſſione remanſit ſtupor, non abſtulit ſenſus; ambulabat enim, urgente ipſo, aut equo vehebatur aeger. Quarto, diſcurrente adhuc per manum humore, perſtitit motus digitis; quum vero jam brachium tenuerat, amiſſus eſt motus ſimul cum horum ſenſu, deinde dextram Capitis partem invadens violentas peperit brachii motiones, ad tria quatuorque minuta. Quinto, iis anni temporibus, quibus inceſſit morbus, bis aut ter nonnumquam horae ſpatio rediit torpor, interdum ſemel tantum intra biduum, aut triduum. Sexto, deteriorem fecit hanc infirmitatem balnearum calidarum uſus; graviores enim ſolito erant, qui ſubſequebantur paroxyſmi. Poſtremo, labefactata eſt inſigniter memoria circa tempus ingruentis mali.

FEMINAS complures ſibi notas teſtatur vir idem eximius, quae ad lunae motum ſymptomata epileptica patiebantur; praegnantes in primis, & quibus, quum maturius ſolito parere deſierint, defecerunt ante conſuetum tempus profluvia menſtrua. Hae in ſomnis ſaepe, interdum & de die, his paroxyſmis tentabantur. Duas porro ſe curaſſe meminit puellas, quibus motus epilepticos apportabat luna; motus iſtos dico ridiculos, quos *choream Sancti Viti* appellat vulgus. Incerti erant, & ad ſimilitudinem ſaltationis fere compoſiti geſtus; vox etiam, vigente maxime paroxyſmo, ſuppreſſa. Hoc malum laudatis a Clariſſimo Sydenhamo (*b*) medicamentis depellere fruſtra aggreſſi ſunt, qui menſtruos ipſius circuitus non animadvertebant medici.

MIRUM prorſus, & minime vulgarem, deprehendi non ita pridem ipſe in puella hujus aegritudinis cum luna concentum. Erat illa quinque circiter annorum, & adeo graves miſeram torquebant convulſiones, ut conclamatum fere non ſemel jaceret corpus. Remediis tandem aegre ceſſit morbus. At poſt aliquot dies ingruebat denuo plena luna, ſervantibus ſideris ejus periodos ita conſtanter paroxyſmis, ut maris aeſtibus quotidie reſponderent. Suppreſſa ſemper erat vox, & ablati ſenſus, adfluentibus ad litora aquis; refluentibus vero, ad ſe rediit aegra. Animadvertit hoc ipſius pater; habitabat enim ad ripam Tameſis, magiſter navigii onerarii, quocirca fluvii curſus ſedulo ſervare ſolebat. Tam conſtans autem ac ſtatus fuit reciprocantis mali ordo, ut de lecto non ſemel ſurrexerit parens, ad ea quae ſui erant muneris agenda, clamoribus filiae ſenſum, diſcuſſa paroxyſmi vi, recuperantis, e ſomno ſuſcitatus, & de refluxu fluminis certior factus. Manſit per quatuordecim dies haec morbi conditio, ad novam nimirum lunam; quo tempore e ſiccae ſcabiei, quae ab admoto in initio mali (uti mihi ſaepe in hujuſmodi caſibus mos eſt) occipiti emplaſtro epiſpaſtico ſummum verticem obduxerat, avulſa cruſta ſubito profluit copioſe admodum ſeroſus & limpidus humor. Levabat aegram diris cruciatibus haec eruptio; quare id magno ſtudio agebam, ut perſtaret ad longum tempus hoc e capite liquoris effluvium; & impoſitis, quae ſuper creſcentem carnem coërcerent, cataplaſmatibus, res ex voto ſucceſſit. Quum vero taederet tandem hujus curae parentes, inducta eſt ulceri cicatrix; & purgato ter quaterve, ſub novam in primis plenamque lunam, mercurio dulci, & pharmacis conſimilibus corpore, inciſus eſt in brachio ſiniſtro fonticulus, ad praecavendum aliqua ex parte

morbi

(a) *Hiſtor. anatom. Centur.* 11. *Hiſt.* 72.

(b) *In Schedula monitoria*.

morbi recurſum; in occipitio enim, qua ſumma cervicis vertebra cum capite committitur, vulnus infligere (quod e re puellae ſine dubio fuiſſet) per amicos non licuit. Immunis tamen hoc pacto ab omni gravium ſyptomatum acceſſione aegra ſervata firmis viribus adolevit.

Jure fortaſſis quis credat ex cauſſarum ignorantia, de quibus hic agitur, eveniſſe, ut nullae occurrant in immenſis rerum medicarum voluminibus hujuſmodi hiſtoriae; & fore demum, quum harum diligenter habebitur ratio, ut non rara exſtent conſimilis συμπαθείας exempla. Interim minime mirum eſt ex veteribus quoſdam, uti auctore Aretaeo (*a*) diſcimus, hunc morbum ad lunam penitus retuliſſe, opinantes illam hoc mali genus ſceleratis hominibus in flagitiorum poenam immittere, & ſacrum propterea ducentes.

Non autem ab re erit hic monere, illos *maniacorum furores*, qui ad lunae circuitus revertuntur, conjuncta etiam ſecum ferre comitialis morbi ſymptomata; id quod ſe perpetuo comperiſſe mihi non ſemel affirmavit doctiſſimus vir, Eduardus Tyſon, in noſocomio mente captorum Londini medicus, qui idcirco hoc modo aegrotantes *inſanos epilepticos* appellare ſoleret.

Congenerem comitiali morbo *vertiginem* dixit Galenus (*b*); unde *parvam epilepſiam* antiquitus appellatam fuiſſe ſcriptum reliquit Coelius Aurelianus (*c*). Hoc certe huic malo cnm illo convenit, ut utrumque lunares plurimum ſervet periodos, idque teſtantur complures a Pitcarnio notati caſus.

Ad epilepſiam denique referendi ſunt, qui *hyſterici* vulgo audiunt *affectus*; quibus eo felicius medebitur quis, quo horum periodos diligentius animadverterit. Narrat caſum Pitcarnius ſibi notae mulieris juvenis & nuptae, obeſo corpore, crineque rubrae, cui juſto parcius fluxerunt ſemper menſes. Illa jam a quatuor annis queſta fuerat de moleſto compreſſionis in vertice ſenſu, deſcendente ſimul ad humeros uſque gelido humore, cum gravi vertigine & ſtrangulatione faucium; quin etiam acrem pituitam ventriculo evomebat, dolore & anguſtia premebantur praecordia, urgebatque mane de lecto ſurgentem ſpiritus difficultas; recurrebantque haec mala ordine conſtanti nova, plenaque luna.

Morbum recenſet Carolus Piſo in deſcribendis aegritudinum hiſtoriis nulli ſecundus auctor, illuſtris feminae, *cui non ſine ſenſu ſuffocationis circa novam lunam gena ſiniſtra cum colli parte manifeſtum in tumorem tollebatur* (*d*). Et viſam ſibi memorat puellam, *quae toto vare circa plenilunia ſymptomatibus hyſtericis percuſſa fuit tum pertinacibus, ut totam lunae quadram durarent: nam, quum primum diem reciprocis motibus conquateretur, biduum poſt*, ἀναυδία, *ſoporque altus eam detinebant, reliquum quaternarium quiritabatur, nugabatur, ſive leviter delirabat, vigilabatque* (*e*).

Paralyses *periodicas* obſervarunt non raro medici. Oppreſſit virum annis gravem, ut idem refert, cum ingenti laſſitudine ſomnolentia; accedebant reſolutio nervorum, ſtupor, oblivio, & quaedam deſipientia cum febre. *Reducebat has querelas per duos annos nova ſemper luna, miteſcentibus ſenſim ſymptomatibus, & extremis recurſibus umbram dumtaxat ſeu imaginem exhibentibus eorum, quae primis periodis fuerant obſervata* (*f*).

Reciprocantis membrorum tremoris inſigne exemplum ſuggerit nobis Nicolaus Tulpius, animi candore & acri judicio commendatus ſcriptor, qui integrum triennium pallidam & habitus plane pituitoſi virginem exagitavit, non aſſiduo, ſed intermiſſis dumtaxat vicibus, durante qualibet periodo, ad horas ferme duas, cum rauco gutture & voce ſuppreſſa. *Circuituum autem ordo* (ſunt ipſiſſima auctoris verba) *conveniebat manifeſte, modo cum maris, modo cum lunae, modo cum ſolis mota; prout enim horum variaret ratio, pro eo etiam, vel celerius, vel tardius, accedere, & recedere reciprocantis tremoris circuitus* (*g*).

Permagni eſſe momenti lunam ad concitanda illa mulierum profluvia, quibus a

(a) *De diuturn. morb. Lib.* I. *c.* (b) *In Aphor. Hippocr. Comment III. Aph.* 17.
(c) *De morb. chron. Lib.* I. *c.* 2. (d) *De morbis a ſeroſa colluvie, obſ.* 27.
(e) *Obſerv.* 28. (f) *Obſerv.* 16. (g) *Obſerv. med. Lib.* I. *c.* 12.

menſtrius, quas ſervant, *vicibus*, impoſitum eſt nomen, non ex opinione vana, ſed ſedula obſervatione comperta re, affirmarunt veteres. Et recurrerent ſine dubio univerſis feminis eadem certa lege hae purgationes, niſi obſtarent aliae graviores cauſſae; & ſideris hujus viribus intercederent varia ſingularum victus, vitaeque ratio, infinitum temperamentorum diſcrimen, & incerta denique plurimorum caſuum vis, & efficientia. Certum eſt in regionibus propius ad aequatorem ſitis, ubi validiſſimam eſſe lunaem actionem ſuperiori capite oſtenſum eſt, copioſius fluere menſes; in iis contra, quae polis ſunt viciniores, quum ibi ſit debilior, parcius. Id in borealibus in primis obſervavit Hippocrates (*a*), qui & hanc reddit in Scythicis mulieribus ſterilitatis cauſſam.

Haec quum ſit purgaminum muliebrium conditio, minime mirum eſt, ſi & viris quandoque eveniant periodicae *haemorrhagiae*. Sicuti enim (ut brevius rem totam expediam) major pro ratione molis ſanguinis in feminis, quam in viris, copia in cauſſa eſt, quod certis intervallis per peculiares meatus e corporibus earum exeat, iiſque maxime, quibus, imminuta aeris ambientis preſſione, facultatem ſe explicandi habet aura interna; ita & in maribus, iis in primis, quorum imbecillior eſt natura, & infirmius fibrarum robur, ſi quando nimia plethora turgeſcant vaſa, rumpentur ea neceſſario illis potiſſimum temporibus, quibus diſtenſionem eorum minima vi reprimit aether externus.

Invisit me quondam generoſus juvenis, infirmiore corporis fabrica, cetera ſanus, cui per ſeſquiannum redierat nova conſtantur luna ſanguinis ſputum; perſtitit illud ad quatuor ſemper, aut quinque dies, profluvio ſenſim imminuto; quod eo ſingulis recurſibus ſenſit urgere vehementius, quo majorem venarum plenitudinem fecerat victus, vitaeque ratio.

Memorabilis eſt tum morbi, tum eventuum etiam ratione, qui eum comitabantur, Pitcarnii ipſius caſus. Is quum in Scotia haud procul Edinburgo ruri eſſet anno 1687. menſe Februario, caelo ſolito magis ſereno, & rubente ſole, in ipſo lunae coitu ſubitum habuit ſine cauſſa manifeſta ſanguinis e naribus profluvium, quod praeceſſerat gravis inſolitae virium imbecillitatis ſenſus. Poſtridie autem in urbem reverſus comperit in baroſcopio ea ipſa hora, quae nona fuit matutina, altius ſubſediſſe hydrargyrum, quam alias umquam deſcendere aut ipſi, aut amico ſuo Gregorio, cujus in aedibus adſervabatur, viſum fuerat. Mortuum etiam eodem tempore concidiſſe alterum amicum Cockburnium, philoſophiae profeſſorem, ex repentina ſanguinis e pulmone eruptione; & quinque, aut ſex alios familiaritate ſibi conjunctos, qui opem ipſius quavis aegritudine afflicti implorare ſolebant, diverſis humoris profuſionibus tentatos cum magno ſuo dolore intellexit.

Duo nobis in hanc rem exempla ſubminiſtrant *Regiae* noſtrae *Societatis Acta*. Alterum refert medicus celeberrimus Gulielmus Muſgrave, quod eſt hujuſmodi (*b*). Viro cuidam, ab ipſa infantia ad annum uſque aetatis quartum & viceſimum profluxit, plena ſemper luna, ſanguis ex pollice ſiniſtro, primum quidem ad uncias quatuor, poſt annum vero ſextum decimum ad ſemilibram. Quem fluxum quum ille, aduſta ferro candente parte, inhiberet, incidit mox in gravem haemoptoen, ex qua, ſecta ſaepius vena, idoneorum medicamentorum ope difficulter demum & aegre evaſit. Alterius ſumma haec eſt (*c*). Caupo quidam Hibernus, ab anno aetatis quadrageſimo tertio uſque ad quinquageſimum quintum, effuſionem ſanguinis ex indice digito manus dextrae, ſingulis fere menſibus recurrentem, ad libras circiter quatuor habuit; quae ſi quando arte reſtringeretur, urebat brachium acerrimus dolor. Minus quidem cum lunae motu congruebant hujus, quam illius mali circuitus, ob enormiorem fortaſſis vitae modum, & detrimentum, quod aegri ſanitati attulit immodica emiſſi humoris copia. Hoc ipſo tamen memoria in primis digna eſt iſta narratio, quod feſto Paſchatis, hoc eſt, proximo poſt aequinoctium vernum plenilunio, profluxit primo ſanguis, quod anni tempus hujuſmodi morbis maxime opportunum eſſe ex dictis ſupra manifeſtum eſt.

Istud

(a) *De aere, locis, & aquis.* (b) *Philoſoph. tranſact. Num.* 277.
(c) *Num.* 171.

Istvd porro hic perpendere oportet, quod ſellae ſuae ſtaticae experimentis Sanctorius, princeps hujus diſciplinae auctor, edoctus comperit. Dicit enim is, *corpora virorum ſana, & moderatiſſimo victu utentia, ſingulis menſibus fieri ſolito ponderoſiora, unius ſcilicet duarumque librarum pondere; & redire ad conſuetum pondus circa finem menſis, ad inſtar mulierum; ſed facta criſi per urinam paullo copioſiorem, vel turbidiorem* (a). Quapropter fiet ex ea re neceſſario, ut iis valetudinis vitiis menſtruis intervallis obnoxius quiſque ſit, quae a repletione ducunt originem; tum, ut illis temporibus inſtet in primis ab his periculum, quibus leviſſimo pondere diſtenta vaſa repellit ambiens aether; denique, ut, quum parium fere ſint virium nova, plenaque luna, in hanc, aut illam incidant haec morborum genera, prout opportunius eſt alterutri attractioni corpus, & congruit magis cum hac, aut illa ſideris periodo humorum plethora.

Cvm frequens, tum difficilis eſt ille mulierum morbus, quem *fluorem album* appellant medici. Et hunc quidem per quatuor annos nova ſingulis menſibus luna recurrentem, perſtante ſemper octiduum profluvio, obſervavit Pitcarnius.

Incerta eſt fere, & variis ſubjecta caſibus, *ulcerum* conditio; habent tamen & haec aliquoties certa lege ſuos humoris aeſtus. Eruditum juvenem memorat G. Baglivi, ingenii minime vulgaris vir, *cui, quum laboraret fiſtula ſtercoracea in inteſtino colo prope jecoris regionem, creſcente luna ingens ſtercorum, humorum copia ex ulcere prodibat, quae paullatim eadem decreſcente minuebatur; cujus rei ita certam habebat experientiam aegrotus, ut de lunae quadraturis, & periodis ſola humoris per fiſtulam excreti obſervatione rite judicaret* (b). In memoriam autem mihi revocat haec narratio adoleſcentis cujuſdam infortunium, qui a venereo cum impura muliere coitu ſenſit primum in dorſo dolorem, in femoribus vero gravitatem cum imbecillitate ad motum per quatriduum. Natum inde eſt in ipſa colis glande ulcuſculum, e quo profluxit pus mali odoris. Intra ſeptimum diem deſiit ſponte ſua ille fluxus; at nova luna revertebatur denuo, perſtante per menſes aliquot hac mali conditione, uſque dum idonea adhiberentur remedia, quibus tandem penitus ceſſit.

Renvm *dolores* per lunaria intervalla reciprocantes animadvertet non raro, quiſque aequam horum habuerit rationem. Morbum deſcripſit N. Tulpius *Henrici Ainſvvorthi, theologi Britanni, apud Amſtelodamenſes, cui ſupprimebatur urina, quolibet ferme plenilunio, cum inſigni anguſtia, & evidenti totius corporis incendio, ad diem quartum. Neque excernebatur illa iterum, niſi vel declinante luna, vel ſecta brachii vena* (c). *Et periodicum capillorum mictum, quolibet decimo quarto die revertentem, cum inſigni urinae difficultate, & tanta perturbati corporis inquietudine, ut vix in cubili ſe contineret aeger*, ſimul ſe vidiſſe retulit (d).

Casvm hiſce fere contrarium memorat Thomas Bartholinus, qui cum ceteris medicis Hafnienſibus convocatus erat ad Bullichium, urbis tunc temporis praeſidem. *Laboraverat*, inquit, *ſuperioribus* annis diabete ſpuria, ſingulis menſibus recurrente, cum dolore poſt nephriticos cruciatus, quodque mirati ſumus, inſtante plenilunio, duodecim menſuras aquae, ſeu viginti quatuor libras, minxit, quamquam vix tertiam partem unius menſurae biberit (e).

Inspexi nuper ſectum pueri quinquennis cadaver, cui mortem accelerarant graves nephritidis cum vomitu, & alvi fluxu acceſſiones. Oppleti ſunt tum renes, tum ureteres, materia calculoſa, quam varias hic illic cernere erat formas concretionis induiſſe. Primum mali fundamentum erat aqueus & limpidus humor, qui paullatim lacteſcens in tenues & ramoſas cryſtallos abiit, quibus in unum coeuntibus acceſſit tandem lapides durities. Affirmavit mihi Groeneveltius, harum rerum apprime gnarus medicus, qui confectum his aerumnis miſellum ſaepius inviſerat, comperiſſe ſe plenam per aliquot menſes lunam attuliſſe ſemper diros aegro cruciatus, quos elapſus plerumque per iter urinae unus, aut alter lapillus levabat.

Et quoniam in renum mentionem incidi, libet

(a) *Medicin. ſtatic. Sect.* 1. *Aphor.* 65.
(b) *De Experiment. circa ſanguinem, p. m.* 242.
(c) *Obſerv. med. Lib.* 11. *cap.* 43.
(d) *Ibid. cap.* 52.
(e) *Acta med. & philoſoph. Hafnienſ. V.* 1. *Obſ.* 5.

libet infortunium referre adoleſcentulae cujuſdam mihi notae. Erat illa annorum quatuordecim, vultu ſalis venuſto; a pueritia vero id incommodi paſſa fuerat, ut die ſemper uno, aut altero, ante plenam lunam, pallida fieret, & demiſſis viribus melancholica, ſponteque ſua in ſomnis urina proflueret larga copia. Perſtitit autem fluxus ſingulis noctibus ad quinque aut ſex dies, quibus tranſactis, redibat iterum faciei rubicundus color, & conſueta animi alacritas. Nihil hic valebant medicamenta omnia, quae vi fibras aſtringendi pollere ſolent, uſque dum, factis rite biduo, aut triduo ante acceſſionem aegritudinis exinanitionibus, virtuti lunari occurreretur.

Menstrvos ſaepe habere recurſus *ſpiritus difficultates* experientia didicit vir ſubtilis ingenii Helmontius. *Exacerbatur*, inquit, *aſthmatis paroxyſmus lunae ſtationibus*, & *aevis tempeſtatibus*, *quas ideo praeſentis*, & *praeſagit* (*a*). Confirmat hoc ipſum Ioannes Floyerus, eques eruditus, qui in deſcribenda hujus morbi hiſtoria ceteris omnibus palmam praeripuit. Deprehendit autem ille, *quatuordecim dierum intervallo reverti plerumque has anxietates*, & *lunae circuitibus conſentire* (*b*).

Insolitvm & rarum lunaris facultatis effectum memoriae prodidit, doctrina ſtudioque pariter laudandus, Kerchringius. Nota ipſi erat matrona quaedam Galla, *quae tempore plenilunii facie praedita erat rotunda*, & *ſane quam formoſa*; *ſed*, *decreſcente luna*, *oculi*, *naſus*, & *os in unam partem vertebantur*, *ita ut deformis admodum in publicum prodire non ſuſtineret; donec*, *creſcente iterum ſidere*, *rediret* & *ipſa paullatim ad ſuum plenilunium*, & *formas ſuae venuſtatem* (*c*). Hoc ſi cui mirum videtur, referenti auctori fidem faciant comperta vulgo in conchylis, & multis animantium generibus, conſimilis virtutis exempla. Nam, ut cecinit olim Lucilius, ſapiens poeta:

Luna alit oſtrea, & *implet echinos*,
muribu' fibras,
Et pecui addit (*d*):

Et poſt hunc Manilius:

Sic ſubmerſa fretis, *concharum* & *carcere clauſa*,
Ad lunae motum variant animalia corpus (*e*).

Mvltis impedita difficultatibus, & arduae diſquiſitionis eſt de *Criſibus in morbis acutis* doctrina; itaque operae pretium erit, numquid ad hanc explicandam conferat noſtra diſputatio, paullo diligentius inveſtigare. Magnum habere momentum ad medicinam recte faciendam dierum criticorum conſiderationem putarunt ſemper veteres, & ad horum rationem diſtinxerunt febrium tempora. Obſoletum vero jam eſt hoc ſtudium, & irridet, aut ſupervacaneam ducit medicorum vulgis omnem de hiſce quaeſtionem; idque duabus potiſſimum de cauſſis, quantum ego conjectare poſſum.

Primvm enim in orientalibus & calidis mundi plagis primae, quae hanc artem effecerunt, habebantur obſervationes, quae quum in borealibus & frigidioribus regionibus ad uſum reducerentur, nulla habita locorum diſcriminis ratione, fefellerunt non raro medicorum opinionem, nec ad ſpem reſpondit eventus. Deinde ex paucis remediis conſtabat antiquitus medicina, neque aliam febribus adhibere curam moris erat, quam quae tenui victu vim, & ferociam morbi aliquatenus reprimeret. Naturae enim miniſtros ſe praebebant medici, & hanc ſequentes ducem ad varios humorum in corpore motus animum advertebant ſedulo. Poſtquam vero in diverſas curandi vias proceſſerunt hujus, atque illius ſapientiae profeſſoris aemuli, & ex opinionibus magis, quam natis experientia monitis, res agi coepit, nullus relinquebatur iis praeceptis locus, quae a priſca medendi ratione pendebant; quum non uno modo torquerentur jam aegri, & incertum ſaepe eſſet, quinam ab ipſo morbo ducerent originem dolores, quoſve afferrent ingeſta perverſo more pharmaca.

Qvo certius itaque conſtet, quibus praecipue innixa ſit fundamentis haec antiquorum diſciplina, & ad quam normam exigere obſervationes ſuas debeat, quiſquis eorum hac in parte ſtudium aemulari exoptat, pau-

ca

(a) *Aſthm.* & *Tuſſ.* §.22.
(b) *Treatiſe of the Aſthm. pag.* 17.
(c) *Obſervationes Anatom.* 92.
(d) *Apud Aulum Gellium Lib. XX. cap.* 8.
(e) *Aſtronom. Lib. II. v.* 93.

ea quaedam in medium proferenda ſunt, poſtquam nonnulla, quae ad hanc rem faciant, ſim praefatus.

Febres igitur *epidemicas* vitio ambientis nos aeris oriri certiſſimum eſt; ideoque conſentaneum videtur, ut ſingulis ſuis temporibus a virtute lunari, quae hunc afficit, illae mutationes ſubire poſſint. Rem hanc illuſtrabunt maxime, quae ſcripſit is, quem ſupra laudavi, *Ramazzinus* in commentariis ſuis lectu digniſſimis, *de conſtitutionibus annorum MDCXCII. MDCXCIII. & MDCXCIV. in civitate & agro Mutinenſi*, Mutinae editis. Tribus illis annis continuis ſaeviebat illic febris valde peſtifera, ex illarum ſcilicet genere, in quibus cutis maculis purpureis interſtinguitur. *Obſervatione vero*, inquit, *dignum fuit, quod poſt plenilunium, ac multo magis ſilenti luna, ferociebat haec febris, quae poſtea ad novum ejuſdem lumen miteſcebat; nec mea tantum, ſed aliorum quoque profeſſorum conſtans fuit obſervatio, quod non parum contulit ad hujus febris prognoſin & curationem.*

Exactissimum autem fieri lunae coitum, quum ſol deficit, perfectiſſimam vero oppoſitionem in lunae defectu, notiſſimum eſt; idcirco minime mirum erat, quod eidem ſcriptori ita videbatur, cujus ſequentia ſunt verba: *Admirandum certe fuit, quod die 21. Januarii MDCXCIII. contigit. Facta enim per noctem lunari eclipſi, major pars aegrotantium obiit, & eadem hora, qua nimirum luna laborabat; quin & nonnulli repentina morte occubuere.* Appoſitiſſima etiam ad hanc rem eſt narratio quaedam doctiſſimi Bellonii, qui *conveniſſe*, ait, *medicos aliquot Pariſienſes, ut de ſalute illuſtris cujuſdam feminae deliberarent. Dum conſulitur, inſtabat ſolis defectus; abeunt ab aegra, ut coelum contemplentur, nihil tunc imminentis mali praevidentes, imo ne ſuſpicantes quidem; illico vero ad illam revocantur, eo ipſo temporis puncto, quo defecit ſol, anima deficientem. Et mirabantur omnes eam non ante ad ſe rediiſſe, quam aſtro redierat luminis ſui ſplendor* (*a*).

Nullus dubitat, quin ſi ea, quae de vi lunari dicta ſunt, medicis eſſent cognita, longe plura in hiſtoriis morborum epidemicorum hujuſmodi exempla occurrerent, quam hodie invenimus. Unum, quod viri, cui contigit, dignitas magis notabile facit, commemorabo. Is erat Franciſcus Baconus, baro Verolaminenſis, qui ingenio & induſtria admirabilis, primus apud nos ad ſapientiae ſtudium rectam viam aperuit. Huic autem tanto viro una cum egregiis mentis dotibus illam valetudinis infirmitatem tribuit natura, ut quoties luna deficeret, animi deliquium ſemper pateretur; quum ipſe de tam ſubitae virium privationis cauſſa nihil praeſciviſſet, aut quidem cogitaſſet, neque umquam ad ſe rediret, donec ſideri lumen ſuum eſſet redditum (*b*).

In eclipſi autem illa memorabili, qua anno MDCCXV. die Aprilis 22. ſol tribus ſexageſimis horae partibus, harumque viginti tribus ſexageſimis, totus hic Londini obſcurabatur, multos variis morbis oppreſſos ſe pejus habuiſſe compertum fuit; quod quum vulgo mirum videbatur, cauſſam aperire mihi facile erat. Mane enim in ſpeculam Regiae Societatis cum Hallejo, & aliis quibuſdam Aſtronomis aſcendens, ut ea, quae tam in coelo, quam in aethere noſtro fierent, proſpectarem, auroram luciddiſſimam, coelumque maxime ſerenum eſſe percepi. Poſtquam autem luna ſolis lumen nobis omnino eripuerat; dies de repente in noctem mutata eſt; frigusque inſolitum & humidum, quod horrorem incutiebat, tenebras adportaſſe ſentiebamus omnes; quin & naturae vultu quaſi maerore ac triſtitia obducto territae circumvolitabant volucres, & in campis patentibus attonita ſtabant armenta, & pecora. At verbis deſcribi nequit, quanto gaudio perfuſa apparerent omnia, quum ſubito & tamquam ex inſperato ſol, tenebris victoribus ſuis radiis depulſis, nitido fulgore diem reddebat. Concurrit non ſine clamoribus & plauſu in vicos populus, ſibi gratulans reviviſcentem mundnm, qui modo interiturus videbatur. Mihique ſane numquam antea licuit, neque poſthac, ut opinor, licebit umquam, ſpectaculo tam jucundo oculos ſimul ac mentem oblectare.

Ut ad febres autem redeam, repentinas ejuſmodi in aere mutationes, quae corpora etiam ſanorum afficiunt, infirmis, & acuto morbo

(a) *Epidem. Lib. pag.* 48.

(b) *Vide Ra vvley's Life of the R.H. Francis Bacon, lord Verulam, &c.*

morbo jam laborantibus, pro certo nocere res eſt maniſeſtiſſima. De iis igitur ſat dictum ſit, ſi adjecero tantum *peſtem*, quae omnium eſt diriſſima, virtutem hanc lunarem ſentire etiam deprehendi. Experientiſſimus ſane auctor, Diemerbroeckius, qui morbi hujus anno MDCXXXVI. Noviomagi graſſantis indolem & progreſſus diligentiſſime deſcripſit, *circa novam plenamque lunam exacerbatam ſemper fuiſſe luem, eoque tempore & plurimos morbo correptos fuiſſe, illoſque fere omnes occubuiſſe*, obſervavit (*a*) plura his adjici poſſent; ſed quum in re ſatis aperta nihil opus eſſe videatur, quae de criſibus adhuc dicenda reſtant, jam peragam.

Primo igitur habent morbi omnes ἐπιδήμιοι, ſive qui in populum ſaeviunt, ſua quique certo ordine diſtributa tempora, quibus increſcunt, conſiſtunt, & ad ſanitatem inclinant. Conſtantes adeo, & perpetuae ſunt horum leges, ut quoties a caeli ſtatu oriuntur febres; quarum acceſſiones in pleriſque ſine intermiſſionibus urgent, ſi modo contingat has quavis de cauſſa in aliis per circuitus redire, penſentur ſemper paroxiſmorum numero ceſſantis morbi intervalla, ita ut parem menſura aegritudinem ſuſtineant utroque modo laborantes. Id ipſum ſola experientia comperit in morborum hiſtoriis indagandis ſollertiſſimus Sydenhamus (*b*), qui hac de cauſſa ſex menſes durare quartanas autumnales animadvertit: quoniam, ſi rite ponatur calculus, inter omne id tempus recurrentes acceſſiones horas complent 336. ſive dies 14., qui quidem continuarum febrium, quas eadem anni tempeſtas apportat, terminus eſt. Neque diſcrepat ab hac ratione Galeni obſervatio, ideo nimirum ſepternos habere circuitus exquiſitam tertianam, quum legitima continua intra ſeptimum diem deſinat, *quia unum conficiunt diem ſinguli paroxyſmi* (*c*): hoc eſt, diſpar licet ſit hujus, & illius morbi conditio, aequale tamen eſſe, quo corpus ab alterutro tenetur, temporis ſpatium. Cauſſa autem, cur iſtud ita eveniat, ſequens obſervatio oſtendet.

Secundo itaque, fermentatur in hiſce malis ſanguis, neque deferveſcit, uſque dum per organa ſecretionis; prout his, aut illis magis accommodatus eſt humor, foras derivatae fuerunt plurimae, quae morbum crearant, particulae.

Tertio, ſicuti ſuis quique temporibus defaecantur, qui fermenteſcunt, liquores; ſic definitum habet ſpatium, quo depuratur a fermento, vitale fluidum.

Quarto, non eodem perpetuo tenore curſum ſuum peragunt, quae conjuncta ſecum fert haec ſanguinis efferveſcentia, ſymptomata; illa vero eorum ratio eſt, ut certis in primis diebus adeo manifeſta ſui prodat indicia morbus, ut ex iis non difficile ſit, felicem, an infauſtum exitum habitura ſit aegritudo, conjectura augurari. Hac perſpecta febrium conditione, dies, qui morte, aut ſanitate morbum plerumque finiebant, *decretorios*; quibus vero ſpei, aut periculi notae praecipue oſtendebantur, *decretoriorum indices*, veteres appellare ſolebant.

Et hactenus quidem non erat conjecturalis haec ſcientia, adjuncta vero demum probis obſervationibus perverſa ratiocinia magnis implicuerunt dubiis eam quaeſtionem. Neſcivit Hippocrates iſtius morborum acutorum naturae cauſſam, qua aegrum plerumque liberat dies ſeptimus, quartus decimus, aut unus & viceſimus. Fama inter alias eminebat illis temporibus Pythagorae ſchola, cujus magna ſcientiae pars in harmonia & reconditis numerorum myſteriis poſita fuit; impares paribus efficaciores habebantur, ſumma vero tribuebatur ſeptenario potentia. Has philoſophi opiniones ita ſequebatur divinus in medendo vir, ut recidivam timeret, ſi pari die deſiiſſet febris (*d*); & decimum quartum, aut etiam unum & viceſimum diem expectaret, niſi ſeptimus morbo finem feciſſet; quoniam multum poteſt tum in aegritudinibus, tum in partu edendo, numerus ſeptenarius (*e*). Quum autem certum eſſet ſolvi interdum febre laborantes die ſexto, aut octavo, ſine periculo recurſus, has rationes ut vanas repudiavit Aſclepiades (*f*), & jure dixit Celſus, in his quidem

(a) *De peſte*, *pag.* 9. Edit. Lond. (b) *De morb. acut. p. m.* 95.
(c) *Comment. in aphor. Hippocr. Lib. IV. Aph.* 59. & *de Criſib. Lib. II. c.* 6.
(d) *Aphor. ſect.* 4. 36. (e) *De ſeptimeſt. partu*.
(f) *Vide Celſum*, *Lib. III. cap.* 4.

quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagoricos numeros fefelliſſe (*a*). Iſto igitur animadverſo errore, Galenus felicius longe in hac diſquiſitione proceſſit, nec ab imparium dierum efficacia ducere originem cenſuit febrium acceſſiones & criſes; ſed a lunae facultate, quae terreſtribus imperat, & cetera vincit ſidera, non potentia, ſed vicinitatis virtute (*b*). Habent itaque, ſi ipſius auctoritatem ſequi velimus, circuitos ſuos, quibus ſeptem dierum intervallis accedunt, & inclinant, morbi acuti a curſu lunae, *quae ſingulis hebdomadibus, quum nova nimirum, dimidia, vel plena eſt, viribus pollet maximis* (*c*). Ex hiſce manifeſtum eſt Galenum cauſſam, quae paroxyſmos febrium immutet, rite animadvertiſſe; at modum, quo haec effectum parit, non fuiſſe conjectura adſecutum. Summa autem rei haec eſt.

Crisis eſt materiae morbum facientis per hos, ut illos corporis meatus expulſio; quae ut quum aegri ſalute peragatur, eatenus illa comminuenda & dirigenda eſt, quoad permeare & tranſire poſſit per ora glandularum, ad quas appellit. Idcirco, ſiouti perfectiſſima fit ſudoribus febris ſolutio, tum quod natura ceteris omnibus plus liquoris exſpuant ſubcutaneae glandulae, tum quoniam per anguſtiſſimos harum tubulos non alius, quam tenuis & probe concoctus humor percolari queat; ita maximo cum periculo morbum finit ſanguinis fluxus, quippe qui indicat eam eſſe mali indolem, ut per nullas corporis vias defaecari poſſit ſanguis, qui proinde effervescentia ſua canales dirumpit. Mediam autem hic conditionem habent geniti in illis partibus abſceſſus, per quas craſſi & tenaces expurgantur ſucci.

Certum eſt igitur, ſi modo in novam plenamque lunam incidat tempus, quo aut a deferveſcente ſanguine foras pellitur noxius humor, aut profuſionem minantur ultra modum tenſi ab aeſtu febrili canaliculi, eo faciliorem, & pleniorem fore morbi criſin, quod minore tum vi corporis ſuperficiem urgeat, & fluidorum impetum reprimat circumfluus aether. Quinetiam fieri poteſt, ut ob variam hujus cauſſae rationem hodie interdum peragatur, quam pro more, & conditione aegritudinis craſtinus dies apportare deberet, febris ſolutio; aut in poſterum diem contra differatur, qui hodie ſperandus eſſet, morbi terminus: quum acceleretur motus naturae facultate lunae, & hujus ope nonnunquam indigeat ad amovendum aeris obſtaculum ſolito debilior animalis machina. Idcirco ſexto, quandoque & octavo, uti obſervavit Hippocrates, ſolvetur morbus, cujus circuitum ſeptimus in pleriſque dies definit.

Convenit itaque, ſi lunaris virtutis in hiſce caſibus momentum perpendere velimus tempus, quo primum invaſit morbus, diligenter notare; hujus deinde indolem, & quo ſecretionis genere ſalutem aegri moliri ſoleat natura, probe noſſe, neque nimia ſedulitate, praeſertim ſub finem aegritudinis, humorum motus turbare; laborantis denique vires aeſtimare atque expendere. Si quis eas in facienda medicina leges obſervaverit, comperiet ſine dubio, non novam ſolum, plenamque lunam, ſed & ſideris hujuſce ad meridianum caeli faſtigium, aut huic oppoſitum locum acceſſionem ad immutandum corpus animale vim afferre maximam.

Ad ſummam, non philoſophi ſolum, & naturalis hiſtoriae conditores, multis in rebus vim hanc lunarem obſervant; ſed & ipſum vulgus longo uſu ejus rationem habere didicit. *Nullum animal niſi aeſtu recedente exſpirare*, referente Plinio, (*d*) memoriae olim prodidit Ariſtoteles. Partus & mortes hominum nova, plenave luna maxime contingere etiam mulierculi notum eſt. Agricolae in arborum ſationibus, & cultura, multiſque aliis negotiis, lunae circuitibus labores ſuos accommodant. Tam late terra, marique patet lunare imperium.

CAPVT III.

Quo, quantum momenti ad medicinam recte faciendam hujuſmodi obſervationes adferant, oſtenditur.

Ad uſum tandem, quem nobis in medendo praebeat haec diſquiſitio, tranſeundum eſt. Et is quidem non foret nullus, ſi ad acceſſionum & eventuum praedictiones in morbis ſolummodo ſpectaret; quia hujuſmodi

(a) *Ibid.* (b) *De diebus decretor. Lib. III.* (c) *De dieb. decretor. Lib. III.*
(d) *Hiſtor. nat. Lib. II. cap. 98.*

modi judicia & medico conciliant honorem, & aegrorum ſpem ac fiduciam confirmant. At enim majus hinc emolumentum conſequamur, quandoquidem morborum etiam curationem ab hiſce ratiociniis promoveri oſtendam. Et primum quidem, quod magis generale eſt, dicam; ut ad ea, quae de ſingulis obſervanda reſtant, ſternatur via.

Satis itaque conſtare arbitror, morbos omnes, quorum circuitus lunae periodis reſpondent, ad repletionem eſſe referendos. Quum enim actio lunaris per ſolam vaſorum diſtentionem effectum ſortiatur, liquet hanc lenitudine tantum augeri, quae, ſive moli fluidorum, ſive eorumdem turgeſcentiae debeatur, idem valet. Ideoque in omni malo per ſingulos menſes ſemel, aut iterum recurrente, quod a lunae poteſtate vires acquirit, uſui erit exinanitio; quae ſi non medelam, at levamen ſaltem morbo feret. Quoniam vero in hoc remedio aegritudinis genus, modusque, & tempus detractionis, in primis ſpectanda ſunt, quaedam de his omnibus tenenda erunt praecepta.

Oportet ergo primum expendere, num in arteriis haereat cauſſa morbi; an liquorum vitio, qui e ſanguine derivantur, in partem quamvis corporis principem transferatur. In priore caſu plus miſſioni ſanguinis; in poſteriore plus medicamentis, quae errores ejuſdem emendent, tribuendum erit. Praeterea quum, experientia duce, materiam per vias, quas monſtrat natura, tutiſſime demi diſcamus, per quos meatus in quovis malo ſponte fiant aegrotantis purgationes, diligenter animadvertere oportebit. Deinde, tempus detractioni in pleriſque caſibus paullo ante acceſſionem mali erit maxime opportunum; quum hoc modo non ſolum venienti morbo occurratur, ſed & turgeſcens materia facilius & copioſius e corpore erumpat. Sed de his melius fiet judicium, ſi quaedam ad morborum, quos ſupra recenſui, curationem ſpectantia breviter eodem fere ordine prius expediam.

Incipiam igitur a *morbo comitiali*, qui quum in adultis ſit curatu difficillimus, in pueris tamen haud aegre levamen recipit. Et quantum praeter alios detractionis modos hic valeat ſeroſi humoris e capite per emplaſtrum veſicatorium occipiti admodum depletio, ex eo, quem ſupra retuli, caſu manifeſtum eſt (*a*): qui cum fidem facit Panarolo affirmanti ſe, *veſicante ſuturae coronali appoſito, puerum ſeptennem, aphonum, ſtolidum, & epilepſiae obnoxium, ſanitati reſtituiſſe* (*b*); tum etiam Celſi conſilium confirmat, ſuadentis in hujus morbi inſultibus *occipitium incidere, & cucurbitulas admovere, ferro candente in occipitio quoque, & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat* (*c*). Occupat enim cerebrum in pleriſque his aegritudinibus malum; quod ſicuti in infantibus plenitudini, & ſanguinis nondum exercitiis, & pulmonis actione ſubacti lentori; ita in aetate provectioribus copiae humorum, delapſibus ab alto, aut ſubitis terroribus; ortum ſaepiſſime debet. Si quid hic adverſus graviſſimum valetudinis genus a medicamentis, quae fluidorum vitium corrigunt, praeſidii eſt: id vel a cinnabari nativa, vel in primis a radice valerianae ſilveſtris, antequam caulem edat in pulverem trita, & frequenter idonea quantitate adhibita, expectare licebit. Vtriuſque laudabiles dotes non ſemel ſum expertus; & de hujus praeſertim virtute conſulendos velim, tum laudatum modo Panarolum (*d*), tum Fabium Columnam, eruditum & herbarum ſcientia nulli ſecundum auctorem (*e*). Iſtud vero meminiſſe oportet, a cauſſis tam variis, & intemperamentis corporum adeo inter ſe diſſimilibus, oriri hunc morbum, ut fallat ſaepe in hoc, quae in illo reſpondet, medicina; aliam igitur atque aliam experiri interdum convenit, praeſertim in aetate provectioribus. Habenda tamen ſemper eſt ratio temporum, quibus reverti ſolet malum, ut illi opportune occurratur.

His etiam remediis cedit *vertigo*. Vomere autem oportet interdum aegrum, admotiſque capiti aut cervici emplaſtris epiſpaticis humor noxius foras eſt ducendus. Oculorum eſt hic morbus, & a tenſis ultra modum extremis arteriolis, uti ex theoria Belliniana manifeſtum eſt, trahit plurimum ori-

(a) *Pag.* 8. b. (b) *Obſ. medic. Pentecoſt. IV. Obſ.* 36.
(c) *Lib. III. cap.* 23. (d) *Obſ. med. Pen.* 1. *Obſ.* 33.
(e) *Phytobaſ. pag.* 120.

originem; unde ſi lunae circuitibus conſentiat, minime mirum videri debet.

Neqve multum diſpar eſt *affectuum hyſtericorum* cura. Verum hi ſanguinis miſſionem raro fuerunt, & alvus quoque caute ducenda eſt. Utilior longe eſt vomitus, ſub tempus praeſertim ingruentis mali; ſin autem jam invaſit, optime diſcutiunt in pilulis ſumpta Gummi ammoniacum, viroſum Caſtoreum, Sal ſuccini, & conſimilia, quae ſpiritus reficiunt, pharmaca. Accommodanda eſt tamen in pleriſque his caſibus vitae conſuetudini muliercularum, & animi praeſertim affectionibus medicina.

Menstrvas recurſus vices ideo ſervat quandoque *paralyſis*, quia a capite plerumque incipit hic morbus: extra canales nimirum propulſo latice ſeroſo, qui pro varietate locorum, in quae depluit, hujus, aut illius partis nervorum reſolutionem parit. Hinc fit, ut apoplexiam ſaepiſſime ſubſequatur hic affectus, interdum utroque, interdum altero tantum reſoluto corporis latere. Si quando autem a laeſis extrinſecus nervis, aut naris intus tumoribus oritur hujuſmodi imbecillitas, illa certos circuitus non habet. Utile hic erit poſt exinanitionem redundantis pituitae, quam feliciſſime pleriſque in caſibus abſolvunt alvi dejectiones; revertenti malo occurrere; idque non ſolum medicamentis, quae frigidos & tenaces humores extenuant, qualia ſunt Radix raphani ruſticani, Valerianae ſilveſtris, Semen ſinapis, & ſi qua ſunt his ſimilia, ſed & crebra corporis in aquam frigidiſſimam demerſione, ſi vires nimirum, & aetas id ſinant: non pariter enim ſenio confectis, ac juvenibus, prodeſt haec medicina, quae quum fibrillas relaxatas conſtringat, & urinam ſimul moveat, utroque modo iſti valetudini eſt aptiſſima. Ea de cauſſa veteres, uti auctor eſt Coelius Aurelianus (a), ſic laborantes aut natare cogebant in mari, aut deccurrentibus ab alto aquis partes infirmas aliquamdiu ſubjicere; ob majus ſcilicet aquae marinae, quam dulcis pondus, & acrius delabentis praecipiti curſu rivi, quam ſtagnantis laticis frigus.

Morbvm, quem *choream Sancti Viti* appellat vulgus, convulſionis quamdam ſpeciem eſſe dicunt plerique medici; mihi vero paralytica potius affectio videtur, a reſolutione muſculorum orta, qui quum artus moturi ſunt, impares officio imperfectis conatibus eos concutiunt & exagitant. Leve autem plerumque id malum eſt, & imbecilles, eoſque, quibus tenerior eſt a natura corporis habitus, infeſtat; puellas magis, quam pueros, & rariſſime adultos. Idcirco mihi numquam difficile fuit frequentibus in frigidam demerſionibus, & medicamentis ex chalybe paratis illud penitus depellere.

Qvod ad *fluoris menſtrui* in mulieribus vitia attinet, id ſerio perpendendum eſt, uti plurimum cauſſam habet nimia profuſio in acrimonia ſanguinis, ita ortum ſaepiſſime trahere menſium retardationem ab ejuſdem lentore. Rarius autem ob humoris paucitatem ſupprimitur hic fluxus; tam mirabili artificio ad ſalutem ſingularum, & generis propagationem pariter neceſſariae purgationi proſpexit & conſuluit ſapientiſſimus rerum Conditor. Quocirca, ſicuti in immodico profluvio habenda eſt ratio temporum, quibus facillime ferventem humorem canales ſuos dirumpere expoſitum fuit, ut, quum illa inſtant, miſſo quam longiſſime inde, ubi prorumpit, ſanguine, avertatur materiae curſus: ita, quoties menſtrua non provenientia venae inciſionem deſiderant, ſervanda eſt in primis Lindani cautio, quam ab Etmullero (b) commendatam explicuit, & ingenioſe demonſtravit vir doctiſſimus Joannes Freind (c). Porro, quum efficaciſſime liquoris arterioſi effervescentiam, qua diſtenduntur vaſa, reprimat & compeſcat cortex Peruvianus, maxime juvabit, ſi quando larga nimis timetur effuſio, paucis aliquot ante imminentem acceſſionem diebus creber nobilis iſtius medicamenti uſus.

Haec eadem & in aliis omnibus, quae certis intervallis recurrunt, *haemorrhagiis*, tenenda ſunt; petito ſimul ab iis pharmacis auxilio, quae dilatatas ultra modum fibras reſtringunt & coercent; inter quae principem habere locum Alumen igne liquatum, commixta ſucci illius concreti, quem *Sanguinem draconis* appellant, quarta parte, experimentis quamplurimis deprehendi.

C Illud

(a) *Chronic. Lib.* II. *cap.* I. (b) *Tom.* II. *pag.* 1017. *edit. ult.*
(c) *Emmenolog. pa.* 103.

Illud vero, ut hic moneam, neceſſe eſt; tantam nimirum eſſe in hujuſmodi caſibus lunae facultatem, ut ſuppreſſo interdum, qui ab una parte fertur, ſanguine, is ex alia, extremis canaliculis diruptis, exeat. Id accidit generoſo juveni, cujus morbum ſupra retuli (*a*). Quum enim ſanguinis ex pulmone ſingulis menſibus prorumpentis ſputum repreſſerant laudata modo medicamenta, patiebatur is dictis temporibus ejuſdem ex naribus fluxum, a quo tamen, quum malo jam princeps pars eſſet immunis, nihil erat metuendum periculi.

Pari etiam ratione contingit hoc quadrupedibus, quae per menſtrua purgantur; etenim nova plerumque luna profluvium iis incidere obſervatum eſt. Id equabus in primis, ac ſimiis uſu venit; atque his ſane adeo conſtari ordine, ut Aegyptii olim, uti teſtis eſt Orus Apollo, *non ſolum pro luna cynocephalum pinxerint, ob conſenſum quemdam, quo ad lunae cum ſole coitum afficitur hoc animal, miſſo nimirum feminae e genitali vaſe ſanguine, ſed & in ſacris ſimias nutriverint, ut ex ipſis conjunctionis ſolis & lunae tempus cognoſci poſſet* (*b*). Certa itaque ſe produnt in omnibus animantium generibus imperii lunaris indicia, modo conſtans & aequabilis victus ratio ſideris virtuti corpus opportunum reddat.

Haec qui intellexerit, qua neceſſitate menſtruos etiam interdum ſervet circuitus *fluor albus*, perſpiciet; praeſertim ſi hunc humorem profundant vaſa uterina; modo enim ex his, modo ex glandulis, quibus conſita vagina eſt, erumpit tetra colluvies. In illo caſu, fluentibus menſibus, ſupprimitur profluvium; in hoc, etiam quum in menſtruis eſt mulier, perſtat adhuc, & vel in utero geſtantem excruciat.

Neque diſpar admodum ex *ulcerum* ratio, e quibus quum ſanies jugiter exeat, minime mirum eſt, ſi largiorem ejus effuſionem faciant jam memoratae cauſſa; illis maxime in partibus, ubi laxior & facile cedens corporis compages vix ulla vi canaliculorum diſtenſioni reſiſtit. Hinc a capitis vulneribus graviſſimum imminere nova, plenaque luna periculum eſt compertum.

Nephriticos *dolores* haud felicius quis lenire aggrediatur, quam detracto primum e venis ſanguine. Neque profecto inutile erit illis, qui hiſce cruciatibus tentantur, per quae intervalla recurrant paroxyſmi, obſervare, & quo tempore maxime periclitentur, vaſorum depletionem moliri. Illud enim conſtat, compreſſionem anguſtorum in renibus meatuum a minimarum arteriolarum plenitudine malum hoc fovere, quam augere ſemper novam plenamve lunam extra dubium eſt. Unde mirari ſubiit aliquoties, hiſtoriarum medicarum ſcriptores totos eſſe in *praecipitandis* (ut ipſi loqui amant) in tubulos renales *arenulis*, quum ex inciſione cadaverum didicerim, ſicut ante memoratum fuit, primam concreſcentis calculi materiam eſſe limpidiſſimum in carunculis, per quas deſtillat urina, ſerum; quod in lapidem dureſcere poſſe nemini mirum erit, qui ſalium fluidorum vires attrahendi, motuſque in anguſtiſſimis canalibus impediti effecta cognoverit. Hinc fit, ut, dato ſubinde mercurio dulci, plus proficiamus in morbo hoc incipiente, quam quibuſvis urinam moventibus medicamentis; quod a nobili iſto pharmaco tenuium vaſorum obſtructiones reſerantur, & quae has plerumque ſequitur, ſalſorum humorum prohibetur cohaeſio. Quinetiam experientia quotidiana docet, his, quibus renes ſunt affecti, medicamentorum, quae urinam movent, nimis frequentem uſum plurimum nocere. Quod non ſatis animadvertunt ii medici, qui fallaci remedio, ab anicula ad bonum publicum, ſi diis placet, inſano pretio redemto, calculoſorum cum ſtomachum, tum renes & veſicam laedere ſuſtinent.

Quum his, quos *ſpiritus* premit difficultas, vis lunaris, tam ob minorem aetheris in pulmonem ducti portionem, quam ob majorem vaſorum ſanguinis dilatationem noceat, triſtiſſimo malo omni ope, ut ſanguinis miſſione, leni vomitione, alvi liquatione, interdum & purgatione, ſubvenire oportet. Cavendum eſt autem, maxime ſub tempora impendenti aegritudinis, ab illis omnibus, quae ſanguinis impetum & fervorem concitant; urget enim in hujuſmodi anxietatibus febricula, quam calidis cibis, aut medicamentis incendere nefas eſt. Unde *clamoribus iracundia anhelis abſtinendum eſſe* monuit Hippocrates (*c*). *Et aeſtate ſaepius ac ſaevius*

(a) *Pag.* 10. a. (b) *Hieroglyphic. Vid. Geſner. De ſimiis.* (c) *Epidem. Lib. VI. ſect.* 4.

ſaevius, *quam hieme*, *infeſtare aſthmatis acceſſum* obſervavit Helmontius (*a*). Hac de cauſſa praeter ea, quae dixi, multum hic valent illa remedia, quae refrigerant ſimul humores, & urinam pellunt: qaalia ſunt Acetum, in quo infuſa ſit Scillae radix, acidus nitri ſpiritus, aqua fumo ſulphuris ſaturata, quam *gas ſulphuris* vocant chymiae auctores, & alia id genus plurima a Floyero jam laudato recenſita.

Iis denique, quae de *criſibus in morbis acutis* ſuperius ſunt dicta, unum hic operae pretium erit adjicere. Quamquam enim ſedulo cavere oportet, ne, iſtante morbi ſolutione, tumultus in humoribus creentur; fieri tamen poſſe, ut neceſſarium ſit hoc ipſo tempore exinanitionem aliquam moliri, cenſendum eſt; idque praeſertim, ſi ſumma foree urgeat corporis excandeſcentia, quae nimia agitatione omnia turbans ſecretionibus e ſanguine faciendis impedimento ſit futura. Ipſa igitur ſanguinis miſſio in hoc ſtatu adeo non nocet, ut etiam promoveat criſin. Nec alia ratione id evenit, quam qua ingruentibus jam variolis aut morbillis, ubi materia vehementer turgent vaſa, ſanguinis detractio puſtularum eruptionem accelerat.

Porro haud multum diverſa eſt *abſceſſuum criticorum* conditio, qui, ut ad maturitatem perducantur, non raro, ſi copia & calore ſupra modum peccet ſanguis, depletiones ex venis, aut per alvum moderatas deſiderant. Scire enim oportet, ideo antiquos in febribus purgationes damnaſſe, quod pleraque medicamenta cathartica illis temporibus eſſent validiſſima; qualia ſunt Scammonium, Veratrum nigrum, Tithymali ſuccus, & conſimilia his acria; quocirca clyſteribus infuſis alvum ſuppreſſam ducere ſatis habebant. Nobis vero quum leniora ſemper in promptu ſint, quibuſvis fere morbi temporibus citra metum inflammationis, ſi res exigat, inteſtina exinanire licet; preſertim ſi, quod ſaepe fit, hanc viam natura ipſa monſtraverit.

COROLLARIVM.

Quo ratiocinandi hoc genus rerum natura confirmari probatur.

Qvvm in primis hiſce ſchedis expoſitum ſit, qui morborum recurſus memoratis temporibus faciunt caeli motus, eos ventis ſimul concitandis pares eſſe, horumque vim nos variam ſentire, prout conſpirent cum illis ad agitandum aera aliae atque aliae cauſſae, operae pretium erit, quantum has rationes confirmet ipſa rerum natura, breviter ſaltem indicare.

Incidit anno MDCCIII. die Novembris 26. paullo ante mediam noctem procella graviſſima, ſtupentibus cunctis & attonitis inſolito prorſus ac immani ventorum furore, qui ultra ſex horas permanſit. Hiſtoriam & cauſſas omnes mirabilis iſtius eventus pertexere mihi nec opera eſt, nec otium. Demandata eſt haec provincia viro ingenioſiſſimo, Edm. Hallejo, qui optime praeſtare poteſt. Quantum autem ad rem noſtram faciat, hic leviter attingam.

Erat illo tempore luna in perigaeo, inſtabatque ſimul interlunium; quorum utroque ſurſum ferri aethera, & increbeſcere ventos, ſupra demonſtratum eſt. (*b*) Et hinc quidem, qui ſubſequebantur maris aeſtus, erant immodici & maxime tumentes, altiuſque ſolito, plerisque ſaltem locis, in baroſcopio ſubſedit hydrargyrum. (*c*) Acceſſerunt etiam ſine dubio ex ſupra memoratis aliae pariter cauſſae, (*d*) quas omnes dignoſcere nobis minime licet; at caeli ſaltem manifeſta conditio, quantum ad hanc calamitatem contulerit, perpendi poteſt. Poſtquam enim in illis locis, quibus incubuit haec fera ventorum vis, per aeſtatem & autumnum copia ſolito majori deciderant pluviae, mitior & calidior, quam pro more, hiems appetebat; ita ut ad finem uſque Novembris liquor in thermometro, cujus gradus quartus ſupra octogeſimum gelu indicat, infra centeſimum numquam ſubſederit. (*e*) Et hinc ſane collectas fuiſſe in aetheria plaga, ſurſum latis ab ardore ex humida terra anhelitibus, ſalium, ſulphuriſque atomos innumerabiles, iiſque varie coeuntibus, & agitatis, acceſſiſſe huc &

(a) *Aſth. & Tuſſ.* (b) *Pag.3.* a. (c) *Philoſoph. Tranſact. No.289.*
(d) *Pag.6.* a. b. (e) *Philoſoph. Tranſact. loco citato.*

illuc effluenti jam aeri exitialem impetum, conjectari licet. Fidem dictis faciant crebra, quibus ſub tempus funeſti turbinis micuit aether, fulgura, & falſo ſapore die inſequente linguam ferientia, etiam in campis longe a mari remotis, arborum virgulta & gramina, adeo ut deguſtatum pabulum pecudes refugerint.

Sed haec fuſius perſequi minime vacat. Illud potius adjungere libet, quod nova, vel plena luna, etiamſi cauſſa ſolitaria ſit, uti mutationes illas, quas diximus; corpori noſtro inferre valet, ita, ſi ſolito vehementiorem aeris motum, qualis in tempeſtatibus fit, ſecum conjunctum habeat, majori adhuc virtute effectum ſortietur. Multos igitur memini eadem nocte, quam dixi, capite praeſertim male affecto aegrotaſſe. Maxime autem memorabile eſt infortunium feminae cujuſdam illuſtriſſimae mihi notae, quae derepente oculis capta vitae ſolatium amiſit. Caecitas illa erat, quam ἀμαύρωσιν Graeci dixerunt, medici vero recentiores inconcinna voce *guttam ſerenam* appellant; cujus morbi naturam, quoniam ea nondum medicis bene perſpecta eſt, paucis exponam.

Oritur igitur plerumque aut ex obſtructione, & hinc facta diſtenſione minimarum arteriarum, quae per tunicam oculi, *retinam* dictam, ſparguntur, aut a nervorum, qui viſui inſerviunt, laeſione. In illo genere, quod longe frequentius eſt, oculorum acies pedetentim obtunditur; in hoc vero nunc tardius, nunc celerius, pro cauſſae ratione, interdum vel temporis momento eripitur. Multis enim modis detrimentum capiunt hi nervi, & officio ſuo inepti redduntur. Etenim ictu ſaepius, aut lapſu ab alto, fracto vel quaſſato calvariae oſſe, in anguſtum coeunt; in convulſionibus nonnumquam, humore ex cerebri membranis effuſo, comprimuntur; neque raro repentina reſolutione tentantur. Vidi nempe in morbo comitiali diu affectis, inciſo cadavere, nervos eo loco, unde poſt conjunctionem ſeparati ad oculos tendunt, aqueo latice in globum collecto depreſſos; & in affectibus paralyticis fibras illic plane marcidas & exſiccatas reperi.

Possem etiam multis exemplis ex obſervationum medicarum ſcriptoribus allatis rem hanc fuſius illuſtrare; pauca vero in praeſenti adduxiſſe ſatis erit. *Tumorem, glandulae ad inſtar, nervis opticis incumbentem, & ſpiritus animalis tranſitum ad oculos impedientem* in cadavere quodam animadvertit experientiſſimus Felix Platerus. (*a*) *In femina nervum utrumque opticum extenuatum obſervavit vir ſollers, Guernerus Rolfincius.* (*b*) *Nervos opticos marceſcentes, & ſolito duplo minores in corpore mulieris, quae per viginti annos amauroſi laboraverat*, invenit inſignis chirurgus, Joannes Scultetus. (*c*) Virginis cujuſdam infelicem caſum memorant *Ephemeridum medico-phyſicarum Germanicarum* auctores, *quae ab ictu in ſiniſtra capitis parte febre cum delirio correpta, viſu primum, & brevi deinde vita privata eſt. Diſſecto autem capite, ingens limpidiſſimae lymphae copia in cerebri ventriculis, in primis qua ſinciput ſpectant, fluctuans, & nervos opticos omnino comprimens ſe oſtendit.* (*d*)

Haec quum ita ſe habeant, ex iis, quae ſupra ſunt expoſita, lunarem potentiam, vi turbinis accedente, praeter modum adauctam, viam ſpiritibus animalibus, qui ad nervos oculorum meant, in tenero corpore, tamquam praeciſi eſſent, intercludere, & calamitatem, quam diximus, efficere potuiſſe manifeſtum eſt.

Permagnvm uſum adferre hujuſmodi diſquiſitiones, nemo dubitabit, quum dixero me, duce hac ϑεωρία, iſti morbo, qui antea inſanabilis vulgo habebatur, non modo rectam medendi viam inveniſſe, ſed experimentis etiam quampluribus deinceps comprobaſſe; quippe quum cauſſarum ſcientia certiſſimum ſit medicinae fundamentum. Vbi malum igitur in arteriolis oculorum haeret, medicamentis utendum eſt, quae ſanguinem craſſiorem attenuandi, & per anguſtiſſimos ductus propellendi vi maxima poſſent. Talia ſunt praecipue, quae ex argento vivo chymicorum arte parantur. Hiſce autem diu inſiſtere oportet, & plerumque quidem eatenus, quoad ſalivae fluxus larga copia per viginti vel triginta dies concitatus fuerit.

At diſſimilem huic curationem, eamque pro noxae ratione diverſam caligo iſta requi-

(a) *Obſervat. Lib.* I. (b) *Diſſertat. anatom. Lib. IV. cap.* 31.
(c) *Armamentar. chirurg. obſerv.* 36. (d) *Vid. Miſcell. curioſ. Anni* MDCLXXXVI.

quirit, quae nervorum vitio gignitur. Saepiſſime autem, ut ex dictis apparet, omne adjumentum reſpuit. Quis enim humore viſcido gravique preſſos, & coarctatos, aut languore, & ariditate conſumtos oculorum nervos reſtituere, aut denique ſpiritibus animalibus fibrarum reſolutione in itinere ſuo interceptis vim novam atque impetum reddere valet? Solus certe fabricae noſtrae Divinus ipſe Artifex id praeſtare poteſt. Verum ſi quid hic ſpei reliquum ſit, in recenti adhuc necdum confirmato malo admovendum erit vertici, qua futura coronalis ſagittali committitur, medicamentum cauſticum; donec ita eum erodat, ut membrana, quae calvariam contegit, ſcalpello diſcindi poſſit, ex quo ulcere, quaſi ex fonticulo, noxius humor e cerebro foras derivetur. Puris autem hunc effluxum, immiſſis piſis vel fabis, quae ulcus inciſum glutinari non ſinant, per longum tempus premovere oportet: aſſumtis interea aſſidue iis remediis, quae nervorum convulſionibus, & tremoribus conveniunt; cujusmodi eſſe radicem Valerianae ſilveſtris, Caſtoreum Ruſſicum, Gummi ammoniacum, Aſam foetidam, ſpiritus denique, & ſales ex animalibus vi ignis elicitos quotidie experimur.

Sed ad turbines revertor. Contigit patrum noſtrorum memoria immoderata quaedam tempeſtas, huic fortaſſe jam dictae non aequalis, miram tamen ejus violentiam referunt illorum temporum Annales. Saeviit illa die tertio Septembris, anno MDCLVIII, quo die etiam e vita exceſſit Olivarius Cromwellus, *Protector* dictus. Aeris per illius anni decurſum ſtatum & morem nullae, quod equidem ſciam, docent Ephemerides. Plenam vero lunam ſub acceſſum aequinoctii autumnalis hanc ventorum rabiem apportaſſe memoratu dignum videtur, ut mirum non ſit magnis motibus opportunam tunc fuiſſe caeli regionem. Quomodocumque autem ea res ſe habuerit, id refert adnotaſſe, magni illius viri morbum ex illorum genere fuiſſe, quos vim lunarem maxime ſentire oſtendimus. Memoriae enim proditum eſt, illum febre ſimul & animi aegritudine ex infelici praeſertim rerum domeſticarum ſuarum ſtatu oborta confectum fatis ceſſiſſe. Et maerorem quidem ſpiritus animales offenſis ejusmodi obnoxios reddere certiſſimum eſt.

Vervm ut opuſculo noſtro finem tandem imponamus, pari neceſſitate in illis regionibus, quas crebra premunt diluvia, iis, plerumque temporibus, quibus luna maximis pollet viribus, fieri inundationes obſervatum eſt; ut non immerito horum malorum cauſſam praecipuam in tumentes immodice maris aeſtus, & infeliciter ſimul conjunctam horum aut illorum ſiderum attrahendi facultatem, conferendam eſſe conjecerit eruditus Baccius (*a*).

Has igitur & conſimiles habent a natura cauſsas ventorum turbines ac tempeſtates. Nam ad quaeſtionem de divina potentia quod attinet, num Supremi Numinis ira extra rerum ordinem hujusmodi calamitates eveniant, necne, differere non noſtrum eſt, qui religionis vinculis animos hominum ſolvere nequaquam conabimur. Quamquam enim ſingulas immenſae hujus machinae partes certis legibus conſtitui & moveri ſciam, & eamdem fabricae diſpoſitionem, quae univerſae moli commodiſſima eſt, paucis quandoque in locis clades ac damna inferre; ſuum tamen rerum Conditori Opt. Max. in omnia, quae perfecit, jure cedendum eſt imperium. Et erat fortaſſis divinae rationi conſentaneum eo artificio mundum inſtruere, quo noxae interdum & detrimenta in homines caderent, quos fulminibus terreri, & prodigiorum, tempeſtatumque metu in officio contineri, neceſſe eſſe intellexit.

CA-

(a) *Del Tevere. Lib. III. p.* 228.

CAPITVM. ARGVMENTA.

CAPVT I.

QVo ſolis lunaeque curſum pro variis ſuis ſtationibus varie corpora noſtra afficere, motuſque fluidorum turbare, demonſtratur. Pag. 1.

CAPVT II.

Quo morborum genera, eorumque ſymptomata, quae ex cauſſis memoratis ducunt originem, exponuntur. Pag. 7.

CAPVT III.

Quo, quantum momenti ad medicinam recte faciendam hujuſmodi obſervationes adferant, oſtenditur. Pag. 15.

COROLLARIVM.

Quo ratiocinandi hoc genus rerum natura confirmari probatur. Pag. 9.

INDEX RERVM.

Numerus paginam, a primam, b alteram columnam indicat.

A.

ABSCESSVVM CRITICORVM *tractandi ratio*, pag. 19. a.

AEGYPTII *cur ſimias in ſacris nutriverint*, 18. a.

AERIS *ſtatus maxime ventoſi in aequinoctium vernum vel autumnale incidunt*, 2. a. *Variae illius proprietates*, ibid. *Intumeſcentia pro diverſis ſolis, lunaeque ſtationibus diverſa*, 3. a. *Ad quot milliaria diffunditur*, 3. b. *Pars magna ex corpuſculis aqua ponderoſioribus componitur*, 5. a. *Pondus, quo corpus humanum premit, & diverſis temporibus diſcrimen*, 6. b. *Motus vehementior, ſicut in tempeſtatibus, vim lunarem promovet*, 20. a.

AETHER, vid. AER.

ΑΜΑΥΡΩΣΙΣ, vid. GVTTA SERENA.

ANIMAL *nullum niſi aeſtu recedente exſpirare aſſeruit Ariſtoteles*, 15. b.

ANIMALIA TERRESTRIA, vid. LVNA.

AQVAE, *prae aere, gravitas*, 5. a. *Elaſtica virtute caret*, ibid.

ASTHMA, vid. SPIRITVS DIFFICVLTATES.

ASTROLOGI *commentis ſuis inanibus de compagis animalis cum aſtris conſenſu rerum veritatem obſcurarunt*, 1. b.

B.

BAROMETRVM *nova plenaque luna non variaſſe miratus eſt Ramazzinus*, 4. a. *Variationes ejus ventis maxime efficiuntur*, 4. b. *Vix ullas mutationes inter tropicos ſubire ſenſit Hallejus*, ibid. *In locis borealibus, quam auſtralibus, inſigniores contingere varietates idem percepit*, ibid. *Circa aequinoctia in primis variare Ramazzinus obſervavit*, ibid. *Mercurii ſubſidentia cur pluviam inſtantem indicet*, 5. a. *Ann. MDCCIII., durante graviſſima procella, hydrargyrum pleriſque in locis altius ſolito ſubſedit*, 19. b.

BAROSCOPIVM, vid. BAROMETER.

C.

CAELVM, vid. AER.

CHOREAE SANCTI VITI *deſcriptio*, 8. b. *Medendi ratio*, 17. b.

COMITIALIS MORBVS *nova in primis plenaque luna recurrere ſolet*, 7. b. *Epilepticorum periodos*

periodos lunam regere ſcribit Galenus, ibid. *Nautae quidam in Divi Thomae noſocomio novam plenamque lunam morbi hujus acceſſu indicabant*, ibid. *Puella epileptica faciem habuit maculis diſtinctam, quae pro varia lunae phaſi varium praebebant aſpectum*, ibid. *Vir quidam e naribus profluvio per aliquot annos circa vernum & autumnale aequinoctia affectus in adverſam valetudinem incidit*, 8. a. *Feminae complures ad lunae motum ſymptomata epileptica patiebantur*, ibid. *Puellae epilepticae paroxyſmi aeſtibus marinis quotidie reſpondebant*, 8. b. *Veteres hunc morbum ad lunam retuliſſe ſcribit Aretaeus*, 9. a. *Cur a veteribus, ſacer appellaretur*, ibid. *Medendi ejus ratio*, 16. b. *Caſus pueri a Panarolo ad ſanitatem reſtituti*, ibid. *Occipitium in hoc morbo incidere, & cucurbitulas admovere, ſuadet Celſus*, ibid.

CONCHYLIA, vid. LVNA.

CORPORIS ANIMALIS *fabricam diverſi aetheris motus quomodo immutent*, 5. b.

CORPORVM VIRORUM *ſingulis menſibus ad inſtar mulierum pondus immutari ſtaticis experimentis comperit Sanctorius*, 11. a.

CRISES *in morbis acutis res arduae diſquiſitionis*, 12. b. *A lunae facultate originem ducere ſtatuit Galenus*, 15. a. *Criſis morbi quid ſit, & quomodo a lunae virtute pendeat*, ibid. *Tractandi ratio*, 19. a.

D.

DEVS *humano generi in rerum univerſitate diſponenda optime conſuluit*, 7. a. *In omnia, quae perfecit, imperium ei jure cedendum eſt*, 21. b. *Cur clades nonnumquam hominibus inferre, & fulminibus aliiſque oſtentis eos terrere voluerit*, ibid.

DIABETE *ſingulis menſibus recurrente Bullichius, Hafniae praeſes, affligebatur*. 11. b.

DIES DECRETORII, & DECRETORIORVM INDICES *quinam apud veteres*, 14. b.

E.

ECLIPSES, *tam lunares, quam ſolares, aegrotantibus valde periculoſas eſſe caſibus a Ramazzino, & Bellonio allatis oſtenditur*, 13. a. *Lunae defectu deliquium ſemper paſſus eſt Franciſcus Baconus*, 13. b. *Solari iſta eclipſi admodum inſigni, anno MDCCXV., multos variis morbis affectos pejus ſe habuiſſe compertum eſt*, ibid. *Ejuſdem graphica deſcriptio*, ibid.

ELEMENTORVM *motus reciproci quibus uſibus inſerviant*, 4. a.

EPILEPSIA, vid. COMITIALIS MORBVS.

EPILEPTICI INSANI *quinam ſic dicti*, 9. a.

F.

FEBRIUM *tempora ad dierum criticorum rationem cur veteres diſtinxerint*, 12. b. *Febres, epidemicae ex aeris vitio ortum ducunt, & a lunae virtute mutationes ſubeunt*, 13. a. *Febrem peſtiferam, quae Mutinae plenilunio ferociebat, nova deinde luna miteſcere obſervavit Ramazzinus*, ibid.

FLVOREM ALBVM *nova ſingulis menſibus luna recurrentem obſervavit Pitcarnius*, 11. a. *Cur menſtruos interdum ſervet circuitus*, 18. a.

G.

GALLAE *matronae caſus ſingularis, cujus facies, luna decreſcente, in ſpeciem valde turpem detorquebatur*, 12. a.

GVTTAE SERENAE *natura exponitur*, 20. a. *Feminae illuſtriſſimae caſus, quae hoc morbo correpta derepente oculos perdidit*, ibid. *Alii morbi iſtius effectus memorabiles*, 20. b. *Recta ejus medendi ratio*, ibid. & ſeqq.

H.

HAEMORRHAGIA PERIODICA *viris nonnumquam accidit, ejuſque cauſſa*, 10. a. *Caſus juvenis per ſeſquiannum ſanguinis ſputo laborantis, quod cum nova luna conſtanter redibat*, ibid.

Pit-

Pitcarnii ipſius & aliorum in Scotia caſus memorabilis, 10. b. *Viri cujuſdam caſus, e cujus pollice ſiniſtro plena ſemper luna ſanguis profluxit*, ibid. *Cauponis Hiberni, qui effuſione ſanguinis è dextrae manus indice digito, ſingulis fere menſibur recurrente, laborabat*, ibid. *Medendi ratio*, 17. b.

HYDRARGYRVM, vid. BAROMETER.

HYSTERICI AFFECTVS *ad epilepſiam referri debent*, 9. a. *Periodos ſuas ſortiuntur*, ibid. *Caſus juvenis mulieris a Pitcarnio memoratus*, ibid. *Alter feminae illuſtris, & tertius puellae a Piſone deſcripti*, 9. b. *Medendi ratio*, 17. a.

I.

INVNDATIONES *iis plerumque temporibus, quibus luna maximis pollet viribus, evenire ſolent*, 21. b. *Intumeſcentes maris aeſtus, ſiderumque attrahendi facultatem infeliciter conjunctam conferendas cenſuit Baccius*, ibid.

L.

LVNA *nova plenaque caeli tempeſtates plerumque commutat*, 2. a. *Luna vires ſuas in conchylia, & terreſtria animalia exerere veteres poetae obſervarunt*, 12. a. b. *Quadrupedes quaſdam nova plerumque luna profluvio purgari ſcriptores antiqui notarunt*, 18. a. *vid.* VIS LVNAE.

LVNATICOS *morbo comitiali correptos Latini quidam ſcriptores appellant*, 7. b.

M.

MANIACORVM *iſti* FVRORES, *qui ad lunae circuitum revertuntur, comitialis morbi ſymptomata ſecum ferunt*, 9. a.

MARIS AESTVVM *veras rationes primus explicuit Newtonus*, 2. b. *Varietates eorum omnes a ſolis, lunaeque viribus oriuntur*, ibid.

MEDICINA ANTIQVORVM *ex paucis remediis conſtabat*, 12. b.

MENSES MVLIEBRES *vi lunari concitantur*, 9. b. *Curandi ratio*, 17. b.

MERCVRIVS vid. BAROMETER.

MORBI *viribus lunae ſubjecti a ſpirituum animalium vitiis plerumque originem ducunt*, 7. b. *Ad repletionem omnes referri debent*, 16. a.

MORBORVM *omnium* EPIDEMICORVM *leges, harumque cauſſae expoſitae*, 14. a.

MORS *Olivarii Cromwellii notabilis*, 21. a.

N.

NEPHRITICI DOLORES, vid. RENVM DOLORES.

NVMERI PYTHAGORICI, vid. PYTHAGORICI.

O.

OCEANI *quanta ſit mediocris altitudo*, 3. b.

P.

PARALYSES PERIODICAS *non raro obſervarunt medici*, 9. b. *Caſus viri ſenio gravati, cui nova ſemper luna per duos annos morbum reduxit*, ibid. *Alter virginis, ubi periodorum recurſus modo cum maris, modo cum lunae, modo cum ſolis motione conveniebant*, ibid. *Sanandi ratio*, 17. a. *Veteres morbo hoc laborantes mari immerſiſſe ſolitos, tradit Coelius Aurelianus*, ibid.

PESTIS *lunae virtuti obnoxia eſt*, 14. a. *Idem Diemerbroekii teſtimonio oſtenditur*, ibid.

PLANETAE *omnes vires ſuas ad ſolis, lunaeque potentiam in humana corpora promovendam conferunt*, 7. a.

PROCELLAE *graviſſimae, ann. MDCCIII Nov. 26. incidentis brevis deſcriptio, ſaevique in aegrotantes effectus*, 19. b. 20. a. *Alterius tempore prioris, ſed vi & ferocia haud abſimilis, quam Sept. 3. ann. MDCLVIII. plena apportavit luna*, 21. a.

PYTHAGORICORVM *de numeris paribus & imparibus opinionem ſequebatur Hippocrates*, 14. b. *Repudiarunt Aſclepiades, Celſus, & Galenus*, ibid.

QVA-

Q.

QVADRVPEDES *quaedam ſingulis menſibus natura purgantur*, 18. a.

R.

RENVM DOLORES *per lunaria intervalla reciprocare haud raro obſervatum fuit*, 11. b. *Caſus Hen. Ainſworthi, cui quolibet fere interlunio urina ſupprimebatur*, ibid. *Aegri, qui mictu capillorum periodico laboravit*, ibid. *Pueri quinquennis, cui plena luna diros nephritidis cruciatus afferre ſolebat*, ibid. *Adoleſcentulae annorum quatuordecim, quae paullo ante plenam lunam pallida fiebat, ſponteque ſua in ſomnis profluebat*, 12. a. *Medendi ratio*, 18. a. b.

S.

SANCTVS VITVS, vid. CHOREA.
SCYTHICARVM MVLIERVM *ſterilitatem parciori menſium fluxui tribuit Hippocrates*, 10. a.
ΣΕΛΗΝΙΑΖΟΜΕΝΟΙ *in Novi Foederis hiſtoria vocantur, qui ab aliis Graecis Scriptoribus* σεληνιακοὶ *dici ſolent*, 7. b.
ΣΕΛΗΝΙΑΚΟΙ *a Graecis Scriptoribus dicuntur, qui morbo comitiali laborabant*, ibid.
SIDERVM *ortus & occaſus in morbis vim magnam habere cenſuit Hippocrates*, 1. b.
SIMIAE, vid. AEGYPTII.
SPIRITVS ANIMALES *lunae potentia praecipue afficiuntur*, 7. b.
SPIRITVS DIFFICVLTATES *menſtruos ſaepe recurſus habere Helmontius & Floyerus obſervarunt*, 12. a. *Aegritudinis hujus cauſſae*, 18. b. *Clamoribus iracundia anhelis, qui ea laborabant, abſtinere monuit Hippocrates*, ibid. *Aeſtate ſaepius ac ſaevius, quam hieme infeſtare aſthmatis acceſſum obſervavit Helmontius*, 19. a. *Medendi ratio*, ibid.
STEPHANICI *calculoſorum* REMEDII *cenſura*, 18. b.

T.

TEMPESTAS, vid. PROCELLA.
ΘΕΙΟΝ ΤΙ *quid denotat apud Hippocratem*, 7. a.
THERMOMETRI LIQVOR *infra centeſimum gradum ann. MDCCIII. quo procella graviſſima Nov. 26. incidit, ad finem iſtius menſis numquam ſubſedit*, 19. b.
TORRICELLIANA FISTVLA, vid. BAROMETER.

V.

VALETVDINE *infirma laborantes aetheris mutationes maxime ſentiunt*, 6. b.
VENTI *natura exponitur*, 2. b. *Ventorum tam certo, quam* incerto *ordine ſpirantium, variae cauſſae aſſignantur*, 5. b.
VERTIGINEM *comitiali morbo congenerem dixit Galenus*, 9. a. *Lunares plerumque ſervat periodos*, ibid. *Sanandi ratio*, 16. b. *Oculorum eſt morbus, unde originem trahit*, ibid.
VETERES *ab omni aevo morborum complurium acceſſiones, & circuitus a lunae viribus pendere crediderunt*, 1. a. *Cur paucis remediis uterentur*, 12. b. *Cur in febribus purgationes damnarent*, 19. a.
VIS AERIS ELASTICA *eſt pro ratione preſſionis, quae ei incumbit*, 3. b. *Fumis ſulphureis conficitur*, 5. a.
VIS CENTRIFVGA *ad aquas ſub aequatore elevandas juxta Newtoni computationem*, 3. b.
VIS LVNAE *ad mare tollendum Newtoni calculo demonſtrata*, 3. a. *Aetheri, quam aquis aeſtus longe majores infert*, 4. a. *Vniverſum fere hominum genus illam agnoviſſe, & res ſuas ei accommodaſſe videntur*, 15. b.
VIS SOLIS *ad mare tollendum Newtoni calculo demonſtrata*, 3. a.
VLCERA *quaedam humoris aeſtus certa lege ſortiuntur*, 11. a. *Viri caſus fiſtula in colo inteſtino affecti, quae ingentem ſtercoris copiam, creſcente luna, excernere ſolebat*, ibid. *Adoleſcentis, qui ex lue venerea ulcus contraxit*, ibid. *A capitis vulneribus graviſſimum nova, plenaque luna imminet periculum*, 18. a.

INDEX

NOMINUM PROPRIORUM.

A.

AINSWORTHUS Henricus, 11. b.
ARETAEUS, 9. a.
ARISTOTELES, 15. b.
ASCLEPIADES, 14. b.

B.

BACCIUS, Andreas, 21. b.
BACONUS, Franciſcus, 13. b.
BAGLIVI Georgius, 11. a.
BARTHOLINUS, Thomas, 7. b. 11. b.
BELLINI, Laurentius, 16. b.
BELLONIUS, Gulielmus, 13. a.
BULLICHIUS, Hafniae Praeſes, 11. b.

C.

COELIUS AURELIANUS, 9. a. 17. 2.
CELSUS, 14. b. 16. b.
COKBURNIUS, Philoſoph. Prof. Edinburg. 10. b.
COLUMNA, Fabius, 16. b.
CROMWELLUS Olivarius, 21. a.

D.

DIEMERBROEKIUS, Isbrandus, 14. a.

E.

ETMULLERUS, Michael 17. b.

F.

FLOYERUS, Ioannes, 12. a. 19. a.
FREIND, Ioannes, 17. b.

G.

GALENUS, 9. a. 14. a. 15. a.
GOAD, Ioannes, 2. a.
GREGORIUS, David, 10. b.
GROENVELTIUS, Ioannes, 11. b.

H.

HALLEIUS, Edmondus, 3. b. 4. b. 5. b. 13. b.
HELMONTIUS I. Baptiſta, 12. a. 19. a.
HIPPOCRATES, 1. b. 10. a. 14. b. 15. b. 18. b.

K.

KERKRINGIUS, Theodorus, 12. a.

L.

LINDANUS, Ioann. Ant. 17. b.
LUCILIUS Poeta, 12. a.

M.

MANILIUS Poeta, 12. a.
MUSGRAVE, Gulielmus, 10. b.

N.

NEWTONUS, Iſaacus, 2. b. 3. a. 5. a.

O.

ORUS APOLLO, 18. a.

P.

PANAROLUS, Dominicus 16. b.
PISO, Carolus, 9. b.
PITCARNIUS, Archibaldus, 8. a. 9. a. 10. a. 11. a.
PLATERUS, Felix, 20. b.
PLINIUS, Senior, 15. b.
PYTHAGORAS, 14. b.

R.

RAMAZZINUS, Bernardinus, 4. a. 4. b. 13. a.
ROLFINGIUS, Guernerus, 20. b.

S.

SANCTORIUS, Sanctorius, 11. a.
SCULTETUS, Ioannes, 20. b.
SYDENHAMUS, Thomas, 8. b. 14. a.

T.

TORRICELLIUS, Evangel. 4. b.
TULPIUS, Nicolaus, 9. b. 11. b.
TYSON, Edvardus, 9. a.

RICHARDI MEAD,

Colleg. Medicor. Londin. & Edinburg. Socii, Reg. Societat. Sodalis, & Medici Regii,

DE VARIOLIS,

ET

MORBILLIS

LIBER.

HUIC ACCESSIT

RHAZIS

DE VARIOLIS,

ET

MORBILLIS

COMMENTARIUS,

Ex Arabico Latine redditus.

Ad Editionem Londinenſem.

PRAEFATIO.

LIBRI hujuſce magnam partem aliquot abhinc annis chartis mandavi, & jam pridem totus abſolutus atque in lucem editus fuiſſet, niſi interceſſiſſent curae graviores, quibus otii mei intervalla, numquam profecto ſatis longa, plus juſto contrahebantur. Haec autem mora, & operis intermiſſio in emolumentum forſan cedet lectori; quum quidquid incommodi ſecum afferat longa aetas, id plerumque rerum ſcientia & experientia in arte penſatur. At quibus de cauſſis laborem hunc primum ſuſceperim, jam paucis exponam.

EDIDIT *A. D. MDCCXVII.* vir doctiſſimus, Joannes Freind, *Hippocratis de morbis popularibus Librum primum, & tertium*, quibus *novem de febribus Commentarios* accommodavit. Ex his *ſeptimus* eſt *de purgatione in febre putrida, quae variolis confluentibus ſupervenit*. Huic autem, ad ſententiam ſuam confirmandam, *Epiſtolas* quatuor Medicorum ad ſe datas adjunxit, inter quas uni praebuit locum, quam a me acceperat. Etenim, poſtquam per annos bene multos in Noſocomio *Divi Thomae* Londini medicinam feceram, anno MDCCVIII. obſervavi nonnullos variolis, quae maxime peſtiferae videbantur, laborantes, quum alvi fluxus nono, aut decimo morbi die, vel interdum citius, eos exercuiſſet, praeter ſpem incolumes evadere. Hinc igitur, quid ad illos juvandos, quibus hac aegritudine correptis alvus per totum morbi tempus adſtricta eſſet (id quod in plurimis uſuvenit) leni medicamento ſub finem facta ventris ſolutio valeret, experiendi conſilium cepi. Res ex ſententia ſucceſſit, & multos, quibus maximum imminebat vitae periculum, hac medendi ratione ſalvos praeſtiti.

ERAT mihi tunc temporis, & quidem ad extremum uſque vitae ipſius terminum amicitia conjunctiſſimus, dictus modo Clariſs. Freindius; utque aſſidui fere inter nos de rebus medicis ſermones habebantur, illi rem hanc expoſui, qui factum laudabat. Et quum non multo poſt ipſe, una cum aliis duobus magni nominis Medicis, nobilem quemdam juvenem graviſſime variolis oppreſſum curaret, in animo habuit medicinam hanc experiri. Illi autem pertinaciter repugnare pergebant; donec tandem die ab eruptione puſtularum decimo quarto, quum ad extrema jam ventum eſſe teſtarentur convulſiones cum veterno ingruentes, ut leni potione ſolveretur venter, concederent; quod magno cum levamine factum eſt. Hanc igitur repetere voluit Freindius; quod quum non permitteretur, ſeptimo poſt

die

die vi morbi victus occubuit aeger. Rem hanc omnem ipſe fuſius narravit (*a*).

Post haec, varii ſuper ea re ſpargebantur rumores, & a Medicis noſtris in parte diſceſſum eſt, laudantibus his, culpantibus illis Freindii conſilium, qui, quum famam ſuam hinc laedi crederet, eam vindicare ſtatuit. A me igitur petiit, ut ea, quae nuper oretenus cum illo communicaveram, litteris mandata ipſi tradere vellem. Nefas duxi amico quidquam denegare, qui *Schedulam* meam magno noſtro Radclivio perlegendam dedit, viro ut ſummi ingenii, ſic & conſummatae in arte experientiae, mihique familiariſſimo. Dixerat autem Radclivio Freindius, velle ſe Defenſionem ſuam in publicum edere. Rogavit itaque me Radclivius, ut ei veniam darem chartulam meam libello ejus adjungendi; neque id quidem recuſavi. At quum typis jam impreſſae eſſent duae vel tres ſchedae, amicorum quorumdam ſuaſu deſtitit ab incepto, & tam ſua, quam mea ſuppreſſit, & ad id tempus apud ſe tenuit, quo dictos modo *Commentarios* in lucem emiſit. Dum autem hoc opus ſuum urgebat, iterum de edenda ſimul *Epiſtola* mea cogitabat. Hanc igitur in manus denuo ſumſi, in Latinum ſermonem (nam vernaculo ſcripta fuerat) converti, amplificavi, & in eam, quam nunc habet, formam redegi.

Rarissime quidem evenit, ut nova medendi via in quolibet morbo omnibus arrideat: hanc autem a primo, quod dixi, tempore non ſolum Freindius, & ego aſſidue tenuimus, ſed & multi tam urbe, quam ruri degentes Medici, a nobis accipientes, feliciter ſunt experti. At eſt ubique genus hominum malevolorum, qui opera aliena ſugillare & convellere totis viribus contendunt; quaſi tantum laudis ſibi apponi putarent, quantum aliis detraxerint. Freindii igitur libro in lucem emiſſo, horum nonnulli protinus ad arma confugiunt, tamquam pro ſalute civium dimicaturi. In his primas tenuit Joannes Woodwardus, Medicinae Profeſſor Greshamenſis, qui quum vitae ſuae tirocinium in officina lintearia poſuiſſet, deinde, collecta conchyliorum, lapidum, mineralium, & conſimilium rerum foſſilium farragine, philoſophus videri voluit, & in Medici cujuſdam familiam poſtea admiſſus, amicorum gratia lauream medicinalem adeptus eſt. Vir moribus incultis, faſtoſus, & alienae laudis invidus. Hic igitur in libro *de Statu Medicinae*, lingua vernacula ſcripto, in Freindium, & amicos ejus, meque in primis, debbaccatus eſt, non argumentis, neque experimentis, quae ipſi nulla erant, ſed opprobriis & conviciis rem ſtrenue agens. Nolim commemoratione mea famoſo libello, cujus jam pe-

riit

(a) *Vid. Freindii Opera pag.* 263.

riit fere memoria, vitam reddere, ob quem ipſo Freindio ſtatim ludibrium debuit. Neque haec ſane chartis illeviſſem, niſi ea mihi extorſiſſet hominis arrogantia, & inanis gloriae cupido; quae ſi prolixius forte perſecutus eſſe videar, hoc ideo feci, ut manifeſtum fieret, tum quo auctore haec medendi ratio initium habuerit, tum etiam quam nullo fundamento inniterentur ea, quae vir iſte maledicus contra blateravit.

Quod ad *Librum* hunc attinet, perſpicuum potius, quam ornatum dicendi genus in eo ſecutus ſum, breviter & ſingulatim praecepta quaeque exponens. Iis autem, quae ad medicamenta cathartica ſpectant, cautiones nonnullas atque proviſiones in juniorum praeſertim Medicorum gratiam adjeci, qui non raro propenſe nimis & audacter nova quaeque ab iis ſaltem, quos in honore habent, profecta imitantur & in uſum trahunt. Nihil enim univerſe & ſine exceptione utile eſſe poteſt; & non minoris ſaepe judicii re eſt μὴ βλάπτειν, *non laedere*, quam ὠφελέειν, *prodeſſe* (*a*). Neque profecto hic tantum, ſed & in omni arte noſtra illud ſemper in memoria habere Medicum oportet:

Nil prodeſt, quod non laedere poſſit idem (*b*).

Postquam opuſculum hoc ſcripſeram, cogitare coepi, me rem neque inutilem, neque ingratam Medicis facturum, ſi Rhazis librum *de variolis, & morbillis*, ex Arabica ſua lingua in Latinam converſum, ei adjungerem.

In illo enim plurima tam ad natura, quam ad curationem horum morborum ſpectantia fuſius exponuntur; quae quidem, habita temporum, & regionis ratione, noſtris non multum abſimilia deprehendentur; ut gaudeam ſane Medici ſui ſaeculi primarii experimentis noſtram ſententiam confirmari. Et quidem ſubiit aliquoties mirari, librum iſtum numquam antea, quod ſciam, aut Arabice, aut ex Arabico Latine typis impreſſum prodiiſſe. Edidit illum primus Graece Robertus Stephanus, Alexandri Tralliani *Operi* adnexum, *A. D. MDXLVIII.* hoc titulo: Ῥαζῆ λόγος περὶ λοιμικῆς, *Rhazis ſermo de morbo peſtilenti*. Hunc Latine tranſtulerunt tres interpretes, quorum primus fuit Georgius Valla Placentius, cujus verſio edita fuit Venetiis anno *MCCCCXCVIII.*, & ſaepius deinceps. Hanc ſecuta eſt Jo. Guinterii Andernaci, quae lucem aſpexit Argentorati ann. MDXLIX. Utrique ſucceſſit Nicolai Machelli, Medici Mutinenſis, quae prodiit Venetiis ann. MDLV. & MDLXXXVI. (*c*) At ipſe liber Graecus non ex Arabica, ſed Syriaca, ut titulus indicat, lingua traductus eſt; verſione in uſum vulgi, ut credere par eſt, confecta. Proinde multa in eo, aut Syriaci,

aut

(a) *Vid. Hippocrat. Epidem. Lib.* I. (b) *Ovid. Triſt. Lib.* II. *v.* 266.
(c) *Vid. Fabric. Bibl. Graec. V.* XII. *P.* 692.

aut Graeci interpretis hallucinatione, partim omitti, partim perperam verti, qui cum illa, quam ex Codice Arabico hic damus, contulerit, facile videbit. Codicem autem iſtum quemadmodum nactus ſim, hic breviter indicabo.

Postquam in publicis noſtris Bibliothecis librum hunc Arabice exaratum fruſtra quaeſiveram, litteras dedi ad virum celeberrimum, mihique amiciſſimum, Boerhaavium, in Academia Lugdunobatava Medicinae Profeſſorem, rogans ut perquireret, cum forte in Academiae ſuae Bibliotheca, quam manuſcriptis Arabicis inſtructiſſimam eſſe noveram, aliquis reperiri poſſet. Is autem exemplar, a Linguae Arabicae illic profeſſore deſcriptum, mox perhumaniter ad me tranſmiſit, in locis tamen quamplurimis corruptiſſimum. Hoc duobus viris eximiis, ut in Latinum ſermonem converterent, invicem dedi. Alter horum fuit Solomon Negri, natione Damaſcenus, omniumque linguarum orientalium ſcientiſſimus, alter Joannes Gagnierus, in Academia Oxonienſi Linguae Arabicae Praelector clariſſimus; quorum uterque opus ſibi demandatum diligenter praeſtitit. Quum autem has verſiones conferendo non forma tantum dicendi, ſed & ſenſu quoque, nonnumquam inter ſe diſcrepare animadverterem Linguae Arabicae ipſe prorſus ignarus, utram praeferri oporteret, plane neſciebam. Quapropter amicum meum, Thomam Hunt, S.T.P., & in Academia Oxonienſi jam per aliquot annos Linguae Arabicae, nuperrime vero & Hebraicae Profeſſorem, virum in hoc litterarum genere inter alia peritiſſimum, ut hanc ſuſciperet provinciam, rogavi; qui, collatione cum exemplari, unde traductae erant, accurate peracta, eam, quae hic edita eſt, ex utraque confecit, meliorem ſine dubio daturus, ſi Codicem emendatiorem nactus fuiſſet. Tu, Lector, hiſce noſtris ſive laboribus, ſive otii oblectamentis, fruere, & vale.

Dabam Londini,
3. Kal. Oct. A. D.
MDCCXLVII.

DE

DE VARIOLIS, ET MORBILLIS,

CAPVT I.

De origine variolarum.

De variolis ſcripturus, in morbi hujus originem, quibuſque modis ab iis regionibus, ubi ortum habuit, ad ceteras omnes fere orbis terrarum partes propagatus ſit, quantum ex temporum annalibus colligere liceat, breviter primum in quiram. Ita enim & natura ejus clarius eluceſcet, eorumque ſimul, quae in curatione adhibenda poſtea proponentur, apertius conſtabit ratio.

Morbvm hunc novum eſſe, hoc eſt, antiquis Medicis, tam Graecis, quam Romanis ignotum extra dubium eſſe videtur. Fruſtra enim ſunt, qui *ἄνθρακας*, *carbunculos*, *ἐπινυκτίδας*, *nocturnas puſtulas*, & conſimilia in cute *ἐξανθήματα*, *efflореſcentias*, *variolas* noſtras eſſe contendunt. Etenim primos illos artis noſtrae magiſtros, in ſignis morborum omnium deſcribendis, & diſtinguendis diligentiſſimos, non breviter fuiſſe memoraturos, ſed prolixius depicturos credendum eſt, ſi modo atrox ſimul & contagioſum hoc malum agnoviſſent.

Ex Arabum igitur Medicorum libris petenda eſt prima morbi hujus notitia. Horum facile princeps Rhazes circa annum aerae Chriſtianae nongenteſimum inclaruit. Ille in volumine ingenti, quod *Continens* inſcribitur, theſauro rei medicae ex *Adverſariis* ipſius, ut videtur, congeſto, Aaronem quemdam tradit triginta libros *de Medicina* ſcripſiſſe, in quibus ſigna variolarum, genera diverſa, & curandi modum explicuit (*a*). Is Alexandriae natus, Mahumede imperante, anno DCXXII. medicinam exercuit (*b*). Hinc conjecit doctiſſimus Freindius, *in Aegypto fortaſſe prima exordia habuiſſe variolarum morbum* (*c*). At paullo antiquiorem originem ejus reperit vir Arabice doctiſſimus, Joannes Jacobus Reiske, qui in veteri Codice Arabico manuſcripto Bibliothecae Leidenſis haec verba ſe legiſſe dicit: *Hoc demum anno comparuerunt primum in terris Arabum variolae, & morbilli* (*d*). Annus autem ille erat poſt Chriſtum natum DLXXII., quo natus eſt ipſe Mahumedes.

Cetervm mihi rem omnem diligenter expendenti illud potius ſtatuendum videtur, morbos quoſdam eſſe, qui in certis regionibus, quaſi illarum indigenae, naſcuntur, & ſaeviunt. Hos *νοσήματα ἐπιχώρια morbos vernaculos*, dixit Hippocrates; eorumque nonnullos, in variis Europae, & Aſiae partibus, tam caeli, quam terrae, atque aquarum, quibus utuntur incolae, vitiis genitos, accuratiſſime deſcripſit (*e*). Graeci vero recentiores *ἐνδημίους*, *indigenas*, appellarunt (*f*). Hos nullo non tempore ſuis in locis viguiſſe exiſtimo; id nimirum perpetuo efficiente rerum natura.

Ex his autem quoſdam contagia ſecum ferre experientia compertum eſt, quae ſaepe in terras longinquas modis indoli ſuae convenientibus propagantur. Alii enim non ſolum morbidorum corporum contactu ſanos afficiunt, ſed eam vim habent, ut ſubtiliſſimis halitibus ex ſe ſpirantibus perniciem ſpargant, qui ſeminum more rebus ex materia molliore conſtantibus, ut xylino, lana, ſerico, & veſtimentis inde contextis, ſeſe inſinuant, ibique incluſi diu haerent: qua via peſtem, in Africa primum ortam, late diſſeminatam fuiſſe alias expoſui (*g*). Alii contra nonniſi tactu ipſo noxam inferre ſolent. Priores igitur commer-

(a) *Contin.* 419. 2. (b) Vide *Abulpharai Hiſtor. pag.* 99. (c) *Oper pag.* 330.
(d) *Diſput. inaug. Lugduni Bat.* MDCCXLVI. (e) *Lib. de aere, locis, & aquis.*
(f) Vid. *Galen. Com.* I. *in Epidem. Hippocratis*.
(g) *Diſcourſe of the plague, Par. i. chap. i. pag.* 21. *edit.* 1744.

mercIis transferri poſſunt, poſteriores vero conſortiis tantummodo ſunt exitioſi.

De proximo hoc genere eſt lues venerea, quam certiſſima hiſtoriarum monumenta produnt in Americae quibusdam inſulis, ac praeſertim in Hiſpaniola vernaculam, ſub finem ſaeculi decimi quinti commercio navali in Hiſpaniam delatam fuiſſe; indeque in regnum Neapolitanum anno MCCCCCXCV. per bellum, quod Ferdinandus Hiſpaniae rex cum Gallis tunc temporis illic gerebat, migraſſe; in cujus copiis merebant milites, qui in dicta inſula morbum hunc contraxerant. Hi igitur cum iisdem mulierculis, ac Galli, conſuetudinem habentes, prout eaedem civitates ab utraque parte vi captae & receptae eſſent, foedum hoc malum primo in utrumque exercitum, deinde in Italiam, ceteraſque fere orbis terrarum partes intulerunt. (*a*)

Memini etiam me a mercatore quodam noſtrate, qui multos annos in Moſcovia degerat, accepiſſe, luem veneream illa regione ante tempora nuper imperatoris, Petri Magni, vix cognitam fuiſſe. Mercaturis enim ejuſmodi res populi iſtius fere agebantur, quae ſine magna conſuetudine & conſortio cum exteris fiebant. Poſtquam autem ipſe alias Europae partes inviſendi conſilium cepit, multoſque ex ſibi ſubditis artium diſcendarum cauſſa in illas mittere ſtatuit, hi in patriam ſuam hanc immoderatae libidinis poenam brevi importarunt; eo ſaeviorem illic futuram, quo difficilius ſub caelo frigidiore curationem recipiunt inflammationes, & ulcera.

Sed redeo ad variolas. Hic igitur morbus mihi vera peſtis, ſui generis eſſe videtur; lues in Africa primum genita, praeſertim in Aethiopia, quae pars ejus intolerabiliter eſt torrida, in Arabiam deinde, & Aegyptum (ut vaſtatrix illa populorum magna peſtis) iis, quos diximus, modis delata eſt.

Si quis autem miretur, non citius in diſſita loca ex ſolo ſuo natali hoc contagium ſerpſiſſe, is ſecum reputet, multo rariora fuiſſe antiquiſſimis temporibus, quam noſtris gentium inter ſe commercia, illarum praecipue, quae interiora terrarum incolebant; navigationes quoque non proinde, ac nunc dierum, longinquas fuiſſe inſtitutas. Hinc *mercaturae expertes fuiſſe Aethiopas* obſervavit inſignis hiſtoricus, Ludolfus (*b*). Idcirco, prout progreſſu temporis mutua hominum conſortia tam belli, quam pacis artibus frequentiora fiebant, peſtis haec ſe late diffudit. Per bella autem cum Saracenis, pro *Terra ſancta* in Chriſtianorum poteſtatem redigenda, ſub finem ſaeculi undecimi, & initio duodecimi geſta, vires maxime acquiſivit; quo factum eſt, ut hanc religioſarum ſuarum peregrinationum mercedem domum reportarint Europaei. Ab illo tempore in quibuſcumque hominum coetibus malum hoc ſumme contagioſum ſedem fixerit, in iisdem ſeſe adhuc ſuſtentat & tuetur. Tabum enim, quod ex puſtulis effluit, in ſtragulis, ac veſtimentis aegrotorum conceptum, ibique haerens & deliteſcens, fit morbi ſeminium, in iis mox pullulaturi, in quos ſparſum fuerit contactu; praeſertim ſi anni tempeſtas, atque aeris ambientis conditio foverint.

Non alienum, ut opinor, hic erit, ſi unicum exemplum ad ea, quae dicta ſunt, illuſtranda, & confirmanda, in medium adferam, quod retulit mihi vir quidam multarum rerum gnarus, qui Indicae ſocietatis noſtrae, in propugnaculo, *Sancti Georgii* dicto, praefectus diu illic commoratus erat. Eo igitur tempore eveniſſe dixit, ut navis quaedam ab Hollandia ad promontorium, quod *Bonae ſpei* vocant, appelleret, in qua nonnulli variolis in itinere egrotarant. Incolae autem illius loci, quos *Hottentotas* appellant, uſque adeo barbari ſunt & ſtupidi, ut mediam quamdam naturam inter bruta animalia, & homines ſortiti videantur, quibus uſu receptum eſt, ut officia omnia ſervilia nautis advenientibus praeſtent. Quidam igitur ex iis, in eluendis linteis, & veſtimentis ſanie morboſa infectis occupati, morbum eum contraxerunt, qui miſeros tam male habuit, ut maxima illorum pars perierit. Poſtquam autem experientia didicerant, malum hoc contagione ſpargi, non defuit eis ſollertia, qua ſe defenderent. Munimentis itaque ex vallis contra hanc peſtilentiam pugnabant, quae adeo diligenter, qui adhuc erant ſani, cuſtodiebant, ut telis occiderent, ſi quis ex vicinis jam vi morbi repletis ea tranſilire aggrederetur. Memorabilior videtur haec narratiuncula, quod ex ea manifeſtum, populum artium & rerum fere omnium rudem, ut illa fa-

(a) Vid. *Aſtruc de morbis veneris*, *Lib.* 1. *cap.* 10. & 11.

(b) *Hiſtor. Aethiop. Lib. IV. cap. VII.*

faceret, neceſſitate fuiſſe impulſum, quae nos, ſola ratione duce, ad peſtem depellendam fieri olim praecepimus (*a*); quaeque deinceps, quum atrociſſima illa calamitas aliquot abhinc annis Galliam premeret, unde maximum omnibus Europae regionibus imminebat periculum, ad eam intra regni iſtius limites non modo coercendam, ſed & penitus exſtinguendam, feliciter valuerunt.

CAPUT II.

De natura, & generibus variolarum.

QVVM ex iis, quae jam expoſuimus, ſatis conſtet, variolas ex genere illorum eſſe morbum, qui peſtilentes vocantur; quo clarius natura earum cognoſcatur, de Peſtilentia quaedam in anteceſſum ſunt dicenda.

FEBRES omnes, ſi recte judico, quae toti corpori inſident, in tria genera, *ſimplices* nimirum, *putridas*, & *peſtilentes*, commode diſtingui poſſunt.

SIMPLICES a concitato nimis ſanguinis motu diu continuato, turbataque hinc ejuſdem miſtura, atque interrupta humorum in partes corporis ſecretione, oriuntur.

PVTRIDAE fiunt, quum, permanente hoc rerum ſtatu, lentor quidam anguſtiſſimis ſanguinis canaliculis innaſcitur; qui ſenſim vi circumeuntis ſanguinis abreptus, & in venas translatus in putrorem vertitur, & humores virtute maligna imbuit, qui cum viſcera, tum ſummam cutem labe ſua inficiunt.

PESTILENTES denique febres eas appello, quae venenum quoddam haud unius generis conjunctum ſecum ferunt. Qualecumque autem id ſit, non ſanguinem tantum, ſed praecipue ſubtiliſſimum nervorum liquorem, quem ſpiritus animales dicunt, contaminat & corrumpit. Hinc celerius & violentius, quam ceterae, hae agunt, & omnium maxime ſunt letales. Illud tamen cunctis febribus eſt commune, ut natura, quaſi luctatione quadam orta, id, quod vitae infeſtum eſt, foras corpore pellendo morbum vincere conetur.

QVANDOQVIDEM autem vocem *naturam* in omnibus fere morbis curandis uſurpant Medici, quid, mea ſaltem ſententia, per eam intelligere debeamus, ſemel hic aperte dicam. Aliquid in nobis eſſe, quod ſentiat, cogitet, & ratiocinetur, manifeſto conſtat; cujus tamen natura in hac vita plene & perfecte concipi nequit. Hanc igitur diſquiſitionem iis relinquemus, qui, quum ea, quae ſub conſpectum cadunt, nimis ignorent, illa malunt inveſtigare, quae nulla humana ratio capere poteſt. Qualecumque autem ſit, incorporeum quiddam eſſe conſentiunt ſaniores omnes Philoſophi. Quomodo enim poterit materia iners, & per ſe omnis motionis expers, cogitationis, quae ipſa eſt motionum omnium excellentiſſima, fons eſſe & prima cauſſa? Spiritum igitur quemdam eſſe, a materia terreſtri natura prorſus diverſum & diſſociabilem, corpori tamen noſtro conjunctiſſimum, qui primus ſit motor, ſatis apparet.

ET mihi quidem veriſimile videtur, non unius generis eſſe actuoſum hoc principium, ſed aliud hominibus, aliud beſtiis dediſſe ſupremum rerum Creatorem; illud virtutis adeo divinae, ut etiam a corpore ſejunctum, vivere adhuc poſſit, & ſentire; hoc ordinis ita inferioris, ut ſimul cum corpore intereat. Prius illud *animum*, poſterius *animam*, ex veteribus nonnulli appellarunt (*b*), quorum utrumque nobis ingeneratum eſſe non recte ſatis, ut opinor, ſtatuerunt. Vti enim brutorum animantium vitae ſufficit ſua *anima*, ita noſter *animus* illo adminiculo non indiget. Ea autem res, ſi recte conjecturam facio, in hunc modum ſe habet. Ita comparata eſt fabricae noſtrae ratio, ut mens corporis moderatrix, ubi noxa aliqua ei infertur, ſpiritus animales, quos dicimus, motionum omnium inſtrumenta, ſic impellat, ut iſtae commotiones in ſanguine, & humoribus excitentur, quibus periclitanti toti machinae ſubſidium ferri poſſit. Impetu vero tam repentino hoc peragitur, ut inſtinctu quodam, non motu voluntario, fieri videatur; quum in nobis tamen animi imperio, in beſtiis animae ipſarum

(a) *Diſcourſe of the plague*, *P.II. c.2. pag.*109.

(b) *Juven. Sat. XV.* 148.

Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animam, *nobis* animum *quoque*.
Vide etiam Daviſii Not. ad Cicer. Tuſcul. Diſput. Lib. I. *cap.* 10.

rum vi efficiatur. Et ſane ipſi illi motus qui naturales,& vitales dici ſolent,quales ſunt cordis, pulmonis, & inteſtinorum, qui nobis non volentibus per totam vitam continenter præſtant, ut a mente initium habet: ita perpetuo ab ea reguntur. Poſſem id multis argumentis confirmare, ſed non eſt hujus loci, aut temporis. Et praeterea laborem iſtum doctiſſimus & ingenioſiſſimus Medicus Edinburgenſis, Porterfieldius, ſupervacaneum reddidit, qui in luculenta *Diſſertatione*, nuper edita (*a*), hanc rem tam clare expoſuit, ut nullus de ea poſſit eſſe dubitandi locus.

Sed a phyſicis ad medica iterum revertor. Doctrinam hanc ita ſecutus eſt ſagaciſſimus noſter Sydenhamus, ut affirmaverit, *Morbum nihil eſſe aliud, quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem in aegri ſalutem omni ope molientis*. (*b*) Quam ſcientiam more ſuo Λακονικῶς enuntiavit Hippocrates quum dixit: *morborum naturae medici*. (*c*) Hoc autem in peſtilentibus potiſſimum febribus animadverti, in quibus ad ſummam cutem vis morbida poſtularum, carbunculorum, & bubonum forma prorumpit; quae omnia ſunt ipſum morbi venenum, ut experimentum vulgare, quo variolae per inſitionem ſanis corporibus inferuntur, aperte demonſtrat. Liquet igitur venenatam quamdam febrem eſſe variolas, quarum genera jam ſunt exponenda. Hiſtoriam enim hujus morbi ex Sydenhamo petendam relinquam, qui progreſſum ejus in certa tempora primus diviſit, ſingulisque medicinam accommodare docuit.

Plerique ſcriptores *variolas* in *diſcretas*, & *confluentes* diſtinguunt, poſtularum magnitudine, numero, & erumpendi modo utraſque aeſtimantes. Tantopere autem inter ſe diſcrepare ſtatuunt, ut illas quidem vix ullum periculum adferre, has vero numquam non terribiles eſſe denuntient. Et certiſſimum quidem eſt, multo pejores plerumque *diſcretis* eſſe *confluentes*, longeque plures his, quam illis perire. Fit tamen interdum, ut *diſcretae confluentibus*, quales uſitate contingunt, ſint pernicioſiores. Immo multa ſymptomata, quae maxime periculoſa ſunt, in *diſcretis* ſolis eveniunt, ut ſtatim dicemus. Non enim tam a purulentae materiae copia, quam ab aliis rebus circumſtantibus, quarum cauſae mox proponentur, imminet exitium.

Rectius itaque, ut mea fert opinio, & ad morbi naturam accommodatius, *variolae* in *ſimplices*, & *malignas* dividi poſſunt.

Simplices appello, quae cum febre ſimplici cito deſinente prorumpunt, facile mateſcunt; in pus ſincerum paucos poſt dies vertuntur, & in cruſtas tandem decidunt.

Malignae autem ſunt, quae cum febre maligna ſe oſtendunt, aegre ad maturitatem perveniunt, & prorſus non ſuppurant; aut ſi aliquatenus id eveniat, calore febrili, numquam ſe remittente, non ſine magna moleſtia in cruſtulas vertuntur.

Malignitas iſta pro diveſa puſtularum natura formis tam variis ſe prodit, ut notae illius alias, atque alias appellationes variolis dederint; quarum differentiae, quas mihi obſervare licuit, praecipuae ſunt ſequentes. Puſtulae enim aut *cryſtallinae*, aut *verrucoſae*, aut denique *ſanguineae* oriuntur. Haud ignoro plura interdum ab auctoribus tradi horum exanthematum diſcrimina, quae tamen aut ex nonnullis eorum conjunctis componuntur, aut varii tantum ſunt eorumdem gradus: quod in morbo enormi ſaepe accidere ſolet.

Crystallinas autem puſtulas appello, quae loco puris craſſi atque concocti nihil praeter laticem quemdam tenuem, pallidum, & perlucentem quodammodo continent. Quod genus non modo in *confluentibus*, ſed etiam in *diſcretis*, interdum videmus.

Verrucosae dicuntur, in quibus nullus humor puſtulis illabitur; ipſae vero indureſcunt, & verrucis ſimillimae extra cutem exſtant & prominent. Hae autem ad *diſcretum* morbi genus pertinent.

Sanguineae puſtulae non uno modo protruduntur. Vidi enim quum in ipſo morbi principio tubercula minuta, ſanguine atro turgida, repraeſentarent; qualia in cute forcipe compreſſa evenire ſolent. Has autem maculae purpureae, lividaeque interſperſae, cujuſmodi in vera peſte deſcribunt Medici, mox exceperunt. Saepius autem accidit, ut puſtulae confertim erumpentes, tertio, vel quar-

(a) *Vid. Medical Eſſas published at Edinburg*, *Vol.* III. *Eſſay XII.& Vol.IV. Eſſay XIV.*
(b) *Obſervation. medic. circa morborum acutorum hiſtoriam*, in princip.
(c) Νόσων φύσιες ἰητροί *Epidem. Lib. VI.*

quarto poſt die, quum jam matureſcere deberent, lividae, & ſubcruentae evadant, maculis nigris per totum corpus ſparſis, quae intra diem unum, aut alterum, mortem adventantem prenuntiant. Hae enim verae ſunt gangraenae. Saepiſſime hoc tempore ſanguis tenuis non ex ore tantum, naribus, & oculis emanat, ſed per cunctos etiam corporis meatus, maximeque urinae itinere perfluit, quo etiam primis aegritudinis diebus nonnunquam egreditur. De genere *confluentium* has eſſe variolas ipſis oculis pateſcit.

Hisce quartum variolarum genus adjungit Cl. Freindius (*a*), quod *ſiliquoſum* vocat; in quo nempe puſtulae, omni liquore vacuae, veſiculas quaſdam rotundas, molles, & concavas referunt. Hae autem *cryſtallinis* mihi accenſendas videntur, utpote non aliter ab illis diverſae, quam quod extruſus jam humor partim per cutem ſtatim tranſudet, partimque per canales, qui lympham in corpore circumferunt, abſorbeatur.

Ardui ſemper operis eſt veras rerum cauſſas inveſtigare, interdum etiam ſupervacuum. Sin velimus in rationes horum omnium diſcriminum inquirere, quantum ſane aſſequi poſſum, praecipue ſunt, *temperamentorum* in ſingulis corporibus infinita fere diverſitas; *anni tempora*, eorumque varietates; *permulta* denique, quae corpori, contagio jam ſuſcepto, accidunt, dum venenum in partibus interioribus deliteſcat, nec morbum adhuc produxerit. Inſitio enim variolarum nos docuit, non niſi poſt octo demum, vel novem dies ab intromiſſo contagio malum hoc certis ſignis ſe oſtendere.

Mirabitur forſan aliquis, quod in his cauſſis ipſam peſtiferi ſeminis naturam non memoraſſem. Praeterquam autem quod nullis modis haec cognoſci poſſit, ad varium morbi genus producendum haud magnum habere momentum videtur. Saepiſſime enim in eadem familia, ubi, terra hac lue saeviente, alii ab aliis vi contagionis corripiuntur, his bene, illis vero male rem cedere percipimus.

Temperamenta autem corporum tantum valent, ut quaſi jure hereditario ad conſanguineos deſcendant; unde morbi quidam familiares deprehenduntur, & certis familiis exitiales.

(a) *Epiſt. De quibuſdam variolarum generibus*.

Anni tempora alia aliis morbis opportuniora eſſe, ac febres, quae per populum graſſantur, inde oriri, illaſque maxime, in quibus humor aliquis per cutem propellitur, horum varietates ſentire, quotidie experimur.

Innumera autem ſunt, quae tertio loco poſui; ea nimirum omnia, quae a prima contagii admiſſione ad tempus uſque eruptionis exanthematum incidunt. Neque enim quieſcit his diebus virus malignum, ſed aſſidue, ſenſimque vires ſuas exſerit, ſpiritus primum animales, mox ipſum ſanguinem, atque humores vitiando. Si contingat igitur, ut corporis exercitationibus, aut cibis, & potionibus, aut denique animi affectionibus (quia omnia hic plurimum poſſunt) mutationes in fermenteſcentibus jam humoribus fiant, puſtularum genus varium eo fortaſſe, quo jam dicturus ſum, modo facile efficient.

Simplices igitur variolae ſunt ſeppurationes factae, dum ſanguis non ita vitiatur, quin liquorum derivationes in partibus idoneis aliquatenus perfici poſſit, nec prorſus laedantur actiones naturales. In *malignis* autem ſecus ſe res habet. Humores enim omnes plus, minuſve pro ratione morbi corrumpuntur; & ipſa ſanguinis miſtura ita perturbatur, ut materia purulenta in cutem abſcedere nequeat. Quod quum fit, tenuis interdum liquor exprimitur, qui variolas, ſi aquoſus ſit, *cryſtallinas* gignit; ſi ſpiſſior, & tenax, *verrucoſas*; intus vero ſi recedat, & in canalibus, qui lympham vehunt, receptus veſiculas, quas excitaverat, vacuas relinquat, *ſiliquoſas*. Non raro autem omnibus vitae officiis ineptus ſanguis in ductibus ſuis obſtruitur ac haeret. Et tunc quidem maculis nigris, quae verae ſunt gangraenae, cutis ſuffunditur, cruorque per omnes meatus corporis profluit, Vnde ſpecies haec *ſanguinearum* nomen eſt adepta. Dira haec ſymptomata acris veneni effecta eſſe vel hinc patet, quod eadem omnia commorſis a ſerpente quadam Africana, *haemorrhoide* dicta, contingunt; uti a Lucano, poeta in deſcribendis rerum naturis nulli ſecundo, ſunt depicta. Sic enim ille:

Im-

Impreſſit dentes haemorrhois aſpera Tullo,
Magnanimo juveni, miratorique Catonis:
Utque ſolet pariter totis ſe effundere finis
Corycii preſſura croci, ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilatum ſanguine virus.
Sanguis erant lacrymae; quaecumque foramine novit
Humor, ab his largus manat cruor; ora redundant,
Et patulae nares, ſudor rubet; omnia plenis
Membra fluunt venis, totum eſt pro vulnere corpus (a)

Sed ab his, quae terrent, ad ea, quae juvare poſſunt, tranſire oportere.

CAPUT III.

De variolarum curationibus.

MORBOS omnes peſtilentes ſummam ſanguinis, & humorum inflammationem ſecum ferre conjunctam evidentiſſimum eſt. Idcirco exinanitiones, & refrigerationem ſinguli deſiderant. Incipiam autem a *ſimplicibus* variolis, deinde, quae ad *malignas* pertinent, particulatim perſequar.

SED enim ante omnia hic quaerendum eſt, qua ratione aegrum contineri, quibuſque cibis eum nutriri oporteat.

QVOD ad prius igitur ſpectat; uti anni tempora, ita ſimul aetas, ac vires aegrotantis maxime conſiderari debent. Tuto enim illa aeſtate fiunt, quae hieme non ſine periculo tentantur; & commode id fert juvenis, aut vir robuſtus, quod infantem, aut tenerum feminarum corpus peſſundat. Illud autem in univerſum eſt tenendum, ut primis morbi diebus in lecto decumbat aeger; idoneiſque praeſidiis tam hiemis inclementiam arcendi, quam fervidos aeſtatis calores aura frigidiore temperandi cura adhibeatur. Tempore vero hiberno aegrotaturum perfrigerare, & corpus gelu quaſi conſtringere, non eſt Medici prudentis, ſed temerarii Empirici, per miſerorum hominum mortes experimenta capientis. Media itaque via incedendum eſt, & eo modo habendus aeger, ut neque calore, aut veſtimentis ſtranguletur, neque frigore pellendae per cutis meatus materiae exitus prohibeatur. In primis autem curandum eſt, ut purum aerem, eumque frigidulum, ubertim trahere poſſit; calidus enim ſpiritum reddit difficilem, urinae profluvium cohibet, & puſtularum circa praecordia, & viſcera erumpentium numerum adauget; unde inflammationis, & ſub finem morbi gangraenae major oboritur metus. De alimentis ſequitur quaeſtio. Haec autem tenuiſſima, humectantia, & refrigerantia eſſe debent, qualia ſunt *ptiſanae hordeaceae* vel *avenaceae cremor*. Attamen, quum morbi temporibus accomodandi ſint cibi, ea in principio eligenda eſt victus ratio, quae ſimul alvum laxare, & urinam movere poſſit. Haec commoda praeſtant fructus dulces, conditi cibis incocti, & ſubacidi liquores potui dati: inter illos praecipui ſunt *ficus*, *pruna damaſcena*, & *tamarindi*; inter hos cerviſia tenuis *cum ſucco malorum aurantiorum*, *aut limoniorum*, ſerum *lactis pomis incoctis aut vino coacti*, emulſiones *ex decocto hordei*, *& amygdalis*, vinum *Moſellanum*, *aut Rhenanum aqua bene dilutum*; & ſi quae ſunt hujus generis alia.

MEDICI Arabes, ſi hac diaeta non ſatis ſolveretur venter, *mannam* adjiciebant; moderate tamen, & caute. *Neceſſe enim omnino eſt*, inquit Avicenna, *in principio lubricam eſſe alvum* (b). Cui ſapientiſſimo monito nullum utilis in hoc morbo curando dari poterit; ſi modo illud adjungatur, quod oportet ſemper copioſe fluat urina. Mirum enim eſt cuti cum renibus conſortium; quo fit, ut facillime per hos expurgetur, quicunque humor per illius glandulas ſecerni ſolet. Convenit ergo, ut per has vias ducatur, quantum poteſt, morbi materia, ne partes internae graventur.

SED ad medicamenta jam pergamus. Et in primis quidem neceſſaria eſt *ſanguinis miſſio*. De qua, quum lites hic ſaepe moveantur, praecepta quaedam ſunt tradenda.

IN aetate igitur tenerrima hanc parum convenire res eſt confeſſa. Quandoquidem autem craſſior ſit plerumque infantium ſanguis, & ſaepe pro mole corporis abundantior, atque, invadente morbo, convulſionibus frequenter corripiantur; demere materiam aliquo modo oportet; quod hirudinum ſuctu ex temporibus, vel pone aures, tuto fiat. Neque incommode ſane, ſi non ex bra-

(a) *Lib.IX.* 806.

(b) *De variolis*, *& morbillis*.

brachio, ex vena tamen alterutra jugulari, in pleriſque ſanguis emitti poteſt.

Virivm aegri, quaecumque ſit aetas, habendam eſſe rationem, nemo non videt. At raro ita imbecillae ſunt, ut nullam ſanguinis detractionem ſuſtinere poſſint, niſi forſan inſignes aliquae exinanitiones praeceſſerunt. Neque nimium hic arteriarum pulſibus fidendum eſt; ſaepe numero enim fit, ut e ſpiſſo ſanguine parcius ſolito ſecernantur in cerebro ſpiritus animales, & minore vi propellatur a corde liquor vitalis; quo caſu ſanguinis miſſione etiam augeri vires, antea oppreſſae, obſervantur.

Qva vero proportione is detrahendus ſit, ex morbi vehementia optime dignoſcetur. Medici noſtri plerique, ſemel miſſo ſanguine, officio ſuo ſe ſatisfeciſſe putant; & valde metuunt, poſtquam jam coeptae ſunt protrudi poſtulae, quidquam e venis detrahere; ne ſcilicet reprimatur materiae effluxus. At nimium profecto hic ſunt cauti. In juvenibus enim, & adultis non raro bis, vel etiam ter ſanguinem demere neceſſe eſt; diviſa nimirum in biduum, vel triduum iſta medicina. Etenim adeo non obſtat eruptioni puſtularum, modo conſtent vires, ſectio venae, ut ex contrario multum adjuvet; eademque de cauſſa, qua in magnis abſceſſibus, quum materia ultra modum turget, & nimius premit calor, detracto ſanguine, ſuppuratio citius, ac plenius ſuccedit.

Saepe obſervavi, quum initio aegritudinis exanthemata parvula, & denſa morbum peſſimi generis minarentur, miſſo ſemel atque iterum ſanguine, rerum faciem ita mutatam fuiſſe, ut majora & numero pauciora comparerent (morbi nimirum magnitudine medicinae magnitudini concedente) quo pacto humorem noxium expellendi facultatem natura acquirebat. Pro certo enim habendum eſt naturam, quae tranquilla omnia in corpore deſiderat, & a turbulento rerum ſtatu ſemper abhorret, veneni ejectionem perfectiſſimam moliri, hoc eſt, id agere, ut puſtulae quam maxime tumeant. Neque ſane ideo pejores ſunt *diſcretis* variolae *confluentes*, quod morbi materia in his abundantior eſt, ſed quoniam modo convenienti non propellitur. Inita enim recte ratione, copiam humoris majorem plerumque in *diſcretis* effluxiſſe comperimus.

Vt finem faciam, illud emolumenti ex larga, & repetita ſanguinis detractione percipimus, ut ea inhibeat mala, quae morbo ſaepe ſuperveniunt; qualia ſunt delirium, convulſiones, ſpiritus difficultas, & ſimilia. Porro ex cadaverum inciſionibus non modo corporis exteriora, ſed interiora quoque, peſtilentiam hanc occupare diſcimus. Vidi enim, in quibus pulmo, cerebrum, jecur, & inteſtina, puſtulis tota conſpergerentur. Neque ſane dubito, quin inopinae iſtae mortes, quae aliquando ſub finem hujus morbi, quum nullus omnino metus ſubeſſe videatur, aegrotantes opprimunt, ex profuſa in hanc, aut illam partem nobiliorem exanthematum diruptorum ſanie contingant. Idcirco in nulla febre incertiora ſunt de vita, aut morte judicia, quam in ea, de qua hic agimus. In ſumma igitur, nullo non morbi tempore, ſi inſolita febris vehementia id requirat, demere materiam oportet, modo corpus id pati poſſe videatur. Semper enim ſatius eſt anceps auxilium experiri, quam nullum.

Phrenitis quarto poſt puſtulas excluſas die accedens peſſimi ominis jure habetur; ut, *qui hoc periculo conflictatus ad ſanitatem pervenerit, fere neminem ſe vidiſſe* dixerit doctiſſimus Freindius (*a*). At firmiſſime tamen affeverare poſſum, rem hanc melius mihi ceſſiſſe, qui multos eo tempore delirio captos, detracto quamprimum ſanguine, & infuſo in alvum clyſtere, ſalvos praeſtiterim.

Misso, quantum expedit, ſanguine, ventrem purgare convenit; quod quolibet ante puſtularum eruptionem die ſatis tuto fieri poteſt. At leni tantum medicamento uti oportet; cujuſmodi eſt *infuſio ſenae*, adjecta *manna*; aut, in pueris praeſertim, *manna* ſola. Neque enim turbae in corpore ſunt ciendae. Vomitus autem primum eliciendus eſt, ſi forte pituita, aut bilis in ventriculo cojerit, aut cibis intempeſtive nuper ingeſtis oneratus ſit.

Simvl ac variolarum eruptionem inſtare certum eſt, hanc quibuſcumque modis promovendam eſſe Medici plerique contendunt. Meminiſſe autem oportet, hoc naturae ipſius opus eſſe, ideoque haud committendum,

(a) *Epiſt. De quibuſdam variolarum generibus.*

tendum, ut nimis incitetur motus ſanguinis, aut jam languere ſinatur.

Sapienter olim dixit Aſclepiades, *Febre ipſa ſe uti ad ejus remedium* (*a*). Illud nimirum volens, ita febrem moderari oportere, ut ipſa per ſe id, quod corpori nocet, foras ejiciat. Simul igitur inflammationem ſanguinis coercere, & materiae per cutem propulſionem adjuvare oportet. Ad utramque rem utilem eſſe comperi pulverem *ex pulvere* Bezoardico, & nitro puriſſimo confectum; ita ut illius duae ſint partes, hujus una. Interdum vero par utriuſque portio conjungitur. Pulveris illius drachmae ſemiſſem ter die, quaterve aſſumere poterit adultus; imminuta pro ratione aetatis in pueris quantitate. Huic etiam adjiciendus erit, ſi ſanguinis effervefcentia vehementer augeatur, *ſpiritus vitrioli*, liquoribus, qui potui dantur, idonea copia inſtillatus. Sin autem urgeant vomitiones, & nauſea, illas compeſcet potui adhibita *limonii ſucci* ſemuncia, cum *ſalis abſinthii* ſcrupulo uno commixta.

Sed & in morbo atroci de medicamentis, quae dolorem levant, ſomnumque arceſſunt, diſpiciendum erit. Haec vero non nimium feſtinare oportet; obſtant enim aliquo modo, niſi forte ſaeviſſimus adſit dolor, humoris e ſanguine ſeparationi omnia anodyna; quin &, ſi febris vehementia delirium fecerit, illud plerumque in pejus verrunt. Idcirco non ante, quam plene jam eruperint poſtulae, illis uti commodum eſt; deinde vero, quae ad ſomnum ſint apta, tuto dari poterunt. Recte igitur quotidie ſub veſperam aut *tincturam Thebaicam*, aut *ſirupum e meconio* aſſumet aeger; in primis ſi juvenis, vel adultus fuerit: nam aetas tenellula iſtiuſmodi auxilia minus perfert. Interdum etiam, ſi ſumma inquietudine prematur, horum alterutrum primo mane repetet. Materiae enim in puſtulis ſtagnantis ſuppuratio quiete & ſomno provehitur. Horum autem uſu aegrotanti interdicere oportet, ubi ſub finem morbi aut ſpiritus difficultas, aut ex pituita nimis viſcida ſtrangulatio in faucibus acceſſerit. Interea ſi, ſuppreſſo ventre, quod plerumque fit, febris adhuc duret, alvus altero, vel ſaltem tertio quoque die, infuſa lotione, ducenda eſt.

(a) *Apud Celſum Lib. III. cap.* 4.

Nihil attinet dicere, ſi *diſcretis* variolis haec omnia conveniant, in *confluentibus*, ubi plus metus eſt & periculi, magis neceſſaria inveniri.

A simplicibvs igitur ad *malignas*, prout ordo poſtulat, nunc progrediar. Harum autem tria genera ſupra expoſui; *cryſtallinas* ſcilicet, *verrucoſas*, & *ſanguineas*.

Iam in omnibus variolis eo major ſalutis ſpes eſt, quo magis ad ſuppurationem tendunt puſtulae; quae quum parum procedit, quibuſvis ſane modis humor morbidus ad cutem propelli debet. Servanda igitur hic erunt illa omnia, quae in *ſimplicibus* ſunt propoſita. Propriam vero animadverſionem deſiderant ſingula *malignarum* genera.

Qvvm numquam fieri poteſt, ut in *cryſtallinis* liquor aquoſus in pus abeat concretum, id agere oportet, ut per illas vias in corpore expurgetur, quae tenuium humorum derivationi natura ſunt aptae. Dixi jam antea magnum eſſe cuti cum renibus conſortium. Dum igitur ſubtiliſſima pars laticis per cutis meatus tranſudare cogitur, quod craſſius eſt, per iter urinae, medicamentis ad eam movendam idoneis, foras expelli debet. Ex his autem quum nullum ſit *nitro* praeſtantius, id eo pondere, quo ſtomachum non laedat, ſcrupuli ſcilicet, aut drachmae ſemis, in *vino tenui* ſolutum (quod ſolum huic morbo convenit) ter die quaterve dare opportunum erit. Sub finem autem *Canarino* (quod Sydenhamo noſtro in deliciis fuiſſe video) aut alio quovis generoſo & leni, vires ſuſtentare licebit. At dum *nitrum* ſic aſſumitur, interponenda erunt invicem ea medicamenta, quae & cordi ſint utilia, & materiae fluxum in puſtulas adjuvent; qualia ſunt confectio *Raleighana*, vel *cardiaca* dicta; item *pulvis Bezoardicus*, adjecta interdum *croci* aliqua portione; & *ſpiritus e cornu cervi elicitus*. Verumtamen praeter haec, die a prima eruptione quinto vel ſexto, imponenda ſunt tum ſub imam colli vertebram, tum brachiis, & tibiis internis *veſicatoria*; cui propoſito aptiſſima ſunt *malagmata ex paſta epiſpaſtica confecta*, quae mollitie ſua ad cutem puſtulis interjacentem permeant, eique adhaerent. Hac enim ſeroſi liquoris extractione febri, quae, quum

nihil

nihil amplius in cutem derivetur, ferocior inſtat, tempeſtive occurritur.

Scio equidem Medicos noſtros pleroſque celerius, & primis etiam morbi diebus in *malignis* omnibus variolis hac medicina uti. At metuendum eſt profecto, ne cantharidum ſtimulis nimium agitatus ſanguis minus recte humoris propulſionem in naſcentes puſtulas perficiat.

Crystallinis magis periculoſae ſunt *verrucoſae* variolae; quod neque ſuppurare poteſt, neque per urinam exire craſſa nimis morbi materia. Quare & febrem diligenter curare, & ſudorem quoque ad humorem digerendum medicamentis jam dictis, quae cordi ſunt utilia, elicere oportet. Cuti etiam *malagmata epiſpaſtica* admoveri debent. Hoc autem morbi genus ſemper eſſe mortiferum Medici Arabes affirmarunt (*a*).

Peculiarem denique animadverſionem variolae iſtae poſtulant, quas ſupra *ſanguineas* nominavi. In his autem ſi medicinae locus ſit, iis remediis pugnandum eſt, quae vi ſua ſtyptica ſanguinem quodammodo cogunt, & ita ſupprimunt, ut ne minimas quidem arterias perrumpat. Ex hoc genere praeſtantiſſima ſunt *cortex Peruvianus*, *alumen*, & *ſpiritus*, qui *oleum* dicitur *vitrioli*. His vero ſic uti oportet, ut alia aliis interponantur. *Corticis* igitur iſtius *drachma una per intervalla ſex* horarum aſſumi poterit; &, elapſis tribus horis, *aluminis* quantum conveniat. Valentiſſimum quidem erit, ſi ita componatur, ut *aluminis* tres partes cum una *ſucci* illius inſpiſſati, qui inepte *ſanguis draconis* dicitur, liquantur. Maſſa autem refrigerata in pulverem teri debet; cujus ſcrupulum unum, cum *conſerva roſarum rubrarum* in bolum redactum, vice ſimplici devorare ſatis eſt. *Oleum vitrioli* ea forma commodiſſime dabitur, quae *Tincturae roſarum* nomine proſtat, cujus cochlearia quinque, aut ſex identidem bibere licebit. Quin & liquoribus, qui potui dantur, aſſidue inſtillari debet; in primis ſi maculae lividae, aut nigrae puſtulis interſperſae compareant. Neque in *ſanguineis* ſolum, ſed & in aliis etiam generibus, ubi cutis foedata eſt, utiliſſimum erit. Illud tantum adjiciam, comperiſſe me *veſicatoriorum* uſum, ſi forte delirium requiſiverit, etiam hic ſatis eſſe tutum. Nonnullos vidi hujuſmodi curatione ſalvos evaſiſſe, quibus ſanguinis magna copia ſimul cum puſtulis erumpentibus per iter urinae profluxerat. At hi omnes, quod memorabile eſt, ſub finem morbi grave aliquid paſſi ſunt; nam aut furunculis frequentibus in corpore obortis, aut tumoribus in glandulis ſub auribus, & axillis, qui aegre ſuppurarent, excruciabantur. Memini etiam in juvene quodam tonſillarum alteram ulcere gangraenoſo non facile ſanabili corruptam obſervaſſe. Manifeſtum eſt igitur virus hoc difficillime ex humoribus expurgari; neque ſine ſuppuratione, aut procedente morbo, aut quum jam fere deſiit, corpus ad integritatem ſuam redire.

Convenit autem in omnibus hujus morbi generibus, ut ſub finem, die nimirum nono, aut decimo alvus moveatur. Febris enim putrida hoc tempore, exareſcentibus puſtulis, aut (ſi nulla ſit ſuppuratio) tumore inflammatae cutis ſubſidente, plerumque ſupervenit; quae nulla alia medicina tutius depellitur. At lenioribus tantum catharticis hic opus eſt, qualia ante eruptionem puſtularum adhibenda propoſui.

Rem hanc omnem in epistola ad Clariſſ. Freindium olim explicui, & exemplis allatis illuſtravi (*b*); quam ille poſtea auctoritatibus Medicorum, cum veterum, tum etiam recentiorum, abunde confirmavit. Quibus omnibus ſi quis aſſentire nolit, nae is in ſole vult caligare. Habent ſua tempora quaeque febres, & ubi vis venenata humores ſemel corrupit, vix feſtinanter ſatis putridus morbi fomes ex corpore ejici poteſt. Et quotidie quidem videmus, hac cura omiſſa, febrem hecticam, cum tuſſi pus trahente, ſpiritus difficultate, aliiſque pulmonis male affecti indiciis, ſtatim ſubſequi.

Id autem hic monendum videtur, utcumque utilis ſit hoc tempore per ventrem purgatio; ſi tamen vel a naturali inteſtinorum levitate, vel infuſis crebro per morbi decurſum clyſteribus, alvus jam laxior ſit, medicinam iſtam, aut minus fore neceſſariam, aut ſaltem ad aliquot dies differri poſſe. Viribus enim

F

(a) Vid. *Rhaz. Lib. adjunctum, Cap. VIII.*

(b) Vid. *Freind. Commentar. VII. ad Hippocrat. De morbis popularibus.* Et *Epiſtolam de purgantibus in ſecunda variolarum febre adhibendis.*

enim aegri in primis conſulendum eſt, quas longa valetudo plus minus labefactavit.

Quinetiam ſedulo circumſpicere oportet, annon forte lateat ſub arefacta jam cuticula ſanies purulenta; id enim nonnumquam fit, & dirupta hic illic membranula, pus foetidiſſimum prorumpit. In hoc rerum ſtatu non purgandum, ſed cibis idoneis ſuſtentandum eſt corpus, uſque dum materia omnis exierit; cujus effluxum etiam ultra viceſimum morbi diem, ſalvis aegri rebus, protractum vidi. Numquam mihi e memoria excidet robuſtiſſimi cujusdam juvenis caſus, quem modo adeo terribili infeſtaverant variolae *confluentes*, ut, quum matureſcere deberent puſtulae, tota facies, nigra atque arida facta, gangraena corrumperetur, & putreſceret. Quum ſpes igitur nulla ſupereſſe videretur, cutem uſque ad ſanam carnem multis in locis ſcalpello concidi, fotumque ex *decocto herbarum emollientium*, & *calidarum*, adjecto *ſpiritu vini camphorato*, adhiberi juſſi; quo facto, pus odore tam gravi ex vulnuſculis profluxit, ut in cubiculo morari nemo ex domeſticis ſuſtinere poſſet; promotaque interim per apta medicamenta hujus digeſtione, & corpore demum purgato, incolumis evaſit miſellus. Veſtigia tamen luis malignae cum vita duratura, ut bene peractae curationis indicia, in vultu lacerato, ac deformi relinquebantur.

Prodest denique hoc tempore *ſanguinis detractio*, ſi vehementior adſit calor, neque fractae vires huic auxilio interceſſerint.

Quisquis haec ita expoſita bene perpenderit, jure mirabitur doctiſſimum Medicum, Boerhaavium, in animum ſibi inducere potuiſſe, ut ſperaret fore fortaſſe aliquando, ut *inveniatur antidotum ſpecificum veneno huic contagioſo oppoſitum* (a); quo nimirum illud ita penitus exſtinguatur, ut etiamſi corpore receptum fuerit, morbum non producat. Ceterum tam certa ſunt, & conſtanti naturae lege fixa rerum principia, & ſemina, ut, qui haec permutare velit, ſimiliter faciat, ac Philoſophi iſti *per ignem* (uti ſe vocant), qui dum metalla viliora in aurum traſmutare ſatagant, ſpe licet ipſi decipiantur, fumos ex carbonibus ſuis rerum ignaris, & credulis hominibus divendunt.

Superest, ut dicam, nullam febrem magis requirere, ut morbi reliquiae e corpore exterminentur. *Sanguis* igitur, ſi vires adhuc conſtent, convaleſcente jam aegro, *detrahendus eſt*, & *medicamentis purgantibus*, per idonea intervalla repetitis, alvus cienda. Hiſce autem peractis, lacte in primis aſinino, cibiſque commodis, ac ruris amoenitatibus ad conſuetum vitae genus corpus revocari debet.

Coronidem longis hiſce praeceptis imponam morbi hiſtoria, quam mecum communicavit Medicus doctrina, & arte nulli ſecundus, Edwardus Wilmot, gener meus dilectiſſimus, qui in juvene quindecim annorum curando, quem graviſſime oppreſſerant variolae, ad conſilium Medici etiam doctiſſimi Mich. Connel ſuum accommodavit.

Febre incipiente, *miſſus erat* e brachio *ſanguis*, & concitatae *vomitiones*. Pridie ejus diei, quo proruperunt puſtulae, propinata eſt lenis potio *cathartica*.

Morbillos magis, quam variolas referebant exigua exanthemata, quibus totum corpus conſpergebatur. Increſcente febre, *pulvis e chelis cancrorum compoſitus*, adjecto *nitro*, intervallis ſex horarum exhibitus eſt; potui dato *decocto hordei*, cui inſtillabatur *ſpiritus vitrioli* ad acorem non ingratum.

Die eruptionis quarto, quum jam urgeret delirium, ad ſomnum inducendum *ſirupi e meconio* drachmas ſex hauſit aeger; qui tamen nihil prorſus valebat.

Quinto die facies ne minimum quidem intumuit, delirio nondum remittente, cum calore intenſiori, & pulſu arteriarum celeriori. *Sanguis* igitur iterum *detractus eſt*, uſu dicti *pulveris* non intermiſſo, cui jam addebantur *myrrhae* grana quinque. Neque omittebantur *ſpiritus vitrioli* cum *decocto hordei*; & hauſtus *anodynus*.

Die ſeptimo eadem perſtitit rerum conditio. Spiritus autem difficilis erat, vexabatque ſicca tuſſis. Hinc *confectio Fracaſtorii* ſingulis hauſtibus adjecta eſt, & ſolutio *gummi ammoniaci* menſura cochliari pro re nata aſſumta; hauſtus item *paregoricus* adhuc propinabatur.

Octavo de acutiſſimo capitis dolore querebatur aeger, ſpiritus difficultas, & tuſſis gravius urgebant, pulſus arteriarum erat languidior, ne minimis quidem comparentibus

(a) *Aphor. de cognoſcendis & curandis morbis*, 1390. 91. & 92.

bus ſuppurationis indiciis; chartae vero pergamenae ſimilitudinem habuit vultus, neque ſucceſſit ullus manuum, aut pedum tumor. Hinc brachiis, & ſuris internis admota ſunt *veſicatoria*, totiſque pedibus *emplaſtra* ex paribus *cephalici*, & *veſicatorii* portionibus. Hauſtus etiam *antidoti Mithridatis* drachmae ſemis, & *ſalis volatilis ſuccini* ſcropuli ſemis, ſexta quaque hora aſſumebantur. Gargarizationes etiam ex *decocto pectorali*, adjecto *oxymelite ſcillitico*, in uſum tractae ſunt.

Die decimo in pejus ruebant omnia; quocirca, non neglecto eorumdem medicamentorum auxilio, infra cubitos impoſita ſunt *veſicatoria*.

Undecimo, languentibus adhuc magis viribus, adjuncta eſt remediis cardiacis jam deſcriptis *mixtura* cum *confectione Raleighana* crebro haurienda.

Duodecimo, quum jam vix ſentiri poſſet arteriarum motus, ſpiritus aegerrime traheretur, nullaque ſupereſſe videretur ſpes ſalutis, ex ſtrangulatis fere faucibus magna limpidi, & foetidiſſimi humoris copia inopinato profluxit, illi haud abſimilis, quam irritatae argento vivo glandulae oris ſolent exſpuere. Duodecim dies ſine diminutione perſtitit iſte fluxus, tum ſenſim minui coepit, nec ante quatuor exinde dies penitus remiſit.

Die morbi decimo ſexto tam aegritudo, quam profluvium illud ita vires miſelli hominis exhauſerant, ut vix in lecto ſe movere poſſet; animo tamen ita valebat, ut cibos humidiores ſatis copioſe aſſumeret. Hinc refecto robore, febris jam hecticae ſpeciem induiſſe videbatur; quo circa, *detracto* ad uncias quinque *ſanguine*, & hauſtibus ex *ſucco limoniorum maturum* cum *ſale abſinthii* commixto, addita *ſpermatis ceti* exigua portione, propinatis, *lac aſininum* mane quotidie bibebatur.

Hac via temporis progreſſu, *miſſo* bis terve ad uncias quinque *ſanguine*, laxatoque ſubinde *rhabarbaro* ventre, potuique data cum *elixire vitrioli* aqua *Briſtolienſi*, adjuvantibus etiam ruris amoenitatibus, integra rediit ſanitas.

Illustre magis ducumentum dari non poteſt, quam ſollicite ſemper (quod non ſemel monui) id agat natura, ut venenatam morbi hujus materiam quovis modo e corpore foras propellat.

CAPUT IIII.

De nonnullis, quae in variolis accidunt.

Plurima in variolis accidunt, quae, quum rarius eveniant, neque ex natura morbi eſſe videantur, aut terrefaciunt, aut incertum reddunt Medicum. De his igitur non alienum erit quaedam obſerva.

Fit interdum, ut, inſtante puſtularum eruptione, convulſionibus agitetur aeger. Sed ea res plus terroris, quam periculi habet; & in pueris praecipue nervorum diſtentiones, quae morbum antecedere ſolent, ſpem potius, quam metum plerumque oſtendunt. At omnino hic, quod mirum forſan videatur, cavendum eſt a *ſanguinis miſſione*, & *emplaſtra* ſolum admoveri debent: *veſicatorium* nempe ſub occipitio; & ſemiveſicatoria, ex *emplaſtro cephalico* dicto, & *veſicatorio* pari portione commixtis, pedum plantis: datis interim iis remediis, quae in terribilibus hiſce corporis concuſſionibus proficere uſus docuit. Hujuſmodi autem in primis ſunt, *Radix valerianae ſilveſtris*, *Caſtoreum Ruſſicum*, & *Spiritus, ſaleſque ex animalibus vi ignis eliciti.* Frequentibus enim experimentis compertum eſt, ſanguine in hoc rerum ſtatu detracto, morbum evaſiſſe letalem. Non aliam eventus hujuſce cauſſam aſſignare mihi in promptu eſt, niſi quod motus illi haud voluntarii ex imbecillis aegrotantis viribus oriuntur, quas adeo immodice adhuc convellit iſta exinanitio, ut propellendae in cutem materiae morbidae pares eſſe nequeant. Aliter autem res ſe habet in adultis, quibus ſi vires conſtent, *detrahendus eſt ſanguis* copia non magna; eademque remedia adhibenda.

Huic diſſimili, & paene contrario modo nonnumquam incipit hic morbus. Exanthemata etiam ſine magna febre, nec multo cum dolore prorumpunt; unde periculo vacare res videtur. At illa ſpes, ut plurimum, fruſtra eſt. Etenim, quum matureſcere jam deberent puſtulae, quaſi torpente & rem ſuam non agente natura, nullae fiunt ſuppurationes; hinc febris increſcit, quae inquietudine, anxietate, ſpiritus difficultate, & delirio oppreſſum hominem paucorum dierum ſpatio conficit. In tali rerum ſtatu excitanda potius, quam reprimenda eſt febris. Medicamentis calidioribus, quae motum ſanguinis in-

incitando, & humores attenuando, ſuppurationes promovent, inſiſtere oportet; qualia ſunt, *Radix ſerpentariae Virginianae*, *&* *Contrayervae*, *Crocus*, *Aſa foetida*, *Myrrha*, & conſimilia. Praecipue autem membris omnibus imponenda ſunt *emplaſtra epiſpaſtica*. Uſque adeo morbo huic congruit quaecumque humorum expurgatio; ut eam, ſi venenata materia, quod in caſibus fit gravioribus, exſuperet, numquam non moliatur natura. Hinc in adultis ſalivae fluxus primis eruptionis diebus ſupervenit; infantes vero, qui aegre aliquid eſpuunt, cita alvus per totum fere morbum exercet. Utraque exinanitio hic magni momenti eſt. Quare ut in his non temere comprimendus eſt venter, ita illis, ſi ſputum minus profluat, medicamentis, quae oris glandulas irritant, elicere oportet; praeſertim gargarizationibus ex *ſinapi*, & *pipere* (quae in aqua decoquenda ſunt, addito *oxymelite*) confectis. Peſſimum enim ſignum eſt in *confluentibus*, & *malignis* variolis, ſi non accedat, & ad finem uſque morbi perſiſtat iſte aquae effluxus.

Molestum interdum aegro dolorem infert urinae ſuppreſſio, parum aut nihil juvantibus diureticis quibuſcumque medicamentis. In eo caſu aegrum e lecto ſurgere, & frigido aeri ſe objicere jubebat Sydenhamus; quod plerumque cum levamine tentatur. Commodiſſimum autem erit, *lotione* infuſa, alvum ducere; praeſertim ſi, prorumpentibus jam puſtulis, metus aliquis a frigore oboriatur. Medicamentis etiam, quae urinam ducunt, aliquantulum inſiſtere oportet; ad quam rem in primis utile eſt *ſal mirabile Glauberi* quo laxatur ſimul alvus, & urina movetur.

Non leviter autem Medicus terreri debet, quoties variolis gravida corripitur. Metus enim eſt, ne abortum patiatur, unde duplex imminet periculum; alterum a nova, quae tunc oritur, febre; alterum a ſanguinis profuſione, quae aegram labefactat. Itaque, quo longiore tempore in utero geſtaverit, eo gravius eſt diſcrimen; maturior enim partus cum majori vitalis liquoris jactura exit. At certo tamen ſcio, quamdam hoc morbo laborantem puerum juſto tempore edidiſſe, tam matre, quam nato ſuperſtitibus, eventu quidem haud minus raro, quam felici. Refert autem, quo morbi tempore abortio inciderit; quum virium hinc facta imminutio eo periculoſior ſit, quo propius inſtat puſtularum maturatio. Si modum igitur, quem natura requirit, exceſſerit humoris effluxus, iiſdem remediis hic opus eſt, quae in *ſanguineis* variolis propoſui.

Quoniam autem caſus hujuſmodi variis modis eveniunt, & in diverſas partes ſuper nonnullis abierunt Medici, quaedam de his ſingulatim ſunt dicenda.

Quum abortum igitur mulier facit, fetus plerumque materno contagio repletus deprehenditur; non ſemper tamen ita obtingit. Hujus varietatis cauſſam facile cognoſcet, qui ea, quae de *contagione* jam diximus, perpenderit (a); & cum iis contulerit, quae de *variolarum inſitione* poſtea dicturi ſumus (b). Ex his enim manifeſtum fiet, vim morbiferam eſſe materiam ſubtilem, ex puſtulis jam maturis exhalatam; quae, quum in corpus ſanum ſit admiſſa, non niſi poſt octo demum, vel novem dies effectum ſortiatur. Idcirco ubi fetus ante exierit, quam puſtulae in matre factae ſint, purulentae, nullis morbi notis foedatur. Unde evenit interdum, ut die ſecundo, vel tertio, vel alio quolibet ante octavum a partu completum, prodeant in infante, ſive recto tempore, ſive citius edito, contractae a matre variolae; cujus exemplum, quod ipſe nuper vidi, hic proferam.

Nobilis quaedam femina ſeptimo geſtationis menſe variolis *confluentibus*, adeoque *malignis*, correpta eſt, ut nulla bona ſigna comparerent. Etenim nec ſaliva copia largiori profluxit, nec manuum, pedumve tumor, detumeſcente jam vultu, ſucceſſit; nec urinae denique profluvium ſub finem morbi ſubſidio aderat: contra vero facies tota exiguis puſtulis vix ſuppurantibus conſpergebatur. Filium igitur, nullis morbi notis in corpore ſe prodentibus, partu non difficili die undecimo enixa; decimo quarto e vita deceſſit. Infans autem, quum quatuor dies poſtea vixerat, mane convulſionibus, morbi praenuntiis, correptus, veſperi, protruſis variolis, interiit. Liquet hinc, perfecta die undecimo, ut fieri ſolet, aliquanta ſuppuratione, morbum maternum in fetum tranſiiſſe, diebus octo elapſis, in tenero corpore renaſciturum.

Ce-

(a) *Sap.* I. (b) *Cap.* V.

Ceterum ſi non fiat abortio, proles omnem vitam malo hoc immunis tranſigit; niſi forte ante naſcatur, quam puſtulae maturitatem ſint aſſecutae. Nam, ut aliquid nobis congenitum recipiendae huic contagioni corpus obnoxium reddit, ita, diſſoluto quaſi hoc naturae debito, res in poſterum erit ſalva. Fetum autem, non affecta matre, aliquando tamen corripi inſigni quodam documento evincere libet. Memini mulierem quamdam, quae ipſa morbum hunc diu ante perpeſſa erat, marito ſuo, eodem laboranti, ſub finem graviditatis aſſidue aſſidentem, fetum recto partus tempore enixam eſſe. Et illa quidem de variolis nihil contraxit; fetus vero mortuus, totoque corpore, mirum viſu! (puſtulis foedatus), ſe nondum in luminis oras egreſſum, lue hac conſumtum fuiſſe manifeſte comprobavit. Nemo igitur, mortalium quemquam hoc periculum bis umquam ſubire poſſe, vel minimam ſuſpicionem fovere debet. Quaenam autem cauſſa efficiat, ut ſemel omnino corpus invadere poſſit haec peſtilentia, juxta ſcio cum ignariſſimis. Illud tamen auctuarii loco adjiciam, fieri interdum poſſe, ut infans etiam in utero ab hac aegritudine incolumem ſe expediat, evaneſcentibus ante partum morbi indiciis. (*a*)

Ex his, quae de abortionibus diximus, intelligi poteſt, quid de menſium fluxu ſimul cum variolis prorumpente (quae res non raro terrorem adfert) cenſendum ſit. Hic enim, cum profluvio uterino, quod mulieri abortum facienti ſupervenit, ejuſdem generis, eſt; & ſive conſueto naturae tempore, ſive efferveſcente ultra modum ſanguine, extra ordinem emanet: utroque caſu levamen magis, quam periculum adfert. Sin autem in alterutro ea fiat profuſio, quae vires frangere poſſe videatur, hanc iis medicamentis quae *ſanguineis* variolis convenire diximus, prohibere oportet; non neglecta, ſi res poſtulet, *venae ſectione*. At uſus tamen ſanguinem per uterum interdum toto morbi tempore, ſine virium jactura, aut aegrae incommodo, exire oſtendit.

Idem judicium de ſanguinis profuſionibus ferre licet, quae, incipiente hoc morbo, e naribus ſaepe fiunt. A ſanguine enim in canaliculis eſtuante oriuntur; ideoque calorem minuendo proſunt plerumque magis, quam nocet, niſi nimis fuerint copioſae.

Minus ſaepe accidit, ut febris intermittens, tertiana ſimplex, aut duplex, febri variolarum ſe comitem adjungat. Id ubi fit, *corticem Peruvianum*, vel *extractum* ejus, quod plerumque commodius eſt, per debita intervalla, uſque quo haud amplius revertantur acceſſiones, dare opportunum erit. Neque profecto ulla hinc metuendi cauſſa, ne puſtularum mutationi medicamentum illud officiat, praebetur: contra vero, quum nova haec ſanguinis efferveſcentia, & humorum perturbatio ſuppurationem impedire facile poſſint, iis repreſſis, conſueto ordine feliciter omnia ſuccedunt. At ventrem primum, infuſo *clyſtere*, laxari oportet. Pari enim modo hoc evenit, quo febrifugum illud in gangraenis multum valere compertum eſt (*b*), quae quum febrem ſemper conjunctam habeant, in *ſanguineis* variolis, quae maculas nigras, hoc eſt, gangraenulas interſperſas oſtendunt, eamdem medicinam ſupra propoſui. (*c*)

Non alienum hic erit generatim & univerſe monere, quicumque morbus acutus variolis accedit, eum remedia ſibi propria requirere, atque ut plurimum ſatis commode ſuſtinere.

Sed haec, ni fallor, ſatis elucidata ſunt. Vt finem igitur faciam, memoratu non indignum videtur, morbum hunc, ſi forte poſt inſignem aliquam humorum exinanitionem, ſive natura, ſive arte facta, quemquam invadat, plerumque mitiſſimum eſſe. Puerpera, ſi paullum modo viribus refecta ſit, variolas experitur leviores, & fruitur praeterito malo. Quod & de aliquo, qui a morbo acuto nuper convaluerit, pariter dici poteſt. Vidi olim multos in Noſocomio, quos lue venerea contaminatos, ſalivae fluxu per *mercurialia* proritato, perpurgare neceſſe fuerat, quum, exhauſto jam corpore, macie paene conficerentur, in hanc tandem luem incidentes, omnes facillime ſalvos evaſiſſe. Indicium certe ſatis manifeſtum, quamcumque materiae diminutionem, fomitem igni ſubtrahendo, huic morbo apprime convenire.

Illvd

(a) Vid. *Mauriceau, ſur la groſſeſſe & l'accouchement des femmes*, *obſ.* 576.

(b) Vid. *Medical Eſſays*, *Edinb. Vol. V. part.* 1. *artic.* 10. (c) *Cap.* III.

Illvd poſtremo non ab re erit iis, quae hactenus tradidimus, adjungere. Quantumvis atrox ſit hic morbus, commodum tamen aliquod ex eo derivari interdum invenitur. Corporibus enim, in quibus, ſive a natura, ſive a victu vitium contraxerit ſanguis, & lympha viſcidior glandularum tumores fecerit, humorum per variolas defaecatio haud raro in poſterum ſanitatem praeſtat integriorem.

CAPVT V.

De variolarum inſitione.

Mos inſerendi, ſive ab infecto corpore in ſanum transferendi variolas jam ab aliquot annis apud nos invaluit. Ea res in partes traxit Medicos, approbantibus his, improbantibus illis novum hoc artificium. Quocirca meam hic interponere ſententiam non gravabor.

Ita quidem comparata eſt vitae, ac naturae noſtrae ratio, ut ad ea, quae nocere poſſunt, praecavenda quovis modo ſimus promptiſſimi. Sin autem malum aliquod ſemel omnino ſit perferendum, hoc non libenter modo, ſed etiam audacter perfungi cupimus; ea ſcilicet de cauſſa, ut aetas reliqua ab iſta ſollicitudine vacua tranſigatur. Poſtquam igitur experientia compertum eſſe, numquam iterum reverti poſſe variolas, & vix milleſimum quemque eas per totam vitam effugere, coepta ſunt agitari conſilia, quemadmodum corpori inferri poſſet iſte morbus; qui, quum manifeſte contagioſus deprehenderetur, contagii illius ſemina in puſtulis latere in proclivi erat opinari.

At illud ſane mirari ſoleo, hominibus rerum medicarum fere ignaris tale quid ſubolere potuiſſe. Nam *Circaſſiorum*, quantum inveſtigare potui, hoc fuit inventum, apud quos mulieres formae pulchritudine & venuſtate praecellere dicuntur; quocirca uſitatum eſt adoleſcentulas praeſertim pauperiores populis finitimis in ſervitutem a mangonibus vendi. Quum igitur obſervatum eſſet, eo minus tam de facie, quam de vita periclitari omnes hoc morbo laborantes, quo eſſent etate minores, excogitatus eſt hic modus in tenera adhuc corpora immittendi, quo merx vendibilior lucrum majus apportaret. Nec Medici quidem, aut Chirurgi adjumento ea res magnopere indigebat. Cuti enim in quavis corporis parte vulnuſculum infligere, & puris ex maturis puſtulis extracti aliquamtulum inſerere, ſatis erat; quod ipſae mulierculae uſu exſequi didicerant. (*a*) Quemadmodum & hodie noſtri artifices, facta in utroque brachio leviſſima inciſura, cui exiguum penicillum ex linteo, vel xylino confectum, pureque imbutum, imponunt, ſpem aegrotare volentium rariſſime fruſtrantur. Ceterum non ita multis abhinc annis *Conſtantinopoli*, & *Smyrnae* ars haec exerceri coepta eſt, non quidem a Turcis, quibus, fato ineluctabili omnia in vita evenire opinantibus, ei obſiſtere atque occurrere religio eſt; ſed a Graecis, Armeniis, aliiſque ibi degentibus, qui cum noſtratibus eamdem communicarunt. (*b*)

Vervm ut nihil eorum, quae ad hanc rem ſpectant, praetermittam, ab erudito quodam traditur (*c*) uſum *ſeminandi*, ut vocatur, hunc morbum pluſquam centum annos *Syncnſibus* jam tutum fuiſſe, qui & alio modo perficiunt. Puſtularum enim aridarum, quae a cute jam delapſae ſint, pelliculas aliquot vaſculo murrino, ore cera arcte occluſo, apud ſe recondunt. Quum variolas igitur cuiquam immittere volunt, harum pellicularum tres, quatuorve, interpoſito moſcho grani pondo, cum goſſipio in turundam formant, quam naribus intrudunt. Non difficile quidem erat ingenioſis illis hominibus, quum viderent eos, qui cum aegrotis verſabantur, eamdem luem contrahere, foedo halitu ex infecto corpore aerem inquinari, qui inſpiratus ſanum corpus corrumperet, conjecturam facere; indeque per nares quoque hauriri poſſe contagioſam materiam ratione colligere. Neque iſta ſane opinio eos fefellit.

At certum tamen eſt (quidquid contra dicat theologica magis, quam medica doctus, narrationis hujus auctor) multo majori cum periculo tentari Sinicam hanc, quam Graecam;

cam;

(a) Vid. *Philoſophical Tranſactions*, *No.* 339. & 347.

(b) Vid. *Maitland's Account of inoculating the ſmall pox*, *Lond.* 1722. Et *Diſſertationem medicam de Byzantina variolarum inſitione*, *Auctore Le Duc*, *Lugd. Bat.* 1722.

(c) Vid. *Lettres edifiantes & curieuſes des Miſſionaires*, *XX. Recueil*, *pag.* 304.

eam morbum transferendi viam. Laedunt enim vehementer cerebrum morbidae particulae per ſpiritum attractae, propter viciniam ejus nervis, qui olfactui inſerviunt. Porro contagionem non per ſanguinem, ſed liquorem, qui nervos irrigat, ſpargi jam alias docui (*a*).

Discrimen autem, de quo hic agimus, ipſe quondam experientia comperi. Etenim, quum anno MDCCXXI. Regis noſtri clementiſſimi juſſu, tam familiae ſuae, quam reipublicae gratia, in ſeptem capite damnatis faciendum erat experimentum, an tuto ſatis immitti poſſent per inſitionem variolae, facile impetravi, ut in uno ſaltem mihi liceret *Sinenſium* morem tentare. Erat ex numero illorum, qui ad hanc rem ſelecti erant, adoleſcentula quaedam annorum circiter octodecim, cujus in nares quum penicillum pure ex maturis puſtulis madefactum indi curaſſem, eventus quidem reſpondit. Nam pariter, ac ceteri, qui facta inciſione in cute contagium contraxerant, aegrotavit, & incolumis evaſit; graviora tamen omnia paſſa eſt, ſtatim a recepto naribus veneno acutiſſimis capitis doloribus cum febre ad puſtularum uſque eruptionem numquam intermittente, miſere diſcruciata.

Ab illo igitur tempore ſine magno metu, & interdum etiam, ut in novis experimentis fieri ſolet, temere ſatis arrepta eſt haec medicina, tamquam variolas iis mitiores productura, quae communi naturae via homines invadunt. Ex collectis enim illorum rationibus, qui huic rei operam dederunt, ſatis manifeſtum eſt, vix centeſimum quemque inſitivis variolis perire; quum longe plures, pro rata portione, morbus hic naturaliter ortus conſumat (*b*).

Proinde, quanta ſecuritate haec morbi translatio fieri poſſit, ſequens confirmabit narratio, quam a viro quodam fide digno accepi; qui in inſula Americana, *Sancti Chriſtophori* dicta, in arte ſacchari conficiendi (quae loci iſtius mercatura eſt) multorum ſervorum opera utitur. Is igitur anno quodam, quum variolae illic, atque in vicinis inſulis vehementius ſolito saevirent, tricenis eorum cujusvis aetatis, ab anno quinto ad triceſimum, ſuis ipſe manibus contagium inſevit; idque tam felici ſucceſſu, ut quum maximam partem eſſent Aethiopes, ne unus quidem periret. Quamquam enim Americani omnes peſtilentia hac correpti graviſſime ſemper laborent, majus tamen ab ea periculum Afros ſubire experientia notum eſt.

Qvae quum ita ſe habeant, numquid forte contra opponi poſſit, jam diſpiciemus. Et primo quidem ſunt nonnulli, qui exanthemata ab inſitione variolarum nata non genuinum eſſe morbum contendant; ideoque neminem experimento hoc a variolis in poſterum tutum praeſtari. Quin & enixe operam dant, ut teſtimonia eorum adducant, quos inſitivum morbum paſſos verae nihilominus variolae poſtea corripuerint. Ceterum qui fieri poſſit, ut contagium, hoc eſt, ipſum variolarum ſemen, non ſuum, ſed alium diſſimilis generis morbum procreet, plane non intelligo. Neque refert certe, quanam via id contagium ſit acceptum, ſi modo manifeſtas morbi notas produxerit. Quod ad illos autem ſpectat, qui variolis arte factis perfuncti, iis tamen denuo laboraſſe dicantur, ipſe profecto, ſumma licet diligentia adhibita, ne unum quidem documentum, quo id ſatis conſtaret, adhuc reſcire potui. Scio interim jactari paſſim, maxime a nupero quodam auctore, hiſtoriolam de puero, in quo, tribus circiter annis elapſis, poſtquam ab inſitione morbum contraxerat, de novo proruperunt variolae. At novi etiam dubiae admodum fidei eſſe hanc narrationem, & fuiſſe ex familia, qui nullas ab illa inſitione comparuiſſe variolas affirmarent; parentes vero (ut facile id credimus, quod volumus) ſe feſelliſſe, neque adſtantes gratum hunc illis errorem eripere voluiſſe. Vt dicam igitur, quod res eſt; ſi tale quid ſemel evenerit, cur non frequentius idem contingere videmus? Aut quid valere debet ſingulare exemplum, certum licet, & exploratum, quum in aliis fere innumeris id genus experimentis nihil tale umquam uſu compertum ſit? Sed tenet nonnullos inſanabile ſcribendi cacoethes, & immen-

(a) *Introduction to the Mechanical account of poiſons.*

(b) Vid. *Dr. Furin's Letter to Dr. Cotesworth, containing a compariſon between the mortality of the natural ſmall pox, and that by inoculation.* Et ejuſdem *Account of the ſucceſs of inoculation in the years* 1724. 25. and 26.

menſium aliis, quibus invident, contradicendi ſtudium. Demus ergo illis hanc veniam, ut ſua fruantur κενοδοξίᾳ, *inani gloria*.

Sed pergunt nos deterrere, dum metum ſubeſſe volunt, ne forte ſimul cum variolis alius quidam morbus contagioſus, qui ſanguini, & humoribus aegri inhaeſerit, in ſanum corpus transferatur; eo quod ſubtiliſſimum, & mire actuoſum ſit omne contagium. Et veriſimile quidem videtur, poſſe nonnullos morbos, praeter cutaneos, per cutem intromitti; quales fortaſſe ſunt ſtrumae, & lues venerea. Vix tamen crediderim id umquam fieri, ut unius morbi ſeminium alterius, qui diverſae ſit naturae, genitalem materiam ſecum ferat commixtam. Vtcumque autem res ſit, inſanus foret Medicus, qui, nullo delectu habito, ex quolibet corpore pus morbidum ſano inferendum extraheret. Accommodatiſſimae ad hunc uſum ſunt infantium, aut puerorum, cetera ſanorum, & parentibus, quodad ejus fieri poterit, ſatis prognatorum variolae. Praeterea plus mea opinione refert, in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiae virus. Quod ideo monendum duxi, quia non ſemel animadverterim temerarios, & incautos quoſdam Chirurgos imbecillis, & mali habitus corporibus letales variolas immiſiſſe. Denique momenti longe maximi eſt, ut caveat Medicus, ne in corpus jam contagione tactum novam contagionem transferat. Hoc enim factum novi eventu funeſto, oppreſſa nimirum, & ſuccumbente duplici morbo natura, quae alterutrum forſan ſimplicem vincere potuiſſet.

Ceterum cur tutior ſit inſitivus, quam naturalis hic morbus, rationes, quae praecipuae mihi videntur, breviter ſubjiciam. Primum igitur corpori puerili, vel ſaltem juvenili, & pro aetate firmo ac robuſto inditur venenum. Deinde *miſſo*, quum id opus eſt, & *ſanguine*, & humoribus per lene medicamentum expurgatis, inſecuturae febris vehementiae occurritur. Denique per omne id tempus, quo latenter vires ſuas exſerit contagium, (cui operi octo, vel novem ut plurimum dies inſumuntur) quies, & moderatio in victu, ceteriſque rebus ſervatur; quum multi, vino, aut nimiis exercitiis ſanguine calefacto, ex improviſo in febres incidant; unde cuncta graviora evenire neceſſe eſt. Putarunt quoque nonnulli effluxum humoris ex vulnuſculo ad inferendum pus inflicto, ut etiam ex puſtulis circa oras ejus prorumpentibus, ad aegri ſalutem nonnihil conferre. Sed exigua illius copia, quae hac via effunditur, vix quidquam, ut videtur, juvare poteſt. Multo plus praeſtabunt emplaſtra duo *veſicatoria* brachio alterutri, & cruri impoſita, promota interim per totum morbi tempus purulentae in ulceribus materiae digeſtione. Quam quidem medicinam exuſu hic fore nequaquam dubito.

Restat, ut moneam, adeo mitem plerumque eſſe hunc morbum ab inſitione genitum, ut vix aliquam Medici opem deſideret. Sin autem ſecus acciderit, quod nonnumquam fit, eaedem curationes, quas in ſingulis variolarum generibus propoſui, neceſſariae invenientur.

Illvd denique minime praeteriri debet, quod frequentius in morbo arte effecto, quam qui ſponte ſit ortus, furunculi, & tumores ſub auribus, atque in aliis ſuperveniant; eam, opinor, ob cauſſam, quod minori vi foras illic propellitur venenata materia, cui incommodo ita ſubvenit natura. Quapropter id omnibus modis agendum eſt, ut illi, quicumque ſint, matureſcant, & per ſe aperiantur; ſin minus hoc ſuccedat, ferro incidendi ſunt. Et poſtquam pus omne fuit extractum, idoneis medicamentis, iiſque frequentius, quam in naturali morbo uſitatum eſt, adhibitis, corpus purgari oportet.

CAPVT VI.

De morbillis.

Magnam cum variolis affinitatem habent morbilli; utpote qui eamdem originem ſortiti, in iiſdem gentibus nati, atque eodem modo, contagione nimirum, in diſſitas regiones ſparſi ſint; nec plus vice ſimplici quemquam corripiant.

Historiam morbi, prout apud nos plerumque graſſatur, accuratiſſime, ut ſolet, deſcripſit Sydenhamus; qui *Febrem eſſe* dicit, *quae ut natura, ita & medendi ratione cum variolis ſatis convenit*; hoc eſt, ſumma cum inflammatione conjunctam, & in qua puſtulae ſibi propriae per cutem protruduntur:

Haec

Haec autem inflammatio non ſolum exteriora, ſed etiam interiora corporis occupat, & praecipue pulmonem, unde ſequitur tuſſis cum ſpirandi difficultate. Quamquam autem minus periculoſus ſit hic morbus, quam variolae, & breviori tempore maneat, quippe qui ſexto fere, vel ſeptimo die, interdum vero octavo, ſquamis tenuiſſimis, farinae inſtar, a corpore decidentibus, finiatur; eum graviori tamen, quam illae, anxietate, & calore intenſiori ingruit. Idcirco calorem totius corporis cum inflammatione, in quietudinem, & animi angorem in morbillis, quam variolis gravius urgere obſervavit Rhazes (*a*).

Saepe igitur mirari ſoleo, ſagaciſſimum atque experientiſſimum, quem ſaepius laudavi, Medicum non praecepiſſe, ut in ipſo ſtatim morbi principio detraheretur ſanguis; hanc vero medicinam ita neglexiſſe, ut ſub finem morbi ſolum, ubi regimen, & medicamenta calidiora ſpirandi difficultatem, ac tuſſim intuliſſent, eam adhiberet. Qui tamen ipſe obſervavit diarrhoeam, quae hanc febrem frequenter excipit, quamque *halitibus inflammati ſanguinis in inteſtina ruentibus ortum ſuum debere* dicit, ſola *venae ſectione* levari (*b*). Sed magnus alioquin vir ille venia dignus videtur; quoniam iis temporibus a ſanguinis miſſione in febribus iſtis, quae conjuncta ſecum ferunt exanthemata, idque maxime in pueris, quos praecipue corripit hoc genus aegritudinis, Medici abhorrebant; ne ſcilicet ea depletio eruptioni per cutem faciendae obſtaret. At metum iſtum vanum fuiſſe ex eo apparet, quod rem longe ſecus evenire certiſſimum eſt.

Quocirca, ut ad curationem veniam; quum variolis affinis ſit haec peſtis, non longe ab ea diverſam, quae in illis fuit expoſita, deſiderat. *Sanguis* itaque, incipiente morbo, pro aetatis, ac virium ratione *detrahendus* eſt, &, ſi quidem id fieri poſſit, ante puſtularum eruptionem; ſin illae jam proruperint, nihilominus mitti debet. Maximum enim a pulmonis inflammatione imminet periculum, cui quam citiſſime occurrere oportet. Vnde in febris incremento, etiamſi inter initia id factum fuerit, venam ſecare interdum opus eſt. Denique numquam committendum eſt, ut deſinente jam morbo, ac utcumque marceſcente, omittatur ſanguinis detractio; qua humorum in pectus, aut inteſtina defluxus averti, & ſecuturae hinc febris hecticae, tabiſque incommoda praeveniri poſſint.

Dolendum eſt ſane, Medicos in tanta cutis inflammatione non ſemper praecepiſſe venae ſectionem. Et Mortonum in primis miror, qui, quum morbo conſiſtente miſſionem ſanguinis neceſſariam eſſe animadvertat, in principio tamen ab illa maxime abhorreat. Sed Medici hujus mentem transverſam egit temere concepta, neque recte intellecta opinio de malignitate, & ſpiritibus animalibus infuſo veneno; unde peſſimo exemplo medicamenta calida, cardiaca dicta, copias ſcilicet contra hoſtem auxiliatrices, corpori nimis feſtinanter immiſit (*c*). Tanti refert, ut mechanicis principiis primum inſtructus ad artem medendi quis accedat.

Diaeta ejuſmodi eſſe debet, quam in variolis imperavimus; ita ut ſoluta magis, quam adſtricta toto morbi tempore perſtet alvus.

Ad remedia quod attinet, iis, quae ſanguinem refrigerent, qualia in altero morbo propoſuimus, adjungenda ſunt, quae tuſſim leniant, & materiae exſpuitionem adjuvent; *ecligmata* ſcilicet *oleoſa*, & *decoctum pectorale*, quod, paullo *nitri* adjecto, per totum morbi decurſum potui frequenter dandum eſt. Soporiferum medicamentum, nimirum *ſyrupum e meconio* primis etiam diebus dare ſolebat Sydenhamus, non ſatis, ut opinor, cautus; ſpiſſant enim humores, ſpiritum difficiliorem reddunt, & poſtularum proruptioni obſtant cuncta id genus pharmaca. Propterea, increſcente morbo, his perparce uti oportet; inclinante vero, commodiſſime adhibentur. Quum tuſſis enim ab acri pituita pulmonem infeſtante febrem lentam, & phthiſin minatur, anodynis illam compeſcere opus eſt. At interponenda ſunt in hiſce caſibus per debita intervalla medicamenta cathartica, ſed lenia. *Lac* quoque bibendum eſt, praeſertim *aſininum*. Quin etiam caeli mutatio maxime neceſſaria eſt. Denique exercitationibus, prout aegri imbecillitas id ſinat, agitandum eſt corpus.

G Ve-

(a) *Libel. De variolis, & morbillis, huic Libro adjunct. cap.* I.
(b) *De morbill. cap. V. pag.* 207. (c) *Puretolog. Par. altera, cap. III.*

Vereor profecto, ne famam aucupari videar narratione ſequenti; liceat tamen mihi, quoniam ad rem facit, & priora confirmat, illam exponere. Annis vere quadraginta adhinc graſſabantur in urbe noſtra ſolito ſaevius morbilli, ita ut ipſis variolis eſſent pernicioſiores. Convenit me tunc temporis Medicus quidam celeberrimus, rogans, ut quam tenerem in hoc morbo medendi viam, vellem cum ipſo communicare. Quaero igitur, num ſanguinem detrahi juſſiſſet? Minime, reſpondet; nam rariſſime id fecit Sydenhamus. Quare ut ſemper in principio, vel, ſi ſerius advocaretur, primo quoque tempore ſecari venam juberet, ſuadeo. Peripneumoniam enim, inquam, conjunctam ſecum fert hic morbus, cui non alia via occurri poſſe ipſe optime ſciret. Non ita multo poſt acceſſit ad me, gratias agens pro conſilio; ſeque, quum omnes ad unum hoc modo curaſſet, periculo eripuiſſe affirmans. Ex illo tempore ita increbuit iſta medicina, ut etiam pharmacopoeis noſtris hodie bene nota ſit.

Illud denique monendum videtur, uti de variolis obſervavi, illas plus minus ſaevire, prout anni tempeſtas, & aeris ambientis conditio cum morbi contagio conſpiret (*a*), idem quoque in morbillis ne uſu venire comperiſſe. Commemorat etiam Mortonus anno MDCLXXII. ita in populum graſſatum fuiſſe hunc morbum, ut trecenti ſingulis hebdomadibus in urbe perirent (*b*).

Sed opuſculum hoc qualecumque tandem exegi: quod, ut contentioſis forſan & malevolis hominibus anſam ad cavillandum & reprehendendum praebere poterit; civibus tamen noſtris, ut ſpero, in uſum & commodum cedet; quo nihil eſt magis expetendum. Nam omni laude praeſtantior eſt bene collocatae operae, rectique animi conſcientia; qua fruitur ſemper, qui bono publico ſe conſulere oſtendit.

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo. (*c*)

(a) *Cap. II.* (b) *Append. ad Puretolog. pag.* 427. (c) *Lucan. Lib. II. v.* 383.

RHA-

RHAZIS
DE
VARIOLIS,
ET
MORBILLIS
COMMENTARIVS.

Ex Arabico Latine redditus.

IN NOMINE DEI MISERATORIS, GRATIOSI.

LIBER DE VARIOLIS, ET MORBILLIS

PRAEFATIO.

INQVIT Abu-Becker Mohammed Zachariae filius:

NOCTE quadam, quum conſeſſus haberetur apud virum quemdam nobilem, optimum, excellentem, ſummopere ſtudioſum, ſcientiarum utilium expoſitionis, qua illae hominibus planiores, & intellectu faciliores reddantur, incidit ſermo de variolis. Ibi ego in medium protuli ea nocte, quae illa de re mihi in mentem venerunt.

QVIBVS auditis, vir ille, quem Deus hominum bono diu ſuperſtitem incolumemque ſervet, voluit ut de iſto morbo tractatum componerem, ea convenientia & aptitudine elaboratum, quae eſſet ſolida & ſufficiens; ſiquidem ſuper hoc ſubjecto ab ullo ſive ex antiquis, ſive ex recentioribus ſatis exquiſitus ac plane ſufficiens ſermo nondum hactenus prodiit.

QVARE hunc tractatum compoſui, ſperans Dei potentis glorioſi remunerationem, & effectum beneplaciti ejus.

HAEC eſt autem ſumma contentorum ejus, & elenchus capitum.

CAPVT primum, de cauſſis variolarum: item, cur fiat, ut mortalium nemo, niſi forte unus, aut alter ab eis intactus & immunis evadat.

CAPVT ſecundum, de corporibus, quae apta & diſpoſita ſunt ad variolas: item de anni tempeſtatibus, in quibus frequentius accidere ſolent variolae.

CAPVT tertium, de ſignis prognoſticis eruptionis variolarum, & morbillorum.

CAPVT quartum, de articulis regiminis ſeu curationis variolarum in genere.

Caput quintum, de praeſervatione a variolis, priuſquam appareant ſigna earum; & de modo impediendi, ne multiplicentur, poſtquam apparuerint ſina earumdem.

Caput ſextum, de iis, quae accelerant exitum variolarum, earumque protruſionem: item, quomodo in his juvanda ſit natura.

Caput ſeptimum, circa oculos, & guttur, & aures, & articulos; & quidnam neceſſe ſit, ut provideatur, ſtatim atque apparuerint ſigna variolarum.

Caput octavum, quomodo ad maturitatem perducendae ſint variolae.

Caput nonum, de arefactione variolarum.

Caput decimum, quomodo amovendae ſint ſeu auferendae ſquamae ſiccae variolarum, & eſcharae ab oculo, & reliquo corpore.

Caput undecimum, quomodo delenda & auferenda ſint veſtigia variolarum.

Caput duodecimum, de regimine alimenti, ſeu diaeta ejus, qui variolis laborat.

Caput decimum tertium, de regimine naturae, ſeu alvi ejus, qui variolis laborat.

Caput decimum quartum, de variolis, & morbillis ſanabilibus, & mortiferis.

RHA-

RHAZIS DE VARIOLIS, ET MORBILLIS.

CAPUT I.

De cauſſis variolarum item, cur fiat, at vix ullus mortalium illis, niſi forte unus aut alter, immunis evadat; nec non ſumma brevis eorum, quae meminit Galenus de variolis.

QVODAD illos e Medicis, qui pronuntiant, excellentiſſimum Galenum nullam variolarum feciſſe mentionem, ac proinde eum illas omnino ignoraſſe; nae iſti libros Galeni nuſquam legerunt, vel ii ſunt, qui id, quod de illis habet, ſuperficie tenus, & quaſi per tranſennam perluſtrarunt. Quid? quod plerique eorum neſciunt, an id, quod de illis diſerte meminit, revera voluerit de iiſdem intelligi.

NAM Galenus praeſcripſit in tractatu quodam, dixitque, quod *illud *** juvat hoc, & illo modo, & etiam contra variola*. Et initio tractatus decimi quarti libri *De pulſu*: quod *ſanguis majorem in modum putreſcit, & eo uſque pervenit prae inflammationis exceſſu, ut cutem comburat, ac tandem in ea conflentur valiolae, & anthrax peſtilens, excorians, adeo ut cutis conſumatur*.

ET tractatu nono libri *De uſu membrorum* ait, quod *partes redundantes alimentorum, quotquot non convertuntur in ſanguinem, & in membris remanent, putreſcunt, & progreſſu temporis in majorem molem concreſcentes effervefcunt; ude fit, ut tandem generetur anthrax peſtilens, & conflentur variolae, & inflammationes confluentes*.

DENIQVE tractatu quarto *Commentarii* in librum Platonis, cui titulus eſt *Timacus*, dicit, *Veteres nomen impoſuiſſe* φλεγμονή, inflammatio, *omni rei, per quam producitur rubeo, veluti anthraci, & variolis; atque hujuſmodi morbos generari in illis, in quibus abundet bilis*.

QVODAD illos vero, qui dicunt Galenum nullum propoſuiſſe remedium ſeu curationem propriam, & ſufficientem; neque cauſſam hujus morbi, poſt factam ejus accuratam diſquiſitionem, exploratam attuliſſe; illi ſane verum dicunt: revera enim non meminit de hoc morbo, niſi id quod retulimus. At Deus novit, annon de eo mentionem fecerit in libris ſuis, qui nondum Arabice prodierunt.

QVODAD ad me attinet, diu eſt, quod ſumma diligentia laboravi, interrogando eos, qui linguarum Syriacae, & Graecae periti eſſent, ut ea de re certiorem me facerent: ſed inter illos fuit nemo, ne unus quidem, qui aliquid mihi adjiceret, praeter id, quod memoravi.

EGO vero id valde miror, & quomodo factum ſit, ut Galenus hunc morbum eo uſque ſilentio praetermiſerit; praeſertim quum ipſius aetate frequentiſſime oboriretur, ac proinde tum graves eſſent rationes huic remediis occurrendi; ipſeque tam diligens fuerit in ceterorum morborum cauſſis inveſtigandis, & illorum remediis interveniendis.

QVODAD recentiores, propoſuerunt quidem aliquot remedia ad curandas variolas; in quibus nihil definitum aut diſtinctum eſt. Sed nemo ex eis reperitur, qui morbi illius cauſſam producat; & cur fiat, ut vix ullus hominum, niſi forte unus aut alter, ab illo intactus & immunis evadat; aut modo illius curandi ſubminiſtret, ſingula quaeque ſuis locis ordine tractando.

ATQVE ob id ipſum eſt, quod ſperem magnam fore mercedem viri illius, qui nos ad componendum hunc tractatum excitavit; & mercedem quoque noſtram duplicandam fore, poſtquam omnia, quae ad morbum hunc curandum requiſita ſunt, nos exſecuti fuerimus, totum opus terminis ſuis definiendo, & in capita certa diſtribuendo, tum ſingula quaeque ſuis locis aſſignando, volente Deo.

INCIPIAMVS igitur memorare cauſſam efficientem hujus aegritudinis; item, cur fiat, ut mortalium vix unus illam effugiat. Deinde reliqua, quae huc pertinent, in ſequentibus capitibus ſigillatim perſequemur; & de ſingulis eorum, quidquid neceſſarium fuerit ad hunc morbum curandum, cum auxilio, dicemus.

DICO igitur (*a*) hominem a tempore, quo

(a) Hic demum tranſlatio Graeca interpretis anonymi incipit.

quo natus eſt, donec ad extremam uſque ſenectutem perveniat, indeſinenter ad ariditatem tendere: atque inde eſſe, quod ſanguis puerorum, & infantium, ſervata proportione cum ſanguine juvenum, multo magis humiditate abundet, quam ſanguis ſenum; ſitque inſuper magis calidus.

Et id quidem docuit Galenus in *Commentario* ad *Librum aphoriſmorum*, ubi ait: *Caliditas puerorum eſt quidem quantitate major, quam caliditas juvenum; ſed caliditas juvenum eſt qualitate vehementior.*

Qvod & demonſtratur ex bonitate operationum naturalium, videlicet digeſtionis, ſeu concoctionis alimentorum, & accretionis in pueris. Quapropter aſſimilatur ſanguis infantium, & puerorum muſto, in quo nondum incepit fieri coctio perducens ad maturationem perfectam, & cui nec dum competit motio ad fervefactionem. Aſſimilatur vero ſanguis juvenum muſto, e quo fit efferveſcentia, & erumpunt vapores, uſque dum tranquillum, & maturum fit vinum. Sanguis denique ſenum ſimilis eſt vino, cujus virtus jam evaporavit, ita ut vapidum fiat, & frigere, & aceſcere incipiat.

Oriv ntvr autem variolae, quum ſanguis putreſcit, efferveſcitque, & quum ex eo particulae vaporum extruduntur, facta mutatione ſanguinis infantilis, qui quidem muſto ſimilis eſt, in ſanguinem juvenum, qui ſimilis eſt vino maturato.

Ipsaeqve variolae ſunt illa fervefactio, & ebullitio, quae excitari ſolet in muſto in illo fervoris tempore.

Atqve haec eſt ratio, cur vix iis immunes evadant pueri, praeſertim mares. Nam idem procul dubio evenit ex mutatione ſanguinis ab hoc primo ſtatu in ſecundum, quod itidem procul dubio accidit in mutatione muſti; cui tunc ſcilicet proprium eſt, ut ebulliat, & ferveſcat in illo ſtatu, donec poſt finitam fermentationem pervenerit ad maturitatem. Et ſane raro evenit tale temperamentum in infante, aut puero, quod fiat mutatio ſanguinis a priore ſtatu ad ſecundum parvo tempore, & ſine manifeſtis indiciis: quod & ex illorum regimine ſeu diaeta facile potes aeſtimare; nam infantium diaeta in lacte conſiſtit. Quod ad pueros, tametſi horum diaeta non omnino in lacte conſiſtat; alimenta tamen eorum habita ratione, ſunt valentiora ceterorum hominum alimentis, quorum major mixtura. Quibus adde, quod in illis poſt cibum fiat humorum motio vehementior. Propter has itaque rationes perpauci ſunt ex pueris, qui hoc morbo immunes ſunt.

Tvm poſtea fit ſtatutum illorum mutatio pro temperamentorum diverſitate, & regiminum, & habituum, nec non aeris ambientis, & circumfuſi, & ſtatus ſanguinis, qui in venis eorum in quantitate, & qualitate differt: nam idem ſanguis in his celeriter fluit, in illis tardius movetur; in aliis abundat, in aliis deficit; in quibuſdam qualitate praviſſimus eſt, in nonnullis qualitate minus pravus.

Qvod autem juvenes ſpectat; quum jam facta ſit ſanguinis eorum mutatio a primo ſtatu in ſecundum, & perfecte abſoluta ſit maturatio ejus, atque ex eo humiditatis particulae exhalatae ſint, quae putrefactionem creare debuerant; hinc ſequitur hunc morbum in eis non oriri, niſi in p ſſimis, in iis videlicet, in quorum venis ſanguis nimia humiditate abundat, aut eſt qualitate pravus cum vehementi inflammatione; vel ſi forte, quod ipſi erant pueri, variolis implicitì fuerant levibus, tum quum nondum perfecta erat mutatio ſanguinis a ſtatu primo ad ſecundum.

Accidvnt quoque iis maxime juvenibus, qui caliditatem hebetem habent, vel ſine nimia humiditate; tum etiam illis, qui in aetate puerili variolis levibus tentati, ſicci temperamenti, & macilenti evaſerint.

Qvando vero ad aetatem provectam homines pervenerint, vix, ac ne vix quidem in ipſis is morbus orietur; niſi forte in ſtatibus aeris peſtiferi, putridi, & maligni; in quibus hic morbus plurimum graſſatur. Scilicet iſtius modi aer corpora ad caliditatem, & humiditatem valde diſponet; & aer inflammatus hujus aegritudinis eruptionem juvat, & promovet: perflando enim ſpiritum, qui eſt in duobus cordis ventriculis, habitum ſibi ſimilem cum ipſo communicat; deinde univerſum ſanguinem, qui eſt in arteriis, mediante corde, ad eumdem corruptionis ſtatum perducit.

Iam diximus de cauſſis variolarum ſermone ſufficiente & brevi; nunc ergo dicturi ſumus de corporibus, quae apta ſunt & diſpoſita ad variolas, & morbillos.

CA-

CAPVT II.

De corporibus, quae apta ſunt & diſpoſita ad variolas.

HAec ſunt in univerſum corpora humida, alba, carne repleta, & bene colorata, inprimis ad rubrum & fuſcum vergentia, ſiquidem carne graventur. Item illa corpora, quae frequenter obnoxia ſunt febribus acutis & continuis, haemorrhagiae, lippitudini, exanthematibus rubris, & furunculis provenientibus ex eſu rerum dulcium; praecipue dactylorum, mellis, & ficuum, & uvarum, & omnis generis rerum ſuavium, in quibus ineſt craſſities, & denſitas; veluti pulmenti ſpiſſioris, & edulii ex amylo, aqua, & melle confecti; ut & ex largiore copia vini, & lactis.

CORPORA autem macilenta, biliosa, calida, & ſicca magis apta ſunt & diſpoſita ad morbillos, quam ad variolas. Quod ſi tamen variolis corripi contingat, fieri non poteſt, quin variolae ſint vel paucae numero, diſcretae, & leves; vel contra, veniant pravae admodum, enormes, fallaces, ſiccae, cum putrefactione, & abſque maturatione.

CORPORA denique macilenta, & ſicca cum frigiditate temperamenti nequaquam apta ſunt & diſpoſita ad variolas, ſive ad morbillos. Quod ſi tamen corripi contingat variolis, eae ſunt in illis paucae, leves, moderatae, tutae, cum frebibus itidem moderatis, & lenibus: quoniam ejuſmodi corpora variolas ab ipſo initio exſtinguere ſolent.

QVOD AD tempora, ſeu anni tempeſtates, in quibus ſolent oriri variolae, haec ſunt varia; ſed praecipue extrema pars autumni, & veris principium; & quando per aeſtatem pluviae intenſae, crebraeque ſunt, & venti auſtrales perflant plurimi & continui; & denique quando hiems calida eſt, & ventis auſtralibus perflata.

QVANDO autem aeſtas fuerit caliditate, & ariditate excedens, & illam exceperit autumnus calidus, ac deinde ſero admodum ſucceſſerint pluviae, tunc morbilli celeriter invadunt eos, qui ad illos apti & diſpoſiti ſunt, eos videlicet, qui habent corpora macilenta, calida, & biliosa.

PERSAEPE tamen in his accidit diverſitas propter regionum, & locorum diverſitatem, & ſtatus in aere occultos, qui neceſſario faciunt illos oriri morbos, & corpora ad illos apta reddunt. Vnde fit, ut in aliis atque aliis tempeſtatibus eveniant.

ATQVE tunc oportet ſummam adhibere diligentiam circa praeſervationem adverſus iſtos morbos, ſtatim atque videris eos incipere, atque in homines graſſari; quemadmodum in ſequentibus memorabimus.

CAPVT III.

De ſignis prognoſticis, ſeu indicantibus eruptionem variolarum, & morbillorum.

ERVPTIONEM variolarum praecedit febris continua, & dolor dorſi, & pruritus in naſo, & terrores in ſomno. Haec quidem ſunt propria ſigna inſtantium variolarum, ſed praecipue dolor dorſi cum febre; tum etiam punctio, quam ſentit aegrotus in univerſo corpore; item repletio faciei, tum ejuſdem in priorem ſtatum reditus, & rutilus color, & intenſio ruboris alia atque alia; rubedo oculorum, totius corporis gravitas, oſcitatio frequens, dolor in gutture, & pectore cum quadam ſpiritus difficultate, & faucium anguſtia; item ariditas oris, craſſities ſalivae, raucedo vocis, cephalalgia, gravedo capitis, inquietudo animi, taedium, nauſea, & maeror: magis urgent in morbillis, quam in variolis, niſi variolae ſint pravae; nam morbilli ſunt ex ſanguine admodum bilioſo: & vice verſa dolor dorſi magis proprius eſt variolis, quam morbillis, ut & calor totius corporis, ejuſque inflammatio, rubor, & ſplendor, & praeſertim calor juguli.

QVVM itaque videris iſta ſigna, vel ex eis aliquot, inprimis vehementiora, jam noveris inſtare in aegroto eruptionem vel variolarum, vel morbillorum.

QVOD ad variolas tutiores attinet, in iis eſt quantitas ſanguinis maior, quam pra-

vitas ipſius: atque inde eſt, quod oriantur cum dolore dorſi; eo quod vena & arteria majores, quae ſitae ſunt juxta omoplatarum vertebras, prae ſanguinis copia nimio plus diſtendantur.

CAPVT IIII.

De articulis regiminis, ſeu methodi curationis variolarum in genere.

ARticvlvs primus, praeſervatio adhibenda, priuſquam appareant ſigna variolarum; & quomodo cohibendae ſint, poſtquam apparuerint ſigna earum.

Articvlvs ſecundus, quomodo habenda ſit cura circa eruptionem, & potruſionem earumdem.

Articvlvs tertius, providentia habenda circa oculos, & cilia palpebrarum, & meatus aurium, & interiora narium, & guttur, & articulos; ita ut nihil mali in hiſce ſuccedat.

Articvlvs quartus, quomodo acceleranda ſit maturatio earum.

Articvlvs quintus, acceleratio areſactionis earumdem.

Articvlvs ſextus, quomodo amovendae ſint ſeu auferendae ſquamae variolarum, & ἰσχάραι, i. e. cruſtae, ab oculo, & reliquo corpore.

Articvlvs ſeptimus, quomodo delenda ſint veſtigia variolarum.

Articvlvs octavus, de regimine alimenti, ſeu diaeta ejus, qui variolis laborat.

Articvlvs nonus, de regimine naturae, ſeu ventris ejus, qui variolis laborat.

Articvlvs decimus, de variolis, & morbillis ſanabilibus, & mortiferis.

Ego itaque de quolibet ex his articulis dicturus ſum, ſermone brevi, & ſufficiente, ſi Deus optimus maximus voluerit.

CAPVT V.

De praeſervatione a variolis, priuſquam appareant; & de modo impediendi, quo minus multiplicentur, poſtquam apparuerint.

OPortet mittere ſanguinem pueris, & juvenibus, quotquot variolis nec cum capti fuerunt, vel iis, qui capti fuerunt levibus; praeſertim in iis ſtatibus, & temporibus, quae ſupra deſcripſimus, antequam febricitent, in eiſque appareant variolarrum ſigna. Secetur autem vena iis, qui quatuordecim annos nati ſunt; his vero aetate minoribus admovendae ſunt cucurbitulae, & cubicula eorum refrigeranda.

Cibvs praebeatur ex lentibus flavis; eſculentum omphacinum, ſeu ex uvis acerbis; & cibus acidus, qui ex carnibus conciſis (ſubinde uvae paſſae, paucae ficus, ciceraque adduntur) cum aceto, & melle, vel ſyrupo acido conficitur; & jus ex carne haedina paratum: item gelatina ex carne vitulina, & cibus confectus ex carne vitulina, & carne cocta attagenum, & gallinarum. Eſculenta autem ex his parata debent commiſceri cum ſucco omphacino, ſeu uvarum acerbarum.

In potum detur aqua nive refrigerata, vel aqua fontium limpidorum frigida, qua & conſpergantur cubicula eorum.

Vtantvr frequenter malis punicis acidis, & ſuccis inſpiſſatis fructuum acidorum, & adſtringentium; veluti ſuccis mali punici, ribas, [a] aliiſque hujuſmodi.

Si quis autem fuerit calidioris temperamenti, & cum majori inflammatione, ſumat matutino tempore aquam hordei ſecundum artem paratam, in quam affuſa fuerit quarta pars ſucci mali punici acidi.

Si quis autem fuerit minoris caloris, quam iſti, detur ei matutino tempore ptiſana hordei cum ſaccharo; & cibis ejus admiſce acetum, & lentes, & mala punica, & omphacium inprimis: his enim efficies, ut ſpiſſiorem reddas ſanguinem, ſimulque eum refrigeres; quo fiet, ut minus excitentur & effervefcant variolae.

Atqve hoc regimen quam maxime proderit in omnibus peſtiferis temporibus: imminuit enim malignitatem ulcerum peſtilentium, & furunculorum, & depellit anginas, & pleuritides, & in genere cunctas aegritudines a flava bile, & ſanguine ortas. Porro abluantur circa meridiem in aqua frigida, in illam ingrediantur, & natent in ea.

Ab-

[a] *Ribas*, lapathi acetoſi ſpecies, cujus rubicundus, aciduſque ſuccus ad tertias decoctus *Rob de Ribes* vulgo dicitur. Vid. Golii *Lexic.*

Abstineant a lacte recenti, a vino, dactylis, melle, & in univerſum a rebus dulcibus, & (a) variorum ciborum in unum commixtorum obſoniis; a carnibus vervecum, & jumentorum, & locuſtarum, & condimentis, nec non a ſeminibus calidis.

Dentur autem eis, quando aderit tempus contagioſum & malignum, pulli avium; vel ſi fuerit temperamentum eorum calidum, & humidum, putredini obnoxium; vel calidum & ſiccum, ad inflammationem idoneum; adhibitis medicamentis, quae jam deſcribemus. Nimirum dato iis, qui fuerint temperamenti calidi, ſicci, ac inflammati, olera frigida, humida, extinguentia; ut ſunt olus fatuum; i. e. portulaca, malva, beta, cucurbita, & cucumis, & lapathum, & pepones parvi.

Quod ad melones ſpectat, praeſertim dulces, ab iis prohibendi ſunt quam maxime: quod ſi forte ex iis ſumſerint, ſtatim bibant cocleare plenum ſuccorum fructuum acidorum.

Dato iiſdem de piſcibus mollibus, & Alraib, i. e. lac, cui ademptum eſt butyrum.

Quod ad illos, qui habent corpora obeſa, carnoſa, candida, rubra; iis in alimento admiſcenda ſunt, uti jam prius memoravimus, quaecumque ſunt refrigerantia, & ſiccantia.

Interdicito omnibus labore, defatigatione, balneo, venere, deambulatione, & equitatione in ſole, & pulvere; potu ſtagnantis aquae, fructibus, & leguminibus uredine, & robigine tactis.

Cieto alvum eorum, quando opus fuerit, ſucco prunorum, & ſaccharo, vel ſero lactis, & ſaccharo.

Cavere jubeto a ficubus, & uvis: quia ficus puſtulas gignunt, & ſuperfluos humores ad exteriora cutis propellunt; uvarum autem proprium eſt, ut ſanguinem flatu, & ſpiritu impleant, eumque proinde ad ebullitionem & effervefcentiam adhuc magis idoneum reddant.

Quod ſi aer fuerit admodum pravus, putridus, peſtiferus, inſpergenda eſt facies perpetuo aqua ſantali, & camphora; & effectum habebit bonum, Deo ita permittente.

Quod ad infantes, & lactentes, cucurbitulas admoveto iis, qui quintum menſem praetergreſſi ſunt, quum fuerint obeſi, albi, rubore micantes. Porro nutricem, quae lactat, eo regimine guberna, quod jam memoravimus, quantum fieri poterit.

Nunc recenſenda nobis veniunt medicamina, quae ſanguinem ſpiſſant, & refrigerant, & putrefactionem ejus, & ebullitionem cohibent.

Huc faciunt omnes res acidae; & praeſertim aqua dicta Al-raib, i. e. lac demto butyro ſumme acidum; eſtque illa tenuis aqua acidula, amara, quae ſuper lac debutyratum aſcendit, quum ſoli expoſitum fuerit; & acidum malorum citriorum.

Idem etiam praeſtant cum ſumma utilitate res multae, quae cum aciditate conjunctam habent adſtringendi vim; ut ſunt omphacium ſeu uvae acerbae, & ſumac ſeu rhus Syriacum, Rob Ribas, i. e. uvarum Corinthiacarum, poma, mala cydonia, & mala punica acida: & res, quae natura ſua ſanguinem condenſant, ut zizipha, lentes, braſſica, coriandrum, lactuca, papaver, intybum, ſolanum, ſaccharum Bambu (b) dictum, ſemen pſyllii, & camphora.

Haec eſt porro medicamenti deſcriptio, quod ſanguinis ebullitionem ſedat, & juvat contra aeſtum, & fervorem jecoris, & ardorem flavae bilis.

Rosarum rubrarum contuſarum drachmae decem; ſacchari Bambu dracmae viginti; ſumac, i. e. rhus Syriaci, ſeminis oxalidis herbae majoris, lentium decorticatarum, berberum, ſeminis portulacae, ſeminis lactucae albae, ſingulorum dracmae quinque; ſantali albi drachmae due cum dimidio; camphorae drachma una.

Admisceatur potui aegroti matutinis temporibus menſura drachmarum trium cum uncia una ſucci oxalidis ſitim ſedantis, vel ſucci Ribas, i. e. uvarum Corinthiacarum, vel ſucci mali punici, vel aquae omphacinae, & his ſimilium.

Hic etiam prodeſt medicina dicta Alſacangia

(a) Vox proprie denotat *Cibaria, quae ex carnibus, caepis, oleo, butyro, & caſeo ſicco componuntur.*

(b) Ita in India dicitur, eſtque liquor ſpecie ſacchari concretus in arundine Indica majore.

giabin, id eſt, oxymel ſaccharatum, hoc modo paratum.

Accipiatur pars una aceti rubri depurati acris cum duabus partibus aquae roſarum; commiſceantur, & macerentur in iis unica una foliorum roſarum rubrarum ſiccarum, item balauſtiorum unciae dimidium, & corticis mali punici unciae duae per tres dies. Deinde coletur, poſtquam ei injeceris, pro ratione ponderis aceti, duplum vel triplum ſacchari dicti Tabarzad, i. e. albi duriſſimi. Tum excoquito quantum ſatis eſt, & utitor.

Proderit etiam, ſi accipiantur roſarum, & ſacchari Bambu ſingulorum drachmae decem; ſantali albi drachmae tres; camphorae drachma una: ſubigantur cum mucilagine ſeminis pſyllii, fiant pilulae vel paſtilli. Ex hoc in potu praebeantur, quando opus erit, drachmae tres cum uncia una praedictae medicinae Al-ſacangiabin.

Praeterea utiliſſimus erit ſyrupus ſequentis compoſitionis; & mirum quantum virtute ſua ſuperant, & excedit ſyruporum omnium virtutem, quantum vidimus, & experti ſumus: niſi forte fuerit ſyrupus margaritarum, quem deſcribunt Indi, alio quam ipſi experti ſunt modo. Ajunt enim: *Si quiſpiam bibat de ſyrupo illo, cui variolae jam novem prodierint, decima non ſuperveniet.*

Haec eſt autem ejus deſcriptio. Accipiatur acetum rubrum, depuratum, vetus, acre, pondo librarum trium; ſucci mali punici acidi, & ſucci acidi malorum citriorum, aquae omphacinae, aquae ſeu ſucci Ribas, ſucci mororum Syriacorum, expreſſionis rhus Syriaci, & berberum, ſingulorum libra una; ſucci lactucae, ſucci dracunculi hortenſis, ſingulorum librae quarta pars; decoctionis Ziziphorum rubrorum, & macerationis lentium, ſingulorum libra una cum dimidia. Totum ſimul commiſceatur, injectis ei ſacchari libris tribus; bene contuſum conquiſito, & affunde aliquid de ſyrupo jam confecto, eoque calido, & contere piſtillo, quoad diſſolvatur; deinde cum toto admiſceatur, indeſinenter movendo cum ſegmento cannae camphorae: tum projicito in mortarium ex marmore, vel ex ligno ſalicis factum, atque optimam ejus partem excipito a principio uſque ad finem: denique, poſtquam ei injeceris ſaccharum Bambu, & camphoram, quoad commiſceantur; utere priuſquam appareant variolarum ſigna, & poſtquam variolae ipſae apparuerint, quemadmodum dicturi ſumus. Et in omnibus aegritudinibus ex ſanguine, & ex flava bile ortis, & ulceribus peſtilentibus, & furungulis, ſtrangulationibus faucium, aliiſque ſimilibus, utiliſſimum eſt remedium, Deo adiuvante.

Atque haec in genere ſufficiant de praeſervatione a variolis, antequam oboriatur febris, quam comitari ſolent variolarum ſigna.

Dicto autem ſyrupo variolae ab homine repelluntur, qui ita paratus eſt, ut ab eo repelli poſſint; adeo ut id variolarum, quod illi continget, non poſſit non eſſe leve & modicum. Efficit etiam, ut ſanguinis mutatio a primo ſtatu ad ſecundum non fiat cum acceleratione nimia, & parvo tempore, cum ebullitione, & effervescentia, & comitantibus ſymptomatibus periculoſis, & terrorem incutientibus; ſed paullatim, ſenſim, & longiori tempore, & ſucceſſive; atque per motum maturationis, non per modum putrefactionis abſque febribus periculoſis, pravis, terribilibus, aut ducentibus ad ſtatum dolorificum.

Quando vero febris exoritur, quam comitantur variolarum ſigna, jam non oportet amplius hoc regimine uti; niſi poſt conſiderationem, & diligentem attentionem, & cautam prudentiam: quia periculum hic ex errore contingens maximum eſt, idque ob eam cauſſam, quod dum ſanguis concitatur, & intumeſcendo augetur, & pro ratione temperamenti, natura conatur totam ejus redundantiam foras extrudere, aut ad alia corporis membra depellere; ſi tunc condenſatio tua, & refrigeratio tua, qua intendis illum refrigerare, non pervenerit ad majorem frigiditatis, & denſitatis gradum, quam erat antea; accidet, ut ebullitio ejus erumpat etiam ſecunda, & tertia vice; fietque, ut contra naturam juves, illamque ab opere ſuo impedias. Nec fieri poteſt, ut quamdiu vehemens fuerit ebullitio, ea ſedetur, niſi cum magno periculo; adhibitis ſcilicet iis rebus, quae congelatum, & concretum reddunt ſanguinem: ut ſunt opium, cicuta, plurimum ſucci la-

ctu-

ſtucae, & ſolanum, & id genus alia, cum ſedula attentione ad regimen a nobis praeſcriptum. Neque tuta eſt cum his omnibus, congelatio ſanguinis, & caloris naturalis exſtinctio propter exceſſum, qui hic facile committitur: ſi enim excedis, haud eo pervenies, ut ſimul ebullitionem exſtinguas, & debitum naturae calorem ſerves. Denique quando in his excedis, eo uſque modum transgrederis, ut ſimul calorem praeternaturalem, & naturalem exſtinguas.

Ego vero hoc loco rem tibi commemorabo faciendam, quam vulgo praetermittunt Medici, alii quidem ex ignorantia, alii autem ob avaritiam, & ut totum ſibi ſolis lucrum vindicent, ne tu graviter cum illis contra naturam pecces; idque cum bona Dei O. M. voluntate.

Qvando igitur videris variolarum ſigna, ſimulque obſervaveris corporis diſtenſionem, nimiamque jactationem, & dolorem dorſi, & ruborem coloris, & oculorum, & cephalalgiam vehementem admodum, & pulſum magnum & plenum, itemque reſpirationem anguſtam, & urinam turbidam, rubram; nec non tactum corporis calidum, cujuſmodi eſt ſtatus hominis, qui in balneo per aliquod tempus duravit; ſi inſuper fuerit corpus carnoſum, tunc ratio regiminis poſtulat, ut ſanguis mutetur.

Sangvinem itaque magna copia detrahito, quoad oboriatur deliquium. Fuerit autem optimum detrahere e vena baſilica, vel aliqua ejuſdem propagine, ſeu ramificatione: quod ſi haec non inveniatur, e vena cephalica. Quin etiam detractio fiat e vena poplitis, vel e vena ſaphena, quando non poſſit inveniri baſilica, aut aliqua vena ex ejus ramis. At ſatius eſt, ut extrahatur ex baſilica, aut ejus ramis: nam iſtae venae ſanguinem trahunt e venis majoribus, quae ſunt in abdomine, plus quam trahit cephalica.

Qvando vero ſigna non fuerint admodum valida, quamquam omnino manifeſta; detrahe quidem ſanguinem, ſed parcius: & quando fuerint minora, detrahe paullulum ſanguinis. Deinde curationem aggredere, adhibitis exſtinguentibus, uti jam tibi memoravi.

Vbi porro deprehenderis extinguentia jam ſedaviſſe calorem febrilem, & pulſum, & ſpirituum ad ſtatum naturalem rediiſſe, iiſdem adhibendis inſiſtito: hac enim ratione nimium aeſtum variolarum ab aegroto prorſus brevi depelles, & comprimes.

Vt autem efficacius hanc exſtinctionem peragas, bibendam praebe aquam in nive refrigeratam in ſummo frigiditatis gradu, efſuſim, & affatim datam, & brevibus intervallis; ita ut ea prematur, & frigiditatem ejus ſentiat in inteſtinis ſuis aegrotus.

Qvod ſi poſthac febricitet, & in illum redierit ardor, potui illam dato ſecunda vice, videlicet a libris duabus ad tres, & amplius in ſemihorae ſpatio.

Qvod ſi adhuc calor redierit, & venter aqua repletus fuerit, fac ut illam evomat: tum denuo aquam bibendam praebe. Si inſuper aqua permeans vel per ſudorem, vel per urinam reddatur, ſcito ſanitatem eſſe proximam.

At ſi aqua permeando minime deſcenderit, aut videris calorem febris augeri, & rediiſſe, quemadmodum erat prius, aut etiam validius, omitte jam praebere ei aquam frigidam tot vicibus, & converte te ad cetera exſtinguentia, quae deſcripſi: & ſi videris his levari aegrotum, iis adhibendis inſiſtito & pergito.

Sin contra perceperis ab his moleſtiam, & inquietudinem pernicioſam creari; aut ſi in univerſum obſervaveris moleſtiam, & inquietudinem vehementem, & ſupra modum, jam certo noveris inſtare eruptionem vel variolarum, vel morbillorum.

Qvare tunc oportet, ut miſſum facias hujuſmodi regimen, & accedas ad juvandam naturam; quo redundantia extrudat, & expellat eo modo, quem in ſequenti capite deſcripturus ſum.

CAPUT VI.

De iis, quae accelerant exitum variolarum.

Variolarvm, & morbillorum exitum haec accelerant. Aegrotum veſtibus involvere oportet, & fricare corpus; in locis non admodum frigidis locare; frigidam paullatim, ac ſucceſſive ſorbendam dare; adeo ut ſudor provocetur, & eliciatur, juvetque protruſionem humorum redundantium ad extimas corporis partes.

In-

Indvatvr aegrotus duplici induſio, & orae ejus vinciantur. Sub illo appone duas pelves parvas, in quibus ſit aqua fervens, unam ante illum, & alteram pone ipſum; ita ut vapor ad univerſum corpus pertingat, facie excepta; ſicque rareſiat cutis, faciliorque reddatur ad excipiendum humorem illum, eumque protrudendum. Dum enim corporis ſuperficies in hoc ſtatu eſt, comparari poteſt cum hirudine, quae propter aeſtum ſuum attrahit ad ſe refrigerandam, quidquid ſibi convenientius eſt. Fit autem, ut hac regiminis ratione ſuperficies corporis molleſcat, ſimul & aegroti vires ſerventur: neque ulla res in hoc ſtatu magis opportuna eſt; nempe involutione veſtium, & frictione, & fomentatione cum aqua calida, quemadmodum memoravimus.

Enimvero quod ad fornaces, & balnea attinet, haec duo pernicioſa ſunt in hoc ſtatu: ambo enim nimis calefaciunt, ac ſupra modum vires debilitant, & affligunt in hoc ſtatu; adeo ut oboriatur deliquium. Deliquio autem exorto, natura ab eo, quod ſibi congruum eſt, avertitur, & periclitatur aeger; praeſertim ubi deliquium eſt vehemens, & perpetuum. Nulla enim res imminentem interitum magis demonſtrat, hoc loco praeſertim, quam tale deliquium; oſtendit nempe proximum naturae deficientis lapſum, ejusque ad interiora corporis receſſum, & contractionem: quod ſtatim atque eveniet, haud diu erit, quin humores redundantes illam obruant, & exſtinguant. Oportet autem, ut nequaquam permittatur vapor calidus refrigeſcere in ſuperficie corporis poſt factam in eo fomentationem; ſed ſtatim exſiccandus eſt, abſtergendo illum ſedulo, & cum magna diligentia. Atque haec methodus apprime ſufficiens eſt, ut facilis reddatur exitus humorum redundantium ad extra; quando natura non fuerit languida, aut humores ſuperflui nimium craſſi, vel propter viſcoſitatem depulſu difficiliores.

Verum quando fuerit febris mitior quidem, atque pacatior in ſuperficie corporis; angor autem, & inquietudo perſtent, & egreſſus variolarum ſit difficilis, morare, donec dies quintus elapſus fuerit: tunc enim tibi neceſſario incumbet, ut iis utaris medicaminibus, quae exitum earum faciliorem reddant. Sed oportet, ut id a te praeſtetur caute, cum prudentia, & omnimoda attentione; eo modo, quem jam tibi commemoravi, ubi de conditionibus, & legibus exſtinguentium mentionem feci. Nam error in hoc caſu, licet non ſit aeque magnus ac ille prior, eſt tamen etiam magnus. Quare cautela, ne hoc loco in errorem impingas, in eo potiſſimum conſiſtit, ne temere nimium uſum medicaminum adhibeas, ſed priori regimini conſtanter inſiſtas, quamdiu tibi ſpes erit, ut illis facile careas; & quamdiu non certo conſtabit apud te, febrem eſſe remiſſiorem in interioribus, quemadmodum remiſſa eſt in corporis exteriore ſuperficie: & id quidem oppido cognoveris, ſi pulſus, & reſpiratio non fuerint citatiores, neque majores, neque irregulares; tum ſi tactus pectoris non ſit in ſummo caliditatis gradu. Scito enim, etiam ſi febris augeatur in proportione dupla, & amplius, non idcirco aegrotum ad interitum perventurum prae vehementia caliditatis ejus. Atque id reſcire poteris, ſi hanc febrem compares cum aliis febribus, quas obſervaveris in illo; vel in aliquo alio ejuſdem cum ipſo temperamenti, & in eodem aeſtus gradu conſtituto, qui ſanitatem recuperaverit, & ab iſta febre liberatus fuerit.

Adhibenda quoque ſunt haec remedia, quando ſimul atque prodit, & apparet aliquid variolarum in cute, aegrotus leviuſcule ſe habere ſentit, & tactus pulſus, & reſpiratio in eadem proportione eſt. At contra ſi videris exitum variolarum & protruſionem earum lente fieri, & cum difficultate; tum in hoc ſtatu ab exſtinguentibus valde abſtineto: nam iis uti eſt contra naturam niti, eamque prohibere, quo minus ad exteriora humores protrudat. Quando vero aliquid angoris uſum exſtinguentium exceperit, ſcito te erraſſe. Quod ſi eveniat palpitatio cordis, noveris te errorem ingentem commiſiſſe. Quare eo ipſo momento totam tuam induſtriam conferre debes in emollienda cute, eo modo, quem docui: tum praebeto ei, una vice poſt alteram, aquam calidam, vel ſolam, vel in qua prius decoxeris ſemen foeniculi, & apii, cetera-que hujuſmodi ſimplicia, quae ad faciliorem reddendum variolarum exitum conducunt; prout videris caloris, & inflammationis ejus proportionem, & prout ferre poterit aegrotus;

tus; tum etiam reſpectu habito ad lentorem, & hebetudinem variolarum, earumque exitus tarditatem.

Descriptio medicinae lenitivae, ſedativae, quae ſine nimia caliditate faciliorem reddit exitum variolarum.

Accipiantur ficus flavae triginta numero; uvarum paſſarum, demtis acinis, drachmae viginti: ſuperinfundantur aquae librae tres; ebulliant, quoad colliquefiant. Ex hoc liquore bibendum praebeatur aegroto librae dimidium tribus vicibus: deinde veſtibus involvatur, & fiat fomentatio, quemadmodum ſupra praeſcripſimus.

Descriptio medicinae ea efficacioris.

Accipiatur praemiſſae decoctionis quantitas unciarum quatuor; & ex decoctione ſeminis foeniculi, & apii quantitas unciarum duarum; bibatque, prout diximus.

Et adhuc ea efficacior.

Accipiantur ſeminis foeniculi, & apii, ſingulorum drachmae decem; ebulliant in vaſe teſtaceo, quoad rubeſcat aqua: tum percoletur; bibatque ex eo liquore quantitatem unciarum trium.

Hoc quoque medicamentum compoſitum bonum eſt in variis temporibus, ſalutare, & utile.

Accipiantur roſarum rubrarum drachmae quatuor; lentium decorticatarum drachmae novem; ficus flavae decem numero; tragacanthae drachmae tres; uvarum paſſarum albarum, demtis acinis, drachmae decem; laccae, a baculis ſuis depuratae, & ablutae, drachmae tres; ſeminis foeniculi, & apii, ſingulorum drachmae quinque. Excoquito totum in aquae libris duabus, quoad fiat libra una: percolato; deinde bibendum praebe ex eo librae dimidium cum ſexta parte drachmae croci, bis aut ter, prout neceſſitas poſtulaverit.

Jam dicamus de locis, ſeu corporis partibus, quarum curam habere oportet.

CAPUT VII.

De cura circa guttur, oculos, &c. ubi apparuerint variolarum ſigna.

Oportet, quamprimum apparuerint variolarum ſigna, curam ſingularem habere oculorum, tum gutturis, deinde narium, & aurium, & articulorum, prout praeſcripturus ſum. Praeterea interdum neceſſe erit, ut curam noſtram extendamus ad plantas pedum, nec non interiorem volam manuum plerumque enim in iſtis locis vehementes oboriuntur dolores, & difficulter egrediuntur variolae propter duritiem cutis.

Instilla oculis, ſtatim atque apparuerint variolarum ſigna, aquam roſarum una vice poſt alteram; & abluito faciem aqua frigida multis vicibus in de, & eadem etiam oculos adſpergito. Si enim variolae fuerint pauca, & leves, hac methodo praevenies, ne illarum quidquam in oculos prorumpat; & profecto ita faciendum eſt majoris cautelae gratia tantummodo: nam quamdiu variolae ſunt tenues, leves, & parvae materiae, vix aut rarius accidit, ut ex eis aliquid in ocus erumpat. At vero, quum videris violentam fieri eruptionem, & puſtulas numero plures ab ipſo exitus initio, & pruritum incruere ciliorum, & rubeſcere albumen oculi, & loca quaedam ejus intenſiore rubedine affic^r, haud dubium erit, quin in iſtis locis jam prodierint variolae, niſi ope magna ſuccuratur. Quopropter eo ipſo momento in oculos inſtilla aquam roſarum, in quia prius ſumac, ſeu rhus Syriacum maceratum fuerit, idque multis vicibus in die.

Medicamentum eo efficacius.

Applicetur collyrium ex galla cum aqua roſarum, & ex eo in oculum inſtilla: vel inſtilla de pulpa mali punici acidi, eam prius mandendo; & inſtilla etiam in eum ex ejus tunicis. Deinde illinito cilia collyrio compoſito ex aqua cotonei, & omphacio, lyceo, aloe, & acacia; ſingulorum ſit pars una, & croci pars decima. Si igitur ex hoc collyrio inſtilles in oculum, utiliſſimum hoc tempore fuerit.

Quod ſi autem videris materiam turgere, & variolas ingenti admodum copia prodire; & cojeceris fore, ut procul dubio in oculum erumpant, eo quod obſervaveris aliquid rubedinis per loca oboriri in albumine oculi prae inflammatione nimia & intumeſcentia; & videris id, quod ei inſtillatum fuerit ex iis rebus, quas praeſcripſi, minime ruborem depellere & tollere, nihilque aliud efficere, quam ut illum per tempus ſedent, moxque redire malum vehementius, quam antea, aut ſaltem in eodem ſtatu permanere, quo

erat,

erat, quando curationem ejus aggreſſus es; ne jam amplius in oculum haec aut ſimilia inſtillare pergas; ſed horum loco inſtilla aliquid liquoris ex aqua acida ex mucido pane expreſſa cum amaro nabachaeo, in quo non ſit acetum, vel quidquam acidi ullatenus.

Qvod ad illas variolas, quae pullulant in membrana cornea oculi, hae viſum obnubilant; & ſecundum proportionem craſſitudinis, vel tenuitatis ſuae neceſſe erit, ut curentur per remedia maxime diſſolventia ex iis, quae mox deſcribemus: quae quidem remedia aliquando ſuccedunt, aliquando minime; prout materia fuerit plus minuſve denſa, vel occurrerit in corpore duro, vel ſicco.

Qvod ſi variolae magnae prorumpant in tunica rhagoide, ſeu in nigro oculi, adhibe collyrium cum aqua roſarum, illudque ei inſtilla ſaepius in die, & in intarvallis ſomni aegroti, & quidem diligenter: vel inſtilla ei de colyrio ſupra memorato, poſtquam inde crocum abſtuleris, cujus loco ſubſtituatur pars lapidis haematitae, ne ſuboriatur elatio & tumor nimius.

Atqve haec ſunt, quae hoc loco operae pretium fuerit cognoſcere de oculis. Sequitur, ut deinceps curam habeamus gutturis, & oris, ne quid in utrumque erumpat, quod aegrotantis moleſtiam reddat graviorem, aut reſpirationem ejus praepediat. Nam ſaepe contingit, ut cum variolis improbi generis fiant ſuffocationes atroces, & vehementes: quod ſi eveniat, jam ſpes convaleſcentiae nulla ſupereſt.

Qvapropter oportet, quam primum coeperint apparere variolarum ſigna, os aegroti gargarizare cum aqua mali punici acidi, vel ſumac, vel ſucco mori, aut aliquibus hujuſmodi a nobis memoratis capite (V), ubi de exſtinguentibus; aut denique aqua pura frigida, ſi nihil aliud ſuppetat; idque multis vicibus, ne quid nimium prorumpat in guttur, & os: at potius loca iſta bene confortentur, ne multum erumpat, aut ſaltem ut id, quod eruperit, nullam creet ſuffocationem. Ad hoc remedium celeriter confugito, in eoque adhibendo ſedulam navato operam; quando cum variolarum ſignis aliis adfuerit raucedo vocis, & anguſtia in reſpiratione, & in faucibus, & dolor in gutture. Si porro videris ſatis virium ſupereſſe, ſanguinem e vena cephalica detrahito; idque etiam, poſtquam variolae omnes eruperint. Sin tunc fuerit in ore aegroti, vel in gutture ejus aliquid, quod illum laedat; neque tamen ibi adfuerit caliditas nimia, neque in ipſo naturae lenitas, ſeu alvi laxitas, jubeto aegrotum lingere paullatim de butyro recenti, & ſaccharo candido duroque. Quod ſi contra ibi fuerit caliditas cum inflammatione, praebe de ſemine pſylli, & amygdalis decorticatis, & ſaccharo albo.

Descriptio medicinae.

Accipiantvr amygdalarum dulcium decorticatarum pars una; ſeminis cucurbitae partes duae; ſacchari candidi, & duri partes tres; mucilagines ſeminis pſyllii, & baccarum lauri, & eligma, ſeu linctus ex gummi Arabico, & amygdalis decorticatis, & ſeminibus platani, & amylo: haec commiſceto cum mucilagine granorum mali cydonii.

Postea curam geramus articulorum: nam ſaepenumero in illis erumpunt variolae prurimae admodum pravae, quae articulos corrumpunt; adeo ut inde oſſa, & muſculi, tendines, & nervi patefiant. Occurrere itaque celeriter, ſtatim atque videris apparere variolarum ſigna; praeſertim ſi obſervaveris illa eſſe violenta, & plurima ſupra modum. Quum autem ad articulos te accinxeris, illinito eos cum ſantalo, & cum aqua cotonei, bolo Armenia, roſis, camphora, aceto, nec non aqua roſarum: ita autem illinito, ut in illinendo modum non excedas. Quodſi puſtnlae in iis magna eruptione prodierint, cito recurrito ad perforandas illas, & aperiendas, educendamque materiam, immiſſo ſcalpello. Neque hanc rem diu procraſtines: nam igens adeſt periculum.

Deinde ad narium, & aurium curationem aceedamus, ne in utriſque plurimae oboriantur puſtulae: nam ex nimia hac eruptione magnopere affligitur aegrotus; & cum in interiore auris erumpunt, periculum eſt, ne hinc continuo in nares prorumpant. Aptato igitur pannum groſſipinum, ſuper quod confracta ſit camphora; tum ejus adminiculo in interiorem autem infunde acetum vini fragrantis odoris, cui adjuncta fuerit aqua cotonei, vel ſuccus lycii; & ex eodem effundito in aurem poſt ſomnum. Hoc facito bis aut ter die.

Jam

Iam ſi in interiore planta pedis vehemens dolor ſuboriatur, illico incumbe ad inungendam illam cum oleo tepido, & fovendam aqua calida cum goſſipio. Quod ſi hoc modo minime conquieſcat dolor, neque facilis reddatur variolarum egreſſus, ſeſamum decorticatum contundito cum lacte, eoque illinito, & ligato cum panniculo; atque ita ſinito per totam noctem. Deinde pedem protenſum in aquam calidam immergito, & iterum opus repete. Vel dactylos tunde cum butyro, & illinito; vel illinito cum amurca, ſeu faece olei ſeſami. Iſta enim, & his ſimilia, emolliunt, & laxam reddunt cutem; ac proinde faciliorem efficiunt variolarum exitum, & dolorem minuunt.

CAPVT VIII.

Quomodo ad maturitatem perducendae ſint variolae.

Qvvm videris variolas, poſtquam completus fuerit illarum exitus, tardius ad maturitatem pervenire, & ſtatum aegrotantis omnino recte ſe habere; eodemque modo eſſe reſpirationem, & pulſum, tum etiam inquietudinem, & moleſtiam; tunc oportet, ut variolarum maturitati opem ferre aggrediaris.

Sin autem videris, ſimul cum difficili maturatione poſt earum eruptionem, poſtulas fieri duras, & verrucoſas, neque melius ſe habere ſtatum aegroti, vel ſi pravitas morbi augeatur; jam noveris hujuſmodi variolas eſſe letales. Ne itaque cogites de illarum maturatione: ſunt enim de genere earum, quae maturari non poſſunt.

Matvratio itaque variolarum, ſi quidem ſint ſanabiles, fieri debet per earum fomentationem vapore aquae calidae. In aqua autem excoquantur chamaemelum, violae, melilotus, & althaea, item furfur frumenti, vel ſeparata, vel ſimul collecta in duabus pelvibus; uti ſupra praeſcripſimus, ubi de exitu variolarum faciliore reddendo mentionem fecimus.

Qvod ſi eo tempore aegrotus per fomentationem juvari, & recreari videatur, abſtinendum erit ab iis ſuffitibus, qui fieri ſolent ad variolarum areſactionem; donec ipſae per ſe matureſcant, & ferre poſſint ea, quae ad areſactionem earum conducunt, de quibus mox dicturi ſumus.

CAPVT IX.

De areſactione variolarum.

Oportet ut, ſi magnae, & numero plurimae fuerint variolae, deſiccentur, vel aqua illarum excipiatur goſſipio puro & mundo, in quo nihil omnino ſit, quod poſſit aegrotum laedere. Et fiant eo tempore ſuffitus ex foliis roſarum ſiccarum, vel foliis Styracis arboris, vel ſantalo, vel foliis iridis, vel tamarice: & quidem roſae in aeſtate ſunt convenientiores, tamarix vero in hieme.

Variolae quandoque nimia humiditate abundant. Id quum fit, jubeto aegrotum dormire ſuper roſis contritis, vel ſuper farina orizae, aut farina ſeminum millii, in culcitram telae rarioris texturae infarta.

Qvod ſi puſtulis plenum ſit corpus, ſupponito ei folia iridis humida; & inſpergito ei pulverem aromaticum ex aloe, ture, ſarcocolla, & ſanguine draconis paratum.

Qvod ſi, ſeu ſponte, ſeu ex aquae abundantia dirumpantur puſtulae, nec ad areſactionem feſtinent; ſalito eas hoc pacto.

Accipe olei ſeſami unciam unam; huic adjungito ſalis (a) Andareni contriti, collyrii inſtar, drachmas duas; item aluminis eamdem quantitatem. Hoc linimento inunge corpus, iis tamen locis exceptis, quae ſunt excoriata, & ulceriata: neque enim oportet illud iis propius admovere; nam ea vehementer ureret. Relinquito linimentum ſuper parte per horam unam; deinde abluito aqua, in qua decoctae prius fuerint myrobalani emblicae dictae, & baccae tamaricis albae, & folia myrti cum corticibus mali punici.

Qvod ſi hoc pacto areſactio perficiatur, bene eſt; ſin minus, accipe bolum albiſſimam: ne autem accipias bolum rubri coloris: ſuperinjicito ſalis Andareni partem circiter decimam, & comminuti panis ſicci partem decimam. Tum illinito, & ſinito ad

(a) Andar, vicus uno milliari diſtans ab Halebo, ubi ſal candidiſſimus effoditur. Vide *Maundrell's Journey*.

horam unam, vel duas; denique abluito.

Iam ſequitur agendum de amotione, & ablatione eſcharарum, ſeu cruſtarum, & ſquamarum ſiccarum.

CAPUT X.

Quomodo amovendae ſint, & auferendae ſquamae ſiccae, & eſcharae.

Postqvam perfecta eſt areſactio variolarum, & remanent in corpore ſquamae, & eſcharae ſiccae; inſpice, quaenam harum ſint tenues, & ſiccitatis perfectae; ſub quibus nulla eſt humiditas; & iis inſtilla oleum ſeſaminum calidum, idemtidem, quoad molleſcant, & excidant; niſi fuerint in facie: oportet enim illas curare cum oleo piſtacino. Quae autem ex iis eſcharis ſimiles ſunt, habentque aliquam magnitudinem; ſi videris iis ſubeſſe humiditatem, auferto eas excoriando, & praecidendo caute, nullo oleo adhibito. Quod ſi loca, unde amotae ſunt eſcharae, non habeant multum humiditatis, exſiccanda ſunt cum goſſipio levi, quemadmodum jam dixi. Si autem habeant multum humiditatis, exſiccanda ſunt paullatim; iis adſpergendum de pulvere aromatico rubro, ex aloe, ture, ſarcocolla, & ſanguine draconis parato; praeſertim ſi incipiant minui, & ſubſidere; & de alumine, & ſale Andareno, ſi ſint aequalia cum reliqua corporis ſuperficie, neque adhuc ſubſidant: tum ſinito, quoad ſuccreſcat eis eſchara ſeu cruſtra altera. Quod ſi adhuc ſuboriatur eis humiditas, eamdem curationem repete. Quod ſi denique nulla amplius ſuboriatur humiditas; jam illa loca oleo inungito, quoad laxae, flaccidaeque factae cruſtae penitus decidant.

Iam ſequitur ſermo habendus de variolarum veſtigiis delendis.

CAPUT XI.

Quomodo delenda, atque auferenda ſint variolarum veſtigia.

Vestigia variolarum ſunt duplicis generis: vel enim ſunt in oculo, vel in reliquo corpore. Et quidem quoad oculum, locus ejus, in quo pullularunt variolae, albore caligat, uti jam obſervavimus. Si id contingat in oculis puerorum, vel eorum, qui ſunt aetate inferiores, & temperamenti humidi corporis, & cutis tenuioris; eo acilius detergetur.

Medicamenta autem, quae detergent oculum, & amovent albedinem, haec ſunt: borax, ſeu nitrum panis forma effictum, ſal Andarenum, ſal ammoniacum, ſpuma maris, faex ſeu ſcoria vitri, cancer marinus, ſtercus paſſerum, & hirundinum, & ſturnorum, fimus murium, fimus lacertae Arabicae ſeu Lybicae, acorus, ebenus, aqua corni, corallium, tutia, haematites lapis, flos aeris ſeu aerugo, ſaccharum Arabicum, faex aceti exuſta, amurca, ſeu ſedimentum urinae, myrrha, ſandaracha, ſeu gummi iuniperinum, vulgo vernix, gummi oleae, gummi amygdalae amarae, lac ſive ſuccus lactucae ſilveſtris, vitrum, fimus veſpertilionum, & moſchus. Optimum factu erit, ſi iſtis curetur aegrotus poſt egreſſum e balneo, aut poſtquam prona facie aquae calidae vapores exceperit. Oportet autem, ut adhibeantur lenia, & ex his adhuc leniora, praeſertim in corporibus mollibus, & humidis.

Descriptio medicamenti lenis, quod tollit albedinem ex oculo.

Inspergatur oculus cum ſarcocolla, & ſaccharo albo, duroque.

Alivd eo efficacius.

Inspergatur oculus ſpuma maris, ſarcocolla, & ſaccharo.

Et eo efficacius.

Inspergatur oculus borace, ſeu nitro, panis forma effícto, ſpuma maris, ſcoria ſeu faece vitri, ſarcocolla, & ſaccharo.

Et adhuc eo fortius.

Accipiantur aeruginis drachmae decem; myrrhae, ſagapeni, ſalis ammoniaci, ſarcocollae, ſingulorum drachmae duae cum dimidio; ſpumae maris, ſcoriae vitri, & boracis, ſeu nitri panis, ſingulorum drachmae tres. Et accipiantur acori, ſeu calami aromatici drachmae decem, & aquae corni totidem. Ebulliant in aqua decies ad pondus omnium, quoad condenſetur aqua; tum in ea diſſolvantur gummi: ſubigantur reſidua commixta in maſſam, quae in ophthalmica collyria efformetur. Deinde, quando opus erit, huic aquae adde ebenum in ampulla

olca-

olearia: tum accepto ſpecillo ſeu ſtilo, eo deterge locum oculi aegrum blande, crebro. Adhibe autem ante & poſt illitum frequentem. Poſtea denique ei inſpergito pulverem leniorum medicamentorum. Oculum porro ſedulo, & aſſidue inſpicito. Si enim doleat, & rubeſcat, omitte hanc curationem ad dies aliquot; deinde eamdem repetito: haec enim curatio eſt admodum efficax, & valida.

Qvod ad medicamina, quae variolarum veſtigia a facie, & reliquo corpore delent, & auferunt; haec ſunt: lithargyrus albus, radices arundinis exſiccatae, oſſa carioſa trita, ſpuma maris, corallium, ſarcocolla, amygdalae, ariſtolochia, balanus myrepſica, ſemen raphani, ſemen peponis, ſemen erucae, farina fabarum, & oryzae, & lupinorum, & phaſeolorum: ſuper haec inſperge aquam amurcae, & aquam hordei.

Descriptio linimenti, quod delet variolarum veſtigia.

Accipiantvr farinae cicerum, & fabarum, ſingularum drachmae tres; ſeminis peponis drachmae quinque; lithargyri albi drachmae duae; radicum arundinis exſiccatarum drachmae tres. Contunde totum in aqua hordei; deinde illinito illitu uno poſt alterum, poſtquam aegrotus aquae calidae vaporem exceperit, vel poſt egreſſum e balneo. Tum rurſus abluito illum in balneo cum aqua, in qua prius decocti fuerint cortices peponis, & violae ſiccae, & furfur, & ciceres contuſi; perfrica frictione proba, denique iterum illinito.

Descriptio linimenti alterius eo efficacioris.

Accipiantvr farinae fabaceae drachmae quinque; amygdalarum amararum, coſti dulcis, ſeminis erucae, & ſeminis raphanorum, ſingulorum drachmae duae cum dimidio: adhibeto, prout praeſcripſimus.

Linimentvm aliud eo efficacius.

Accipiantvr amygdalarum amararum decorticatarum drachmae quinque; ſeminis raphanorum, ſeminis erucae, radicum coſti, ariſtolochiae longae, ſingulorum drachmae duae cum dimidio; item, boracis, ſeu titri panis, drachmae tres; piperis drachma una cum dimidio: adhibeto, ut praeſcripſimus. Deinde illinito cum aqua raphanorum, vel iis, quae praeſcripſimus. Atque eae ſunt res, quae variolarum veſtigia, & cicatrices delent.

Iam quod ad illas attinet, quae cavitates earum delent, ipſasque reliqui corporis ſuperficiei aequales reddunt, ita facito: oblinatur homo cum butyro, & corpus ejus cyperide herba, vel ejusdem pulvere bene tinuatur; balneo frequenti utatur, & corpus perfricetur.

Nvnc dicendum nobis eſt, quidnam dari oporteat variolis laboranti per modum alimenti; & de medicamentis, quae huc pertinent.

CAPVT XII.

De diaeta variolis laborantium.

Oportet variolis laboranti bibendam praebere aquam hordei, eadem methodo & arte paratam, qua eſt aqua praeberi ſolita in morbis acutis, & calidis; ſi quidem fuerit febris mitior & ſedatior, & alvus adſtrictior, cum ſaccharo albo duroque. Quod ſi fuerit calor febris vehemens cum alvi ſolutione, affundito huic dimidiam menſuram ſucci mali punici acidi, contuſi cum granis ſuis: ſed cavendum a pulpis, & internis tunicis tenuibus; iſta enim ventrem ſolvunt.

Qvod ſi inſuper vigil, & inſomnis ſit aegrotus, adjicito aquae hordei partem aliquam ex papavere. Quodſi venter ſit admodum ſolutus, addito aquae hordei granorum mali punici acidi ſiccorum partem unam, & papaveris partem unam.

Qvod ſi neceſſitas poſtulet adſtringi ventrem, loco aquae hordei adjicito polentam hordei decorticati cum polenta granorum mali punici. Haec duo concoquantur pro more confectionis aquae hordei; & ex utraque bibat aegrotus, quemadmodum bibit ex aqua hordei, vel ſeorſum, vel cum admixto ſaccharo Bambu, & gummi Arabico, ſi quidem ad id te compellat ventris ſolutio; vel cum medicaminibus a nobis mox deſcribendis. Enim vero aqua hordei, commixta cum ſucco malorum punicorum, admodum proficua eſt variolis laboranti, & praeſertim morbillis. Aqua autem cucurbitae, item aqua peponis Indici, aqua cucumeris, mucilago ſeminis pſyllii, & his ſimilia, ex eo-

rum genere, quae gignunt pituitam dulcem, & exſcreatu facilem: aqua horum, inquam, magis proficua eſt morbillis, quam variolis laboranti; niſi forte in iis variolis, quae ſecum habent immodicam pravitatem, & caliditatem cum febre vehementiore, & vigiliis.

At vero in iis variolis, quas comitantur febres, in quibus non eſt adeo vehemens inflammatio, res praedictae, & his ſimiles, nihil aliud efficiunt, quam ut illas tardiores reddant, & tempus morbi diutius protrahant: quare tuum erit ad haec, vel ad illa medicamenta propenſius recurrere, vel ab iiſdem abſtinere, prout ſeſe res habuerit. Nam quando variolae fuerint in maximo ſtatu caliditatis, & putrefactionis, ſimul cum humiditate conjuncta, tunc res illae, quae in ſe habent vim refrigerativam, arefactivam, & condenſativam, ſunt magis ipſis convenientes; quales ſunt ſuccus mali punici, & ſuccus omphacinus, & id genus aliae.

Qvando vero fuerint morbilli, qui ex ebullitione bilis vehementi ſanguini admixtae oriuntur; jam res illae, quae cum virtute refrigerativa adjunctam habent vim humectativam, ipſis curandis ſunt magis idoneae: quippe quarum beneficio ſanguis corruptus temperatur. & corrigitur. Sanguis enim hominis, qui morbillis implicitus eſt, aſſimilatur aquis ſtagnantibus, quarum putrefactio diu permanſit, & virtus earum diſſoluta fuerit, & acrimonia, ſole concoquente, in vitium gravius increvit. Quod ſi forte aquis iſtis ſeſe immiſcuerint pluviae, & aquae aliae currentes dulces, illico priſtinam inde ſalubritatem recuperant.

Porro variolis aegrotanti prodeſt polenta hordei abluti, ſiquidem bibat cum ſaccharo, & cum ſucco mali punici, vel cum julapo, quantum opus babuerit; ratione habita alvi ſolutionis, & reſtrictionis ejuſdem, tum etiam caliditatis majoris, vel minoris: niſi quod aqua hordei ad ſumendum levior ſit, deglutitu facilior, & gutturi, & pectori convenientior. Facito itaque ſecundum hoc, poſtquam noveris aquam hordei convenientiorem eſſe morbillis affecto, quam variolis; niſi forte fuerint variolae eo modo pravae, quem memoravimus.

De cetero variolis laboranti proſunt lentes expurgatae, ſi ex eis paretur cibus cum ſucco mali punici acidi, vel cum acetos proficua eſt quoque polenta lentium, ſi ſit polenta cum aqua frigida ſubacta.

Scito etiam aquam frigidam magis prodeſſe morbillis capto, quam variolis, utpote tutiorem, & certioris exitus.

Vervm enim vero; quando videris cum variolis adeſſe inflammationem multam, & intermiſſionem in pulſu, & reſpiratione; tunc adhibeto exſtinguentia pro ratione hujuſmodi ſymptomatum: ſi minus urgeant, utere paucis; ſi multum, utere pluribus.

Ne vero permiſeris eſum pullorum avium, quamdiu pulſus, & reſpiratio in ſtatum ſuum naturalem nec dum redierint, neque penitus exaruerint variolae, neque earum ſquamae deciderint.

Seqvitvr ſermo faciendus de alvi ſolutione, ejuſdemque reſtrictione in variolis.

CAPVT XIII.

De regimine naturae, ſeu alvi illius, qui variolis laborat.

Alvvs ut plurimum ſoluta eſt in variolis, & morbillis, ad finem inclinantibus, ſed praeſertim in morbillis. Quapropter evitandum eſt id omne, quod alvum ſolvit, poſtquam ad finem perductae ſunt variolae, & morbilli, etiamſi illa ſicca fuerit. Si autem fuerit ſoluta, abſtine ſtatim diligenter ab iis rebus, quae alvum ſolvunt; etiamſi opus fuerit in principio harum duarum aegritudinum, & antequam ad finem tendant, adhibere id, quod alvum ſolvat. Nam aliquando neceſſe eſt alvum ſolvere in variolis, tum propter caliditatis exceſſum, & cephalalgiam, tum ut natura levetur onore, & variolarum materia minuatur; quando nempe conjectura aſſequeris illam eſſe nimiam. Quod quidem fiet, ubi deprehendes corpus ante, & poſt ſanguinis detractionem neque debilitatum eſſe, neque extenuatum; ſed contra inflatum & plenum, cum albore coloris, aut exiguo rubobore, & cum fluctuante pulſu. Nonnumquam enim in tali ſtatu non opus erit ſanguinis detractione, ſed tantum humiditatis nimiae a corpore ſubductione: idque potiſſimum, quando iſta ſigna praedicta evidentiſſime

ſime apparuerint ; tum ſi praeterea corpus propter febris hebetudinem ſit dejectum, & rubro colore prorſus deſtitutum. Huic igitur ſtatui accomodatiſſimum eſt myrobalani citrinae decoctum, ſi cum ſaccharo albo duroque bibatur, & ſucco mali punici acidi, contuſi cum pulpa, & tuniculis internis; quo cum etiam ſimul contuſa erit pulpa alterius mali, ſive duorum, ſi ita opus fuerit. Ea enim horum duorum medicamentorum facultas eſt, ut a corpore humores ſuperfluos nimios cum parte bilis citra aliquam caloris excitationem extrudant, praeſertim ſucci mali punici; & ut nihil poſt ſe in alvo relinquant. Atque hoc eſt e remediis, quae in hoc caſu proferri queant, optimum.

In morbillis vero adhibito ſuccum prunorum damaſcenorum, & pruna ipſa recentia, vel per ſe, vel contrita cum julapo: utere autem iis cum ſaccharo. Verum omitte pharmacum dictum Tarangioben (*a*): nam pariter nocet his, qui morbillis capti ſunt, ac mel iis, qui variolis laborant prae nimio ardore, quem excitat; tum etiam quia auget aegrotis quidquid eſt nauſeae, & moleſtiae. Eodem modo caveto diligenter, ne eis bibendum porrigas ſuccum hederae, aut violae nigrae: ambo enim pariter augent in corpore, quidquid ineſt in eo aegritudinis.

Quemadmodum autem primum, & maxime neceſſarium remedium in variolis eſt, ſanguinem detrahere, quum is nimius eſt, aut non aliter ſpes eſt compeſcendae ejus ebullitionis, etiam adhibitis exſtinguentibus; ſed opus eſt paullulum detrahere, tum levandae naturae gratia, tum admovendam venarum plenitudinem, eaſque a nimia ejus copia exonerandas, quae alioquin haud dubio ſecum eventus malos, & accidentia peſſima traheret; praeſertim ſi eo uſque incaleſcat ſanguis, ut ingens in eo inflammatio accenderetur: eodem modo oportet, in morbillorum principio aliquid bilis ſubducere, quando nempe videris illam nimio plus redundantem; deinde, quod reliquum eſt, admotis extinguentibus proſequi. Signum autem nimiae bilis redundantiae eſt vehementia inflammationis, & moleſtia, cum ejuſdem bilis evacuatione facta tum per vomitum, tum per egeſtionem alvi, & amaritudo oris.

Quod ſi vero quantitas bilis non ſit nimia, & tamen adfuerit moleſtia, & ſitis, & calor vehemens citra eruptionem bilis ſive per vomitum, ſive per alvi egeſtionem; licet, inquam, quantitas ejus non ſit nimia, tamen, ut ut eſt, eam pravam eſſe judicandum erit ſecundum proportionem vehementiae inflammationis, & moleſtiae.

Atque haec ſunt, quae operae pretium erat, ut cognoſceres de regimine alvi, quando ſoluta eſt in principio harum duarum aegritudinum. Si vero alvus ſoluta ſit, ne exhibeas quidquam ſolutivum: nam in his duabus aegritudinibus non tuta eſt nimia alvi ſolutio, ſi in alterutra illarum bibat aegrotus id, quod ventrem ſolvit. Quamdiu vero venter ſolutus eſt, jubeto aegrotum, ut loco aquae hordes bibat aquam polentae hordei; & ſi opus fuerit, coquito aquam polentae hordei cum polenta granorum mali punici; & bibat, ſi alvus ſit magis ſoluta; bibat autem ante aquam hordei. Quod ſi alvus ſit adhuc magis ſoluta, potum praebeto cum gummi Arabico, & ſaccharo Bambu. Nimirum accipiantur gummi Arabici drachmae duae, ſacchari Bambu drachma una; contundatur utrumque inſtar collyrii; tum inſpergatur ſuper aquae polentae hordei uncias quatuor per horae ſpatium aliquid ex medicina, quam deſcripturus ſum: deinde bibendam praebeto hanc aquam polentae hordei.

Descriptio medicinae.

Accipiantur roſarum rubrarum molitarum, ſacchari Bambu, ſeminis oxalidis herbae, fumae, & berberis, partes aequales; item gummi Arabici, terrae ſigillatae, corticum papaveris, balauſtiorum, ſeu floris mali punici, ſingulorum dimidia pars: ex his bibat drachmas tres cum ſucci mali cydonii acidi uncia una.

Quod ſi adhuc in iis perſeveret egeſtio alvi, eaque debilitati ſint aegroti; potum praebeto de Al-raib, ſeu lacte acido, extracto prius ejus cremore, cum pane bis cocto optimo, nec non paullulo gummi Arabici.

Denique quoties acciderit aegrotis dyſenteria, oportet, ut illos curandi methodus deſumatur e loco, ubi de illa re mentionem fecimus.

IAM

(a) Eſt mannae ſpecies, quae apud Sogdianos, Medos, & Babylonios ſuper quorumdam fruticum foliis coaleſcit, & colligitur.

Iam ſupereſt, ut loquamur de iis, qui convaleſcunt, & de iis, qui pereunt ex variolis, & morbillis.

CAPUT XIII.

De variolis, & morbillis ſanabilibus, & mortiferis.

Variolae, & morbilli ſunt e numero morborum calidorum; atque inde eſt, quod multa cum hiſce habeant communia. Et quidem praecipue ſigna prognoſtica de iis, qui convaleſcunt, haec ſunt: facilis reſpiratio, integritas, & ſanitas mentis, & appetitus ad cibum capiendum, agilitas ad motum; pulſus recta habitudo; aegroti bona opinio de aegritudine ſua; diſcubitus commoda diſpoſitio; parva jactatio, & inquietudo corporis.

Atqve idem dicendum eſt de ſignis malis, quorum maximam partem retulimus in libro, cui titulus eſt (*a*) *Al Manſori*.

Variolas, & morbillos ſpeciatim attinent haec.

Albae variolarum puſtulae, magnae, diſcretae, pauce numero, exitu promptae, & faciles, quas non comitatur febris nimia, concitatior, aut ardentior; ubi non tantum eſt maeroris, & moleſtiae; quaeque ita ſe habent, ut ſtatim ab earum exitu aegroti calor, & maeror, & moleſtia ſedentur; & poſt completam pullulationem prorſus ceſſent: ejuſmodi variolae ſanabiles ſunt, & minoris periculi. His bonitate proximae ſunt albae puſtulae, magnae, etſi ſint numero plurimae, & cohaerentes; dummodo ſint egreſſu faciles, & earumdem exitus aegrotantem a moleſtia, & calore nimio ſublevavit, quemadmodum memoravimus.

Vervm quando cum difficultate fit earum eruptio, & aegrotus, dum exeunt, minime ſublevatur, hae malae ſunt: quamquam non aeque timendum ſit, ſi minus bene ſe habeat ſtatus ejus, dum exeunt, quam ſi incommode ſe habeat, poſtquam exierint.

Porro albarum puſtularum magnarum genus eſt quondam parvum, & letale; illae nempe, quae ſimul confluunt, & dilatant ſe; adeo ut plures earum in unam coaleſcant, & magnum corporis ſpatium occupent; vel evadant inſtar circulorum ingentis ambitus, & colorem adipis referant.

Qvod ad albas puſtulas, exiguas admodum, cohaerentes, duras, verrucoſas, quae non ferunt liquorem; iſtae ſunt mali generis: & pravitas earum conſiſtit in proportione difficultatis maturationis earumdem, & prout minime ſublevatur aegrotus ab exitu earumdem. Quod ſi poſt completum earum exitum adhuc incommode ſe habeat ſtatus ejus id mortiferum eſt.

Porro eae puſtulae, quae in colorem viridem, & violaceum vergunt, item quae ad nigrum degenerant, omnes hae malae ſunt. Tum ſi praeterea oboriatur deliquium, & palpitatio cordis; hoc eſt omnium peſſimum, & certi interitus ſignum.

Et quando increſcit febris poſt pullulationem variolarum, malum eſt ſignum. Si autem ceſſet febris tempore pullulationis, ſalubre eſt ſignum. Variolae duplicatae copiam materiae plurimam indicant: quod ſi ſint de genere ſanabili, id ſalutem portendit; ſi vero ſint de genere letali, interitum.

Morbilli tutiſſimi ii ſunt, qui non habent ruborem nimium: quod ſi autem in pallorem vertantur, jam eſt malum ſignum; at virides, & violacei, ambo ſunt letales, Quando autem, ſive variolae, ſive morbilli de improviſo ſubſidunt, poſtquam coeperint emergere, tum rurſus exoriuntur cum moleſtia, & angore, & ſupervenit deliquium, ſignum eſt prompti interitus; niſi, poſtquam ſubſederint, denuo emergant.

Qvod ſi variolae primo die, quo febricitare coepit aegrotus, appareant, illae feſtinant, & celerioris ſunt motus: ſi ad tertium diem diſtulerint exitum, mediocriter movebuntur; ſi vero quartum diem praeterierint, hebetes, & lentae prodibunt.

Qvando in diebus criticis bonis erumpunt, hoc eſt ſalubre ſignum; praeſertim ſi levius ſe habeat aegrotus in fine eruptionis; & e contrario. Quum autem variolae coeperint invicem connexae confluere, & dilatari, tumque fiat moleſtia vehementior, & infletur, turgeatque venter; jam mors in propinquo eſt. Quando variolae minores, quae liquorem non habent, obdureſcunt, & ſimul ſupervenit delirium; interitus ejus, cui

(a) *Exſtat. hujus libri* Codex MS. in Biblioth. Bodl. Narciſ. Marsh. N. 376.

cui haec contingunt, jam inſtat. Quando accidit, ut variolae, & morbilli una vice appareant, tum altera vice intus ſe recondant; & cum hoc ſupervenerit angor, delirium; hoc eſt interitus ſignum, utcumque ſe habuerit puſtularum color: at hoc raro accidit albis puſtulis, aut iis, quae maturantur, & aquam fuerunt cito. Quando ſub finem variolarum tumultus fit, & hinc aegrotum occupat dolor vehementiſſimus, vel in crure, vel in manu, vel in aliquo alio membro; aut puſtulae celeriter convertuntur in viridem, & nigrum colorem; tum poſtea vires fiunt debiliores, quam erant antea, augetque frequens reditus doloris debilitatem, & varios colores receperit id membrum; haec ſunt interitus ſigna. Quod ſi tamen nihilominus augeantur vires, incolumis evadet aegrotus; & membrum illud ſanabitur.

Qvod ſi etiam hoc membrum ſcarifices ab ipſo momento, quo coeperit invadere dolor, modo aegrotus ſit viribus poſt eam incifionem valentior, plurimum juvabis eum; vel etiam a putredine ſervabitur illud membrum.

Minime autem oportet in tanto diſcrimine huic membro admovere quidquam refrigerans ulla quacumque ratione; ſed vel ſcarifices, vel illud in aquam calidam immergas, ſi videris aegroti ſtatum bene ſe habere poſtea.

Jam igitur, quoniam omnes articulos nobiſmet ipſis propoſitos percurrimus, & de hoc morbo, ut & de praeſervatione ab ipſo, fuſi ſatis diſſeruimus, ſermonis noſtri filum abrumpimus.

Largitori autem virium ad opus perficiendum ſit laus ſine fine, prout ipſe celebrari & laudari dignus eſt.

Explicit LIBER.

VIRO

VIRO DOCTISSIMO
IOANNI FREIND
RICHARDVS MEAD S. D.

FIDEM tandem libero, Amiciſſime Vir, & rationem, quam in variolis curandis teneo, una cum exemplis aliquot, quae hanc illuſtrant ſimul, & confirmant, quae a me petiiſti ut chartis mandarem, ea nunc ad Te mitto.

SERMO noſter erat, uti memini, de morbo, ubi ad ſummum incrementum pervenit, & quo modo eo tempore continendus ſit aeger; dixi me jam ab aliquot annis uſu comperiſſe, commodiſſimum eſſe, pleriſque ſalt m in caſibus, alvum ducere: nunc quo conſilio, & qua cum cautione id primum fecerim, deſcribam breviter.

MEDICOS noſtros ita plerumque ſollicitos habet puſtularum conſideratio, ut ab omni fere vacuatione periculum eſſe putent; nimirum ne ab hac materiae corruptae concoctio turbetur, aut in partes propulſio prohibeatur.

IN faciei, & manuum intumeſcentia ſpem omnem ponit Sydenhamus; quum tamen mori videamus quotidie, quibus cutis etiam ad ſummum intumuit, & ipſo fatente, plurimis in caſibus nulla arte promoveri poſſit ſalutaris ille tumor.

MORTONVS, dum in committendis cum veneno morbido ſpiritibus animalibus totus eſt, ita calidiſſimis alexipharmacis, copiis, ſi Diis placet, contra Deleterium hoſtem auxiliaribus aſſidue pugnat, ut novas in ſanguine turbas cieat, & accendat quam reprimere debuit febrem; hinc illae ipſae, quas adducit, hiſtoriae palam faciunt, pleroſque quorum curam habuit, aegrotos aut excalefactos interiiſſe, aut ſaltem *ὡς διὰ πυρὸς, tamquam ex igne*, evaſiſſe.

MIHI res haec ſic ſe habere videtur; in confluentibus regularibus Sydenhamo dictis, quum jam inclinato morbo detumuit facies, accedit ex corrupta materia, aut in pus nondum verſa, aut ex puſtulis in ſanguinem rejecta, putrida febris, quae calore, inquietudine, ſimilibuſque indiciis ſe prodit, & niſi ſuccurratur, intra biduum triduumve plerumque aegrum e medio tollit; interdum vero ad plures dies protrahitur.

VTCVMQVE vero varia jam inſtent, & ſuccedant ſymptomata, illud tamen omnibus commune eſt, ut exinanitionem aliquam deſiderent. Plerumque fit, ut aeger nono aut decimo a prima puſtularum eruptione die, cum lingua arida, pulſu arteriarum vehementiori, & ſpiritu difficiliori incaleſcat; ubi haec adſunt, immiſſo ſub veſperam ad ventrem ſolvendum clyſtere, poſtero die leni potione catharcica alvum duco, veſperi hauſtum Narcoticum, ſi opus fuerit, ſumendum do.

IN hoc morbi genere manus, & pedes intumeſcunt: adeo vero non cohibet aut reprimit hunc tumorem purgatio, ut illum poſt hanc felicius procedere ſemper obſervaverim.

EVENIT autem non raro, maxime in peſſimae notae morbo, ut cum pulſu arteriarum exiguo, & languido, ſine ulla inſigni manuum intumeſcentia, febricitet aegrotus & imminutis admodum viribus torpeat magis, quam calore uratur.

IN hujuſmodi aegritudine imponenda ſunt brachiis, & cruribus emplaſtra veſicatoria; neque tamen ab omni purgatione abſtinendum eſt, ſed ea eſſe debet leniſſima, & viribus aegrotantis accommodata, & per intervalla repetita; eo enim magis neceſſaria eſt, ubi non intumeſcunt partes, ventris ſolutio, quoniam in pleriſque his caſibus etiam ipſa, quae in puſtulis eſt, ſanies magnam partem in pus non convertitur.

ILLVD in univerſum hic tenendum eſt, majorem jam habendam eſſe virium aegri, quam puſtularum rationem: peracta jam eſt omnis, quae per cutem fieri poteſt, morbidae materiae propulſio; per alias igitur vias ducendus eſt, qui periculum minatur, noxius humor. Ceſſant ab officio nunc ſalivae canales,

nales; quippe a primis fere morbi diebus magna copia per hos fluxit, viſcidus jam haeret, & vix exſpuitur liquor. Vrinae excretio ſi forte fuit per aliquot dies larga, & benigna, ſaepius tamen illa hoc tempore cum difficultate, & ſolito parcius redditur. Reſtant igitur expurgandae inteſtinorum glandulae, quae eo ſunt corruptis humoribus e ſanguine derivandis accommodatiores, quo natura craſſiorem lentorem expellunt.

Id vero monuiſſe debueram, non hoc tantum tempore, ſed & nullo non morbi die aegro protinus mittendum eſſe ſanguinem, ſi reſpirandi difficultas urgeat, ſi ſupervenerit phrenitis, aut alia quaevis nimii fervoris febrilis ſe prodant indicia.

Ex innumeris exemplis, quae mihi quotidiana experientia ſuppeditat, pauca tantum ſeligam, ut quomodo haec medicina ad varios, & difficillimos caſus accomodetur, oſtendam.

Adolescenti annorum fere ſexdecim nono aegritudinis die intumuerunt admodum caput, & manus; acceſſit vero febres cum magno praecordiorum aeſtu, ſpiritu difficili, & delirio. Miſſo quam primum e vena brachii ad unc. xvj ſanguine, dedi pil. Ruff. drachm. ſemis, & elapſis horis decem, quum nondum reſponderet alvus, elect. lenitiv. drachm. vj; largiter purgatus hauſtum ſumſit anodynum; hinc adeo ſe remiſit febris, & levata ſunt ſymptomata, ut praeter ſpem brevi convaluerit; licet in miſellum adeo ſaevierit morbus, ut, vitiata a puſtulis in utroque oculo tunica cornea, viſu privatus vitae dulcedinem amiſerit.

In uno atque altero adoleſcente eodem fere modo laborante feliciter expertus ſum, minime ab hac medicina abſtinendum eſſe, etiam ſi (quod non raro fit) cerebra in puſtularum intervallis exanthemata erumpant, & malignitatis nomine adſtantes terreant; haec enim non febrem ſolvunt, ſed materiae morbidae copiam, & lentorem indicant; quo magis neceſſarium eſt, interpoſito tempore, alvum ſaepius ducere.

In puella quinque annos nata apparebant inter puſtulas a primis decubitus diebus hic illic maculae purpurae, & lividae; manus vero nono die intumuerunt; die decimo, adſumto electuario lenitivo, mota eſt alvus; poſtero die frons, quam alba quaſi veſica obduxerat, livore decolorata eſt: hanc ſpiritu vini tepido foveri juſſi: ſingulis noctibus medicamento narcotico conciliatus eſt ſomnus; decimo quarto die, nunc primum imminuto manum tumore, iterum purgata eſt; ut & die decimo ſexto; jamque, quae faciem exaſperaverat, cruſta nigra dehiſcere coepit, & tarde licet dirupta, certam tamen ſpem ſalutis oſtendere.

Accidit interdum, ſed raro, ut ſub finem aegritudinis repullulet quaſi morbus, & ſuccedentibus ſub cruſtis, quibus obducta eſt cutis, novis puſtulis, renaſcatur; unde pro humoris abundantia etiam ultra viceſimum diem porrigitur malum; illud nuper vidi in nobili femina annorum quadraginta, quae opimo corporis habitu etiam tertium ſucceſcentibus variolis materiam ſuffecit; facta hinc eſt per omnia membrana continuata exulceratio ad diem uſque viceſimum, & octavum ſe excipientibus cruſtulis, ita ut ex longo decubitu ulcera in lumbis gangraenae metum attulerint. Die duodecimo leni potione purgata eſt; decimo quinto ſubſidente, qui ad hunc diem duraverat, manuum tumore, iterum alvum ſubducere neceſſe habui; & interjectis tribus vel quatuor diebus purgationem repetii ad uſque morbi exitum; reſtituto tandem in integrum poſt longam valetudinem ulcerato corpore.

Omnem de purgatione dubitationem tollit nonnunquam in graviſſimis caſibus ipſa natura, dum in inferiora noxiam materiam depellit continuato per plures dies alvi fluxu; hoc quum fit ita nunc comprimi, nunc ſolvi debet venter, ut ne nimiae dejectiones vires proſternant. incolumis hoc modo evaſit nuper admodum nobiliſſimus adoleſcens annorum 18. Huic facies ſexto die ſine ullo tumore chartae pergamenae ſpeciem referebat; ſuppurationis ſigna nulla erant; quapropter impoſita ſunt membris emplaſtra veſicatoria, quae ſolito plus humoris educere obſervavi. Die nono manibus nihil prorſus intumeſcentibus ſupervenit diarrhoea; hanc ſumtum ſaepius cum confectione Fracaſtorii rhabarbarum ita compeſcuit, ut ter tamen quaterve quotidie minimum dejiceret aeger; decimo quarto die rupta in facie membrana tenui ſanie eroſa ſubtus apparebat cutis, non ante viceſimum diem decidentibus penitus ſquamulis; alvus vero per

omne id tempus, eo quo dixi, modo fluebat.

Et ſane, ut finem tandem faciam, vix quemquam graviter hoc morbo correptum ſalvum fieri vidi, niſi cui, declinante febre, aut largiter profluens urina, aut reſolutus venter ſaluti fuit. Vt de infantibus nihil dicam, quo per totum morbum cita alvus periculo plerumque liberat.

Haec habui, vir eruditiſſime, quae tecum ſuper hac re communicarem; tu illis ſic ſtaris velim, ut, cum noſtras has rationes acri tuo judicio perpendis, quantum momentum eae habere poſſint etiam in aliis internum febribus, quae difficulter & tarde ſolvuntur, diſpicias. Mihi certe ita feliciter ceſſit haec medendi via, ut humani generis intereſſe putem, ut illa publici juris fiat. Sed de hoc tu ſtatues, ut voles; ego ſatis ſuperque habeo tibi morem geſſiſſe, & quanti tua mandata faciam, hoc officio comprobaſſe. Vale, & me tui amantiſſimum, quod facis, ama.

Dabam Calend. Septemb. 1718.

RI-

RICHARDI MEAD,

MED. DOCT. COLL. MEDICORVM LONDIN. ET REG. SOCIET. SOCII

ORATIO ANNIVERSARIA HARVEIANA:

IN THEATRO

REGII MEDICORVM LONDINENSIVM COLLEGII

HABITA

Ad diem XVIII. Octobris MDCCXXIII.

ADIECTA EST

DISSERTATIO

DE NVMMIS QVIBVSDAM A SMYRNAEIS IN MEDICORVM HONOREM PERCVSSIS

PRAESIDI ILLVSTRISSIMO
SOCIISQVE DOCTISSIMIS
REGII MEDICORVM LONDINENS. COLLEGII
DE ARTE MEDICA IN DIES OPTIME MERENTIBVS
ORATIONEM HANC
IN PRAESTANTISSIMORVM HOMINVM LAVDEM
QVI MAXIMIS SVIS BENEFICIIS
ARTEM ILLAM SVSTENTARVNT
AMPLIFICARVNT ET ORNARVNT
HABITAM
L. M. Q. D. D. D.
RICHARDVS MEAD

ILLVSTRISSIMAE PRECES,

COLLEGHAE SPECTATISSIMI,

AVDITORES HVMANISSIMI,

Si quantum vim habent ad humanas mentes amore laudis, ac gloriae incitandas magnarum virtutum exempla, tantum ego ingenii, & eloquentiae in laudandis illis heroibus, quorum hodie nobis commemoranda ſunt beneficia, afferre poſſem; haudquaquam ſane vererer, ne aut illorum meritis parum conveniens, aut veſtris auribus minus grata, quam nunc habiturus ſum, foret oratio. At vero, quum haec res longe aliter ſe habeat, & neque natura aptus, neque uſu inſtructus ad dicendum, juſſu veſtro hoc muneris ſuſceperim, ne importuna artis affectatione vobis ſim taedio, hiſtorici potius, quam oratoris partes agens, honores medicinae recenſebo; & per quos maxime reges aut principes, & quos apud populos creverit ſalutaris hujus profeſſionis gloria, in brevi quaſi tabella vobis proponam. Et dum hoc faciam, partem laudis iſtius haud infimam noſtrae genti merito attribui debere manifeſte oſtendam, quo nihil aut mihi ad recitandum jucundius, aut vobis, opinor, ad audiendum acceptius, aut omnibus nobis ad praedicandum honeſtius eſſe poteſt.

Ab Aegyptiis autem, antiquiſſimis illis omnis fere ſapientiae magiſtris, incipiam, apud quos tanto fuit in honore ars noſtra, ut ne reges quidem ipſi illam facere infra dignitatem ſuam exiſtimaverint. Oſirin, & Iſin in primis reginam medendi peritia excelluiſſe accepimus. Poſt horum tempora medicis ex publica pecunia dabantur praemia; & *Sacri* titulum ferebat liber, in quo deſcriptae fuerunt leges, ad quas morbis acutis laborantes curare licebat (*a*).

Graeci uti artes omnes ſubtilius, quam Aegyptii, excoluerunt, ita praeſertim medicinam, quae ex cognitis paucarum herbarum viribus, & populari experientia conſtabat, in ſcientiam redegerunt. Fama celebres apud eos antiquitus fuerunt ſcholae non paucae, Rhodia cum primis, Crotonienſis, Cnidia, Coa, & Smyrnaea. Crotonienſem illuſtravit Democedes, cui Darius rex Perſarum inter captivos apud ipſum agenti acceptum reſtitutae ſanitatis beneficium magnis divitiis, & honoribus rependit, non ſine inſigni humanitatis, qua nihil magis medicum commendat, in Democede exemplo. Quum enim rex medicos Aegyptios, qui ſe in principio morbi imperite tractaſſent, occidi juſſerat, ille culpae hujus veniam impetravit, & gratiae loco habuit conceſſam illis cum vita libertatem (*b*).

Ceterarum autem omnium gloriam Coae obſcuravit ſcholae felicitas, poſtquam ex illa prodierat, qui primus hanc diſciplinam a ſtudio ſapientiae ſeparavit, divinus Hippocrates. Magno nomini adrſurgimus omnes! & parentem medicinae veneramur! qui non tantum ſapientiſſimis praeceptis artem hanc formavit, ſed & ipſe vita, & moribus perfectiſſimi medici exemplar expreſſit. Tanto itaque viro maximos honores delatos minime miramur, neque hos tantum a Cois ſuis, qui imagine ipſius nummos ſignarunt (*c*), ſed etiam ab univerſa Graecia, quae communi concilio, quod *venientem ab Illyriis peſtilentiam praedixerat, diſcipuloſque ad auxiliandum circa urbes dimiſerat, honores illi, quos Herculi, decrevit* (*d*). Civem porro adſcriberunt Athenienſes, auro coronarunt, & victum illi, & poſteris in Prytaneo dederunt (*e*), qui honos in Graecia maximus habebatur. Athenienſes enim, cultiſſimi ſcientiarum aeſtimatores, hanc artem plurimi ſemper fecerunt, apud quos antiqua lege cautum fuit. *Ne quis ſervus, neve qua femina medicinam diſceret* (*f*). Et tam ab iis, quam ab aliis Graeciae civitatibus honores, & immunitates eximiae publicitus medicis concedebantur (*g*).

Hinc

(a) Diod. Sicul. l. 1. p. m. 74. (b) Herodot. lib. 3. c. 129. &c
(c) Vid. Numm. in Titul. (d) Plin. N. H. l. 7. c. 37. (e) Soran. in Vit. Hippocrat.
(f) Petit. Leg. Artic. l. 3. tit. 8. (g) Lucian. Abdicat. p. m. 457.


Hinc maximi omni aevo apud Graecos viri medicinam callere laudi ſibi duxerunt. Pythagoras, & Democritus primi omnium de virtutibus herbarum ſcripſere (*a*). Ariſtoteles hereditario quaſi jure ad ſe pertinere hanc artem ratus (ab Aeſculapio enim genus duxit (*b*) medicinam non didicit tantum, ſed & factitavit (*c*); libroſque de plantis, de anatomicis, & ἰατρικῶν, *medicinalium*, etiam edidit (*d*). Quin & medendi peritia magni Alexandri benevolentiam ſibi primum conciliavit; quem quum gravi morbo oppreſſum liberaſſet, hanc ab eo facultatem rex inviſtiſſimus doceri voluit: neque illam interdum exercere vile, aut ſumma ſua dignitate alienum judicavit (*e*). Crevit poſtea haec laus in familia Ariſtotelis, cujus ex filia nepos, nomine Eraſiſtratus, magnam conſecutus eſt famam. Is ſectam longe celeberrimam condidit, quam in ſchola Smyrnea, jam antea memorata, ad ſuam fere aetatem, quo tempore illi praeſidebat Hiceſius, Strabo floruiſſe tradit (*f*). Tam inſignis porro fuit, qui in hac urbe medicis habebatur, honos, ut mihi ſane gratulur, qui hanc occaſionem nactus notitiam illius ex antiquitatis tenebris jam primus in lucem proferam. Honos autem, quem dico, is erat, qno communitet cum praetoribus, ſummis nimirum urbis magiſtratibus, ornabantur, ut nomen eorum nummis imprimeretur. Praeterea quo magis oſtenderent Smyrnaei, in quanto pretio eſſet apud eos ars noſtra, medicorum nomina deorum ſalutarium imaginibus in nummis adjungi volebant; quorum multi ex altera parte caput Hygiae, ex altera vero Jovis Aeſculapii effigiem cum perſpicuis medendi artis inſignibus exhibent. Neque Eraſiſtrateos ſuos tantum ita honeſtabant, ſed nonnullis etiam aemulae Herophileorum ſcholae, quae iiſdem aetatibus in loco procul diſſito, *fanum Menſis Cari* appellato, inter Laodiceam ad Lycum, & Carura, magna cum laude florebat (*g*), eumdem honorem tribuebant (*h*).

A Grecis ad Romanorum tempora devenrentibus minus auguſta primo intuito, & parum laeta ſeſe offert rerum noſtrarum facies. Servas fuiſſe, qui primi Romae medicinam fecerunt, vulgo creditur: & pulſos urbe exſulaſſe medicos Catone cenſore ſcriptis prodiderunt nonnulli. Haec in opprobrium artis prolata quodnam habeant fundamentum, operae eſt diſquirere. De ſervitute mox dicam: primum autem de exilio quaeſtionem (calumniam rectius dixerim) paucis expediam. Nulla certe veterum annalium fide, nullis antiquorum monumentorum indiciis nititur hoc commentum. Primus, quod ſciam, in vulgus edidit vniſſimus ille *De vanitate ſcientiarum* ſcriptor, Cornelius Agrippa. (*i*) Anſam vera ad hoc fingendum dedit Plinius (*k*), qui *populum Romanum ultra ſexcenteſimnm annum ſine medicis degiſſe, & expertam tandem damnaſſe medicinam*, adductis etiam Catonis ad Marcum filium adverſus hanc artem dicteriis, memoriae mandavit. Tantum autem valuiſſe aut atrocem animum, aut auctoritatem Catonis, ut medicos urbe pelleret, nuſquam legimus. Neque damnavit omnem medicinam populus; ſed in ea, quae manu curat, ſecundi, urendiquae ſaevitiam (quam tamen ipſa non raro imperat miſericordia) ut novam, & adſpectu terribilem improbavit.

Sed miſſum faciamus hoc convicium, quod non ſemel antea diluerunt viri eruditi; & qualis fuerit medicorum Romae degentium conditio, praeſertim num ſervilis, paululum diſpiciamus. Romani artes omnes a Graecis acceperunt, & ſero quidem, *rudi ſcilicet, & bellicoſa civitate non magnopere liberalibus diſciplinis vacante*. (*l*) Nec grammaticam quidem, aut poeticam ante annum quingenteſimum excoluerunt. (*m*) Primus autem anno ſupra quingenteſimum triceſimo quinto medicus e Peloponneſo Romam venit Archagatus; cui is honor habitus

(a) Plin. l. 25. c. 2. (b) Diog. Laert. in Vit.
(c) Aelian. Var. Hiſt. l. 5. c. 9. (d) Diog. Laert. ibid.
(e) Plutorch. in Vit. Alex. (f) Geogr. lib. 12. ſub finem.
(g) Strabo dict. loc. (h) Vid. differt. ad finem adject.
(i) De Van. Scient. cap. 83. (k) Nat. Hiſt. l. 29. c. 1.
(l) Sueton. Lib. de illuſt. grammat. in princ.
(m) Cic. in Brut. c. 18. & Tuſcul. Quaeſt. in princip. ubi vid. not. Daviſii.

DISSERTATIO
DE
NVMMIS QVIBVSDAM
A SMYRNAEIS
IN MEDICORVM HONOREM PERCVSSIS.



Ex Theſauro Regis Galliarum

LECTORIS.

QVVM inter multos, ac varios honores, quos medicis olim tributos fuiſſe in Oratione mea oſtendi, ſingularis cujusdam, quem a Smyrnaeis acceperunt, ut nomina illorum in nummis ponerentur, mentionem fecerim; quo res iſta magis foret perſpicua, nummos aliquot ejuſmodi e multis aliis, quos apud me conſervo, aere inciſos, cum ſingulorum explicatione hic adjicere volui. Ex medicorum enim nominibus, tantis laudibus apud veteres celebratis, Deorumque ſalutarium imaginibus, ſymbolis artis ſuae inſtructis, quae in his nummis conſpiciuntur, Smyrnaeos, quo medicae artis profeſſorum famae, ac dignitati conſulerent, eos percuſiſſe, omnes, opinor, aequi rerum aeſtimatores mecum agnoſcent.

FATENDVM eſt ſane magiſtratuum nomina tam in Smyrnaeorum, quam in aliarum Graeciae civitatum nummis haud paucis comparere; unde viri eruditi, & rei nummariae ſcientiſſimi, ſi qui forte id genus nummi, de quibus hic agimus, in manus eorum devenerint, magiſtratibus ſtatim adſcribentes, inter alios ejusdem (ut ipſi cenſuerunt) claſſis in ſcriniis hactenus collocarunt. Attamen ſi rem paullo accuratius intueamur, nummos, in quibus magiſtratuum nomina leguntur, alia numina, aut aliis ſaltem inſignibus, cum re medica nihil commune habentibus, ornata exhibere percipiemus. Primus autem, quod ſciam, Seguinus nummi alicujus Smyrnaei ectypum protulit, cui ulla omnino cum noſtris ſimilitudo eſſe videatur. Is quidem inter alios Smyrneorum nummos unum edidit, in cujus altera parte caput *Hygiae* noſtrae perſimile adſpicitur, quod ipſe tamen *Apollinis* eſſe ſtatuit; in altera imago ſedens, ſed velata, & brachiis tranſverſis, nec reliqua adſunt ſymbola; ni forſan in lineamentorum ductu, quae temporis injuria evanida fuiſſent, & confuſa, ſculptor alucinatus fuiſſe exiſtimetur. Imaginem autem *Prytanis*, hoc eſt, ſummi apud Smyrnaeos magiſtratus, *ſedentis* eſſe autumat (*a*). Neque ab illuſtriſſimo Spanhemio, neque a Vaillant, in iis, quae ad opera illius ſcripſerunt, hic diverſum aliquid affertur; unde eos nihil certius habuiſſe, quod de nummo iſto proponerent, manifeſto conſtat. Alter quoque nummus ab eodem Seguino adducitur, qui hinc *Matris Deorum Sipylenae*, quae Smyrnae colebatur, caput; illinc ſtantis *Iſidis* ſimulacrum re-

[a] Seguin. Select. numm. ant. p. 33.

repraeſentat (*a*): de quo in *Notis ad Diſſertationem* plura dicendi locus dabitur (*b*).

VIR igitur reverendus, EDMVNDVS CHISHVLL, S. T. B. cujus eximia antiquitatis, omniſque adeo elegantioris doctrinae cognitio ex egregiis illius, tum *in nummum* ΣΚΩΠΙ, *inſcriptum*, tum etiam *in Sigeam inſcriptionem Commentariis*, orbi erudito diu jam innotuit, hos nummos primus feliciter explicavit, & quaſi poſtlimio recuperatos medicis reſtituit. Smyrnae enim largior eorum provenit meſſis, poſtquam terra circa Aeſculapii templum coepta eſt dimoveri. Qua occaſione etiam erutum fuit, & luci redditum caput marmoreum, in quo inſcribitur, ΜΑΡΚΟΣ ΜΟΔΙΟΣ ΙΑΤΡΟΣ ΜΕΘΟΔΙΚΟΣ, *Marcus Modius Medicus Methodicus*; item nummus *Ariſtotelis* nomen exhibens; ut etiam *Hermogenis* medici, qui ſeptuaginta ſeptem volumina ediderat, inſcriptio. Dum Smyrnae itaque commoratus eſt, plures hujuſmodi nummos comparavit, quos attentiori cura expendens, ex nominibus, & figuris inter ſe collatis ad rem medicam pertinere cito deprehendit. Quum in patriam autem reverſus fuit, ſermone de medicinae antiquitatibus forte inter nos incepto, pro ea neceſſitudine, quae diu mihi cum eo fuerat, mentem ſuam de his nummis mihi ſtatim aperuit; nec id tantum, ſed & nummos ipſos una cum quibusdam in illos obſervationibus ſe dono mihi promiſit miſſurum; quod & haud ita pridem amiciſſime praeſtitit. Illius igitur beneficio nova haec ad rei nummariae ſcientiam acceſſio prorſus debetur. Cujus etiam de republica litteraria optime merendi ſtudio & induſtria, ſi vivat modo & valeat, magnum *Graecarum antiquitatum*, *aliorumque veteris aevi monumentum Corpus*, non dum publici juris factum, *doctiſſimis* etiam *commentariis*, tantoque theſauro dignis, *locupletatum*, antiquitatis ſtudioſis exſpectare licebit. Vale.

R. M.

DIS-

[a] Ibid. p. 32.   [b] Vid. Diſſert. p. 58. no. 38.

habitus eſt, ut *jus Quiritium ei datum ſit*, *&* *taberna in compito Acilio emta ob id publice*. (*a*) Magna ſaeculo ſequenti fama fuit Aſclepiadis Bithyni, tam dicendi, quam medendi arte inſignis, quo ſe medico, amicoque uſum fuiſſe L. Craſſus apud Ciceronem teſtatur (*b*); ex cujus etiam poſteris, ut videtur, *Calpurnius Aſclepiades*, *a divo Trajano parentibus*, *ſibi*, *&* *fratibus ſeptem civitates impetravit*. (*c*) Neque diu poſt, quum jam quotidie quaeſtus cauſſa ex Graecia Romam adirent medici, Julius Caeſar, in cujus manus tunc temporis ſumma rerum poteſtas devenerat, omnes hanc artem profeſſos civitate donavit. (*d*) *In ſervos autem id beneficium fuiſſe collatum*, *vel ſuſpicari*, ut cum viro inter litteratos principe loquar, *nimia eſt ſtultitia*. (*e*) Nihil igitut ſervile, aut tenue quidem artem noſtram adhuc dedecorat. Sed ut plane, & ſine fuco totam rem dicam; ſimul cum ingenuis multis, & doctis viris non pauci ſcientia, & fortunae bonis inferiores illis temporibus Romam veniebant, qui etſi non medicamentis, ſed manu curarent, medici tamen appellabantur. Hi in divitum, & magnatum clientelam ſe conferebant, & ſervi agebant, donec civitatem conſequerentur; inde liberti nomen familiae alicujus Romanae ſibi adſciſcere ſolebant; neque raro, ſi ingenium ſtudio litterarum excoluiſſent, morbis etiam internis medebantur. & in medicorum clinicorum cenſum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Muſa, cui, poſtquam ejus opera ex ancipiti morbo convaluerat Octavius Auguſtus, ſtatuam aere collato populus Romanus poſuit. [*f*] Auguſtus quoque ei jus annuli aurei, & immunitatem non ipſi tantum, ſed omnibus medicinam profitentibus in poſterum tempus conceſſit [*g*].

Non igitur ars erat ſervilis apud Romanos medicina, ſed liberalis, & tanto in honore, ut etiam pars ejus chirurgica, quae a ſervis, & exili forte hominibus exerceri poterat, libertatem ſaepe daret, & magnas opes. Haud exigua ſane iis temporibus erant medendi facultatis praemia. Principum medicis annua ſtatuebatur merces. Iis autem, referente Plinio, *imputavit Stertinius*, *quod quingentis ſeſtertium millibus*, pecuniae noſtrae pluſquam ter mille, & ſexcentis libris, *contentus eſſet*; *quum ſexcenta quaeſtu urbis ſibi eſſe*, *numeratis domibus*, *oſtenderet*. (*h*) Ipſe vero, & frater ejus ſua pecunia Neapolim operibus exornarunt, & tamen *cenſus trecenties centena millia ſeſtertium heredi reliquere*. (*i*) Omitto plura exempla memorare, neque vobis Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios ſiſtam, Romana nomina, quae profeſſione medicinae, & opibus claruerunt. Praeterire autem nequeo, in nummis Rubriorum conſpici anguem, Deae ſalutis ſignum, monumentum, ut videtur, familiae ſibi medicinae laudem vindicantis. Miror itaque in nummis iſtis explicandis neque Patinum, neque Vaillant, viros de re nummaria optime meritos, hanc arti ſuae adeo honorificam, inter alias ejus rei cauſſas longius petitas attuliſſe (*k*). In ſumma ita non ſemper tenui fortuna homines Romae erant medici, ut etiam imperatorum ſaepe amici eſſent, & familiares (*l*).

Neqve putet quiſquam gratia tantum ſingulari in hunc aut illum collocata fuiſſe, qualia diximus, beneficia; arti habebatur honos, & univerſis eam profitentibus dabantur immunitates. Collegium enim, ſive ſcholam, ut vocabatur, medicorum in urbe fuiſſe, ex antiquis marmorum inſcriptioni-

L bus

(a) Plin. N. H. l. 29. c. 1.
(b) De Orat. l. 1. c. 14.
(c) Inſcript. antiq. apud Spon. Recherch. Curieuſ. Diſſert. 27.
(d) Suet. in Vit. c. 42.
(e) Caſaub. in dict. vit. Suet. c. 4.
(f) Sueton. in Vit. Aug. c. 59.
(g) Dio. H. R. l. 53. ſub. fin.
(h) Lib. 29. c. 1.
(i) Ibid. (k) Vid. Patin., & Vaill. Fam. Rom.
(l) Vid. Spon. Recherch. Curieuſ. Diſſert. 27.

bus apparet (*a*). Quales autem legibus dabantur illis immunitates, veterum juriſconſultorum libri nos docent. Exempla e multis pauca tantum proferam. Conſtantini Magni imperatoris exſtat hoc reſcriptum: *Medicos, & maxime archiatros, grammaticos, & doctores legum, una cum uxoribus, & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus, vel publicis immunes eſſe praecipimus; & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, vel exhiberi, vel injuriam pati; ut ſi quis eos vexaverit, poena arbitrio judicis plectatur.* (*b*) Nec novo prorſus favore hic omnibus beneficiis tum primum facultas haec ſalutaris honeſtabatur. Jam ante enim *medicis*, *& philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam*, imperatores Veſpaſianus, & Hadrianus reſcripſerant. (*c*) Item Antoninus Pius a muneribus civilibus, & publicis *immunes eſſe medicos* juſſerat. (*d*) Deinde poſt hos omnes Julianus, qui, niſi nomini maculam fixiſſet hoſtile erga Chriſtianos odium, inter ſapientiſſimos imperatores jure cenſeretur, non ſine honorifico utilitatis artis noſtrae teſtimonio ſuperiorum principium decreta de medicis lege lata ſancivit, eoſque a curialibus muneribus liberos eſſe voluit. (*e*) Sed de rebus medicis apud populum terrarum orbis dominum ſatis, opinor, dictum fuit.

Si medicinae autem tempora, & varias quaſi aetates ſpectemus; ad Arabes jam, ſimul cum armis litterarum ſtudia agitantes, nos deducit orationis filum. Iis enim ſaeculis, quibus foeda barbaries ceteras fere nationes obduxerat, penes eos permanſit artis hujus ſcientia. Deficiunt quidem hac in parte annales medici, & linguae ſuae difficultatibus involuta in bibliothecarum foruliſ latent, quae de medicorum hiſtoria gentis illius ſcriptores memoriae mandarunt, aliquando forſan in lucem protrahenda. Speciminis autem loco ex ineditis illorum monumentis obſervare libet, imperatoris medico annuo ſtipendio fuiſſe *quindecies centena millia drachmarum* (*f*); quae, ſi ad noſtram pecuniam exigantur, pluſquam tricies mille librarum ſummam conficiunt. Ingentem ſane, & forſan vix credibilem eſſe hanc principum munificentiam, quis dicet. At non tam miniſtri, quam conſiliarii, imo affines regum apud eos habebantur medici; & terrarum reditus, & urbium praefecturae illis ſaepe in mercedem cedebant.

Postquam, renaſcentibus litteris, antiqui doctrinae fontes recludi, & in Italia primum, inde & in ceteris Europae regionibus fervere ſtudia ſcientiarum coeperunt, apud alios & alios populos medicina honores varios ſortita eſt; utque gloria aluntur artes, ita haec ſemper accepta beneficia magnis in rempublicam utilitatibus rependit. Longum eſſet ſcholae Salernitanae, Bononienſis, Patavinae, Montis Peſſulani, Pariſienſis, & aliarum quam plurium jura, & immunitates explicare; verum illud memorare juvat, ut nuſquam honoratior, quam apud nos, exſtitit medicina, ita nullum collegium, abſit verbis invidia, virorum ingenio, & doctrina excellen-

tium

(a) Mercur. Art. Gymn. L. 1. c. 7.
(b) Leg. *6.* Cod. de profeſſ., & med.
(c) Leg. ult. §. ult. ff. de mun., & hon.
(d) Leg. *6.* §.2. ff. de excuſat.
(e) Vid. Julian. Epiſtol.
(f) Oſaibea De vitis medicorum, mſ. Arab. Drachmae autem hic non Atticae, ſed Arabicae intelligi debent, quarum hae, ſi Golio credamus in Lex. Arabicae, tertia parte illis ſunt leviores. Nec longe diſcrepat Gravii ſententia, qui ex comparatione cum granis noſtris diſcrimen petens, veterem Atticorum drachmam grana 67, Arabicam vero 47 $\frac{41}{50}$ exaequare ſtatuit. Vid. *Greaves's Diſcourſe of the Roman Denary*, p. *6*1. 115.

tium hoc noſtro fuit feracius.

Amplissimus hic dicendi campus ſeſe aperit; ſed monet me praeſcriptum munus, ne exiguum hoc temporis ſpatium, de medicis optime meritorum memoriae ſacrum, medicorum praeconiis effluere ſinam, dicant potius exteri, quantum per Anglorum labores in medicinae ſtudio ipſi profecerint. At quidni dicam rara felicitate id nobis contigiſſe, ut, qui hic ſalutaris ſcientia lumina claruerunt, iidem dignitatis noſtrae auctores & cuſtodes beneficentiſſimi celebrentur? Ecquis Linacro, qui ſub auſpiciis regis invictiſſimi, Henrici octavi, primus nos auctoritate inſtruxit, ſapientiorem, & litteris cultiorem dicit quempiam? Ecquis Caio, qui inſignia poteſtatis ad decus, & ornamentum addidit, arte praeſtantiorem? An Harveio, qui potentiam opibus auxit, ſagaci ingenio, & naturae ſcientia, ullum inveniemus parem? Hi nimirum veterum ſapientium more, relicta patria, terras alio ſole calentes adierunt, Italiam in primis, antiquum illud Muſarum ſacrarium, ubi parum illis fuit omne diſciplinarum genus toto pectore haurire, & domum adferre; adhuc majora animo conceperunt, formam nempe reipublicae medicae, qua in unum corpus, quaſi membra, coirent artis profeſſores. Amant enim ſocietatem ſcientiae; & corcordia, tanquam communi anima, vigent. Hinc alius poſt alium, veluti vicario ſtudio, legibus, & ſtatutis ſodalitium hoc communiverunt; rerum geſtarum annales condiderunt; & ſollemne convivium cum grata bene meritorum de nobis commemoratione inſtituerunt. Vivite aeternum illuſtria nomina! Veſtrae, dum ſtabit honos medicinae, manebunt laudes; ſtabit autem, quamdiu cura ſui tanget mortales, & morbis opportuna reddet corpora in luxum, & libidinem proclivis hominum natura. Sed & alios, quos habuimus ejuſdem laudis aemulos, ſilentio premere eſt nefas; Caldwellum, Gulſtonum, Cronium, qui ampliſſimis honorariis chirurgiae, & inciſionis ſtudium promoverunt; ut etiam munificentiſſimum Hamaeum, cui viventi aedes noſtras, morienti praediorum ſuorum haereditatem debemus. Vt magnae autem ſunt apud bonos virtutis illecebrae, illius praecipue, qua publicae utilitati conſulitur; ſpectata haec medicorum liberalitas, & in commune ſtudia ſua conferentium generoſus ardor alios quoque viros, ſanguine pariter ac litteris illuſtres, in laudis ejuſdem partem attraxit. Nec ſequior ſexus ἀσύμβολος, *immunis*, eſſe voluit, ut, quibus ob teneram formam plus eſt in arte noſtra praeſidii, aliquid etiam ad ejus decus afferre viderentur. Honoratiſſimae igitur feminae, regia etiam ſtirpe illuſtres, Arabella Stuarta, & Maria comitiſſa Salopienſis, ſocia beneficentia ad levandos ſumtus in aedibus noſtris emendis factos pecuniam larga manu donaverunt.

His adjungam nobiliſſimum virorum par, Ioannem Lumleium baronem, & Henricum Durnovariae marchionem; quorum ille cum Caldwello, quem dixi, junxit munificentiam: hic in tanto nos habuit amore, ut non modo bibliothecam dederit, optimis libris inſtructiſſimam, ſed & inter nos cenſeri, comitiis noſtris intereſſe, & rem medicam ſedulo procurare voluerit. Omine ſane felici! quum & nunc nobis gratulemur optimatem, honoris inſignibus illuſtriſſimum, & haec tamen animi magnitudine vincentem, tabulis noſtris ſuo nomine decus, & ſplendorem addidiſſe.

Non ultra pergam magnorum virorum laudes, quas nec hominis diſertiſſimi vox aequare poſſet, ingenii culpa imminuere. Humanitatis profecto, & ſcientiae exempla, quae vos, collegae ornatiſſimi, aſſidue oſtenditis, memoriam illorum quavis oratione longe melius conſecrabunt. Etenim dum illorum veſtigia premitis, quotidianum illis inſtauratis laudis monumentum, & prudentis conſilii, ac bene collocatae operae teſtimonium perhibetis perpetuum. Quis praeſidem illuſtriſſimum, ſtrenue ac prudenter auctoritatem noſtram tuentem, ſuſpicit; & Linacri ſapientiam haud ſtatim ſibi repraeſentat? Quis cenſoribus imperitorum artis pernicioſam audaciam coercentibus, & ne qua in pharmacis noſtris conficiendis fraus fiat providentibus, gratias habet; vel quaeſtoris in aerario adminiſtrando fidem, & frugalitatem laudat; vel omnes vos denique ſine malis artibus ſaluti civium proſpicientes, & pro meritis divitiis, & honoribus auctos veneratur: nec eorum, qui primi hujus diſciplinae fundamenta poſuerunt, atque hoc do-

micilium ſcientiae condiderunt, benefacta ſimul honorate praedicat, ſummiſque laudibus in caelum extollit? Macti igitur eſte ſapientia, viri Clariſſimi, coeptam viam pergite. Hac enim ratione laudis aeque, ac vitae lampada filiis tradetis; atque hi iterum nepotibus, qui, majorum exempla ſequentes, collegii hujus jura, decus, & dignitatem, in omne aevum duratura (ita voveo, & auguror) ſuis etiam poſteris ſarta tecta conſervabunt.

Dixi.

DISSERTATIO
DE
NVMMIS QVIBVSDAM
A SMYRNAEIS
IN MEDICORVM HONOREM PERCVSSIS.

IDem medicae arti, quod & aliis diſciplinis liberalibus, olim uſu veniſſe, ut profeſſores ejus inſectas diverſas a diverſis, quibus profecti ſint, ſcholis diſtinguerentur, ex antiquis ſcriptoribus manifeſto conſtat. Sectae autem Herophileorum, & Eraſiſtrateorum, quae ab auctoribus ſuis Herophilo, & Eraſiſtrato nomen acceperunt, per ſaecula aliquot eximia laude celebrabantur. Hujus rei teſtis nobis locupletiſſimus eſt Strabo, cujus verba hic adſcribam. Μεταξὺ τῆς Λαοδικείας, καὶ τῶν Καρούρων ἱερόν ἐστι, Μηνὸς Κάρυ καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως, συνέστηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ἡροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρυ τοῦ Φιλαλήθυς· καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ἐρασιστρατείων ὑπὸ Ἱκεσίυ· νῦν δ' οὐχ ὁμοίως τὶ συμβαίνει (a). *Inter Laodiceam, & Carura fanum eſt, Menſis Cari adpellatum, maximo in honore habitum, permanſit autem apud nos Schola Herophilea medicorum magna ſub Zeuxide, & poſtea Alexandro Philalethe; quemadmodum apud patres noſtros Smyrnae illa Eraſiſtrateorum ſub Hiceſio; nunc vero nihil tale evenit.* Haec doctiſſimus geographicorum ſcriptor. Quum alteram autem ex his ſcholis *ad ſuam aetatem*, quo tempore Auguſtus Caeſar imperium tenuit; alteram vero ad illam, *quae proxime anteceſſit*, permanſiſſe dicat: ſi a ſectarum auctoribus *Herophilo*, & *Eraſiſtrato*, qui ſub initiis Antiochi Soteris, Syriae regis, floruerunt, temporis ſpatium computemus, annos circiter ducentos, & ſexaginta complecti invenietur. Ceterum in honorem medicorum, qui alterutri harum ſectarum ſe addixiſſent, nummos, de quibus tractaturi ſumus, percuſſos fuiſſe, nomina illis impreſſa evincent. Etenim tum *Zeuxidem*, tum *Hiceſium*, a Strabone hic memoratos, exhibent. Idem quoque de aliis veterum ſcriptorum auctoritate, qui eos laudant, in ſingulorum explicatione poſtea demonſtrabitur.

PRIMVM autem duplicem nummorum ſeriem, aeneis tabulis inciſam proferemus; quarum altera medicorum nomina, altera varia Deorum ſalutarium ſimulacra repraeſentat. Prior ſigillatim explicabitur; poſterior quatenus lucis aliquid illa altera, ad cujus illuſtrationem adjungitur, ex ea fenerari poſſit. Nummi autem in utraque ſerie ſequenti ratione ordinantur.

Medici in priori ſerie adducti.

XEVXIS.	N. I. i, ii, iii.
HICESIVS,	N. II. i, ii.
APOLLOPHANES.	N. III. i, ii.
IATRODORVS.)	N.IV. i, ii, iii, iv.
IASON IASONIS.)	
ATHENAGORAS.	N. V. i, ii, iii.
SARAPION.	] M.VI. i,
PASICRATES.]	
METRODORVS PASICRATIS.]	] i, iii, iv,
HERMOGENES TRICCAE	

Deorum ſalutarium in poſteriori ſerie ſimulacra.

1. AESCVLAPIVS ſedens, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Smyrneorum*, nullo alio nomine adſcripto.
2. ALTER priori ſimilis, errore monetarii, ΣΜΥΝΑΙΩΝ.
3. AESCVLAPII caput laureatum in familia Acilia Latina.
4. SALVTIS caput laureatum in eadem familia.
5. SALVS in familia Junia. *Vaillant.*
6. SALVS AVGVSTA coloniae incertae in nummo Liviae.
7. SAL. AVG. coloniae Novae Carthaginis in numero Caligulae.

(a) Geogr. I. 12. ſub finem.

M 8. SA-

8. Salvs in familia Claudia. *Vaillant*.
9. Teſſera ſalutaris, inſcripta ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΚΑΙ ΥΓΙΕΙΑ, *Aeſculapius*, *&* *Hygia*, cum capite Aescvlapii laureato.
10. Teſſera ſalutaris cum eadem inſcriptione, & capite hygiae laureato.
11. Caput Apollinis medici radiatum cum hygia ſedente, & telesphoro ſtante Hierapoleos Phrygiam inter & Lydiam.
12. Apollo Salvtaris ſtans in nummo Treboniani Galli.
13. Aescvlapivs, & hygia ſtantes cum telesphoro intermedio ΒΑΓΗΝΩΝ, *Bagenorum*, in nummo Getae. *Internum Gr. Vaill.*
14. Aescvlapivs ſedens, & hygia ſtans col. Neapoleos Samaritanae in nummo Philippi ſenioris. *Vaill.*
15. Aescvlapivs ſerpentis ſpecie Romam advectus in familia Rubria Latina. *Vaillant*.
16. Caput aescvlapii ſine corona, adjuncto ſerpente, col. Babbae, in Neronis nummo. *Apud Vaillant*.
17. Apollo conservator ſtans in nummo Claudii Gothici.
19. Salvs ſtans cum ſerpente tripodi circumvoluto in nummo Hoſtiliani.
20. Isis cum attributis, & inſcriptione salvs avg. in nummo Claudii Gothici.

Qvi hos Smyrnaeorum nummos, in priori ſerie collocatos, animo paullo attentiori conſideraverint, ad rem medicam pertinere ut credat, tam a nominibus adſcriptis, quam iſtis, quas exhibent, figuris, facile, opinor, inducetur; quod quo clarius appareat, ad ſingulorum explicationem jam progrediemur.

N. I.

XEVXIS.

I. Nvmmvs aereus moduli tertio majoris, Smyrnae eo tempore percuſſus, quo ludi annui illic ederentur, *ſacri Aeſculapici* vocati; de quibus quamquam multis poſt annis in Genethliaco Apellae apud Ariſtidem fit mentio.

In adverſa nummi area *Caput muliebre laureatum*.

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ, *Smyrnaeorum Xeuxis*. *Aeſculapius ſedens*.

Capvt illud muliebre videtur eſſe Deae *Hygiae*, Aeſculapii filiae, ad inſtar Deae Salutis in familiis Latinis Acilia, Claudiaque, (*a*) corona laurea redimitum.

Desvnt quidem in hoc noſtro capite, quae in iſtis duobus reperiuntur, inauris, & monile; ſed pro diverſo colentium ingenio diverſus perſaepe fuit ejuſdem Numinis ornatus. Vt igitur Venus aliquando ab ipſa Venere, ita & Salus Salute diſcrepabat. Veneri enim in familia Iulia, n. 11. & 15. *apud Vaill.* & in Aemilia, n. 13. & 14, nec inauris adeſt nec monile; Saluti in familia Junia nec inauris, nec corona (*b*). Romanis vero imperatricibus, *Salutis Auguſtae* imaginem prae ſe ferentibus, nulla ſunt hujuſcemodi ornamenta (*c*). Simulacra interim Deorum ſalutarium, pro diverſitate locorum diverſis modis efficta, non injucundum erit in Tabula ſecunda, & tertia contemplari.

Svnt autem, qui hoc caput *Apollinis* eſſe ſtatuunt. Neque eſt, cur Apollinem abnuamus; Apollinem nempe Ἰητρὸν, hoc eſt *Medicum*, vel *Salutarem*, quem una cum Aeſculapio jurari voluit Hippocrates (*d*); & de quo decantatur illud Ovidianum, Met. l. 1.

Inventum medicina meum eſt.

Qvin etiam hunc faciunt certamina, quorum in inſcriptione Ancyrana mentio, ΙΕΡΩΝ nempe ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ ΤΕΚΑΙ ΠΙΘΙΩΝ *ſacris ludis magnis & Aeſculapienſibus, &* *Pythiis* (*e*), ſi talia forte certamina Pythia Aeſculapicis conjuncta, Smyrnae quoque edita putentur. Haec enim pulchram certe occaſionem praebere poterant, hinc caput Apollinis, illinc ſimulacrum Aeſculapii in eo-

(a) Vid. Tab. II. n. 3. 4. Tab. III. n. 8. Coronatos illic aſpice Aeſculapium, & Salutem; itemque in duabus teſſeris ſalutaribus, Tab. III. 9. 10. Aeſculapium, & Hygiam e muſeo inclyti apud Eſſexienſes Baronetti, *Roberti Abdy*.

(b) Vid. Tab. II. num. 5.

(c) Vid. Tab. II. num. 6. Tab. III. num. 7. & Theſ. Brand. vol. III. pag. 617.

(d) Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν καὶ, Ὑγείαν, Πανάκειαν; *juro Apollinem meum, & Aeſculapium, & Hygiam, & Panacean*. Hipp. jusjurand.

(e) Vid. inſcriptionem Ancyrae adhuc exſtantem poſt Douſam, & Coſſonium a Tournefortio felicius exſcriptam, atque a Montfauconio editam Palaeograph. lib. 2. c. 6.

dem nummo percutiendi.

Sed ut, quod res eſt, plane dicamus; huic de Apolline ſententiae obſtat effigies iſta muliebris, quae nequaquam Apollini competit. Neque, ſi vetuſtas recte intelligatur, perſona umquam Apollinis muliebris fuit (*a*); quamquam non raro tractanti lyram, & talarem pallam induto habitus ei muliebris, ut Dianae virilis, tribuatur. Haec enim qui deſcripſere Ovidius, & Tibullus (*b*), marem nihilominus Apollinem manifeſto prodidere. Quorum alter ſic incipit Met. l. XI.

Ille caput flavus lauro Parnaſſide vinctus.

Alter vero l. III. Eleg. 4.

Huic juvenis caſta redimitus tempora lauro.

Adde ex Propertio l. II. Eleg. 23.

Pythius in longa carmina veſte canit.

Talis ſedet Apollo in lucernis aliquot fictilibus (*c*); tali habitu ſtat in Troadenſium, & Antiochenorum monumentis (*d*); *Actii* etiam, & *Auguſti*, & *Palatini* nomine in imperatoria aliquot numiſmata traductus. At caput Apollinis muliebre ipſi ſibi videntur finxiſſe antiquarii, aut Apollinem ſemper juvenem pro Apolline muliebri, aut caput aliquod ignotum pro Apollineo venditantes (*e*). Sed & iſti de Apolline medico ſententiae obſtabit corona laurea; obſtabit inquam, vel in his nummis, medicorum nomine inſcriptis. Corona enim laurea propria quidem Apollinis, ſed Vatis, ſive Muſagetae fuit; *quo*, ſi Plutarcho fides, *numquam utebantur medici* (*f*). At Apollini medico, vel, quod idem, Soli, & Paeani (*g*) aut nulla omnino corona, aut radiata geſtabatur. Stat igitur Apollo nunc *Salutaris*, nunc *Conſervator* dictus, non laurea, ſed ſtrophio revinctus in Treboniani, Claudii Gothici, & Gallieni nummis (*h*). Idemque radiatam gerit coronam ſub titulo ΑΔΙΑΒΗΝΟΥ, hoc eſt, *magnifice illuſtris*, in numiſmate Hierapolitano,

M 2

(a) Bacchum quidem ἄῤῥενα, καὶ θῆλυν, *marem*, *&* *feminam*, Orphica dixere carmina, eumque natura δίδυμον, *duplicem*, Ariſtides, aliique tradidere; at Apollinem ſemper marem nemo non poetarum celebravit.

(b) Vide eos ad hanc ipſam rem adductos a doctiſſimo I. C. Schot. in Homericae apotheoſeos explicatione Gallicana, pag. 62. 63. Cui tamen minime aſſentiendum, Domitianum ſub Apolline ſemper juvene muliebrem eſſe contendenti, & Catullum ſic citanti Epigr. 64. De Aty: *Ego* mulier, *ego adoleſcens*, *&c.* quum auctor ſine dubio ſcripſerit: *Ego* puber, *ego adoleſcens*, &c. Vide eum pag. 54. & 65.

(c) Theſ. Brand. Begeri, Vol. 3. poſt pag. 442.

(d) Vide Troadem, & Antiochiam inter colonias Vaillant in Caracalla, & Philippo ſeniore; maremque illic Apollinem, quamquam muliebri habitu indutum, ut in Auguſti, Antonini Pii, & Commodi nummis recognoſce.

(e) Cenſuram hoc nomine meruere Vrſinus, & Vaillant in familiis Claudia, & Volteia. Illud ſcilicet Callimachi non recte adverterunt:

Καὶ κὲν ἀεὶ καλὸς, καὶ ἀεὶ νέος· ὔποτε Φοίβῳ
Θηλείαις ὐδ᾽ ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.
Quin etiam ſemper formoſus, & ſemper juvenis eſt; numquam Phoebo
Ne femineis quidem quantum lanugo increvit genis.

Vt neque illud Phurnuti De natura Deorum cap. De Apolline: Ἀπόλλων ἄῤῥης ἀνεπλάσθη — βύπαιδος δ᾽ ἡλικίαν ἔχει — κάλλιστος γὰρ ὀφθῆναι, *Apollo mas fictus eſt — adoleſcentis autem aetatem habet — pulcherrimus enim viſu eſt*. Nihil igitur in Apolline muliebre ſomniaverunt veteres, niſi figurate ſolummodo ob eximiam ejus pulchritudinem, & perpetuam juventam.

(f) Τὺς ἰατρὺς Ἀσκληπιὸν ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα, καὶ Ἀπόλλωνι Παιᾶνι χρωμένυς πάντα, Μυσηγέτῃ μηδὲ, *Medicos Aeſculapium habentes ſcimus ducem, & Apolline Paeane utentes omnino, Muſageta numquam*. Sympoſiac. lib. 9. quaeſt. 14.

(g) *Eadem opinio* (Appollinis) *Soſpitalis, & Medici Dei in noſtris quoque ſacris fovetur. Namque Virgines Veſtales ita indigitant*: APOLLO. MEDICE. APOLLO. PAEAN. Macrob. Saturnal. lib. I. c. 17.

(h) Conferantur nummi Tab. III. 12, 17, 18.

tano, Diis ibi ſalutaribus, Hygiae, & Teleſphoro ſociatus (*a*).

CETERVM fatendum eſt, non male Aeſculapio etiam muſicum Apollinem in nummis aliquando potuiſſe ſociari. Nam, ut teſtatur Plato in Jone, *Epidauri in ludis Aeſculapicis rhapſodorum, & cujuſvis generis muſices certamina iſti ſuo numini poſuere*. Idemque videntur feciſſe Colophonii, quorum nummi in antiquariorum ſcriniis ſervantur, hinc noſtro ſimilem Aeſculapium, illinc ſtantem ſuum Apollinem, & lyra inſignem oſtentantes.

HIS ita poſitis, viderit eruditus lector, nunc caput hoc Apollini, an Deae Hygiae ſit potius tribuendum. Hygiae, inquam, in urbe Smirna (*b*), ut in Epidauro, Titana, Pergamo ſocium cum Aeſculapio cultum, & commune templum ſortitae. Deveniendum igitur ad alteram nummi aeream, in qua inſcribitur:

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ, *Smyrnaeorum Xeuxis* (vel *Zeuxis*, ut fere in editis libris ſcribitur) *Herophileus*, ſicut a Strabone docemur (*c*), magnae iſtius prope Laodiceam ſcholae magiſter, (*d*) Erotiano ut *Exegeticorum auctor* laudatur; hic vero ut Aeſculapii ſacerdos (*e*) & forte ut Smyrnae urbis medi-

(a) Vid. ejusdem Tab.numm. 11. deſumtum e Theſauro Britannico Haymjano Vol.11. pag. 112. occurrentem etiam apud Triſtanum, Patinum, & Harduinum.

(b) Quod de aliis multis urbibus Pauſanias, id quoque de urbe Smyrna clare docuit Ariſtides Orat.ſacr.3. & 4. ibi, nempe in templo Aeſculapii, ſacrata fuiſſe ſacella, & ſimulacra tum ipſi Aeſculapio, tum Diis etiam *συνναοις*, *ejusdem templi ſociis*, Hygiae, & Teleſphoro. In tertia orat. ita ſcribit: Ἐπεὶ δ' ἐλθὼν ἐις τὸ ἱερὸν (templum intellige Aeſculapii) γίγνομαι περιὼν κατὰ τὸν Τελεσφόρον, ἐπέρχεται ὁ νεωυόρος Ἀσκληπιακός. — Καὶ παρελθὼν εἰς Ὑγιείας κομίζει τὸ χρῆμα ἐυωδίας θαυμαςὸν οἷον. *Poſtquam autem veni in templum, adſui apud Teleſphorum, ſupervenit aedituus Aeſculapii — Et praeteriens in Hygiam, fert rem odorem quemdam mirum quantum redolentem.*

In quarta vero: Ἐςὶν ὁ ζρίπȣς ὑπὸ δεξιᾷ τȣ̃ θεȣ̃ εἰκόνας χρυσᾶς ἔχων τρεῖς μίαν Ἀσκληπιȣ̃, τὴν δὲ Ὑγιείας, τὴν δὲ Τελεσφόρȣ. *Eſt tripus ſub dextera manu Dei imagines aureas habens tres, unam Aeſculapii, alteram Hygiae, tertiam Teleſphori*. Haec tria Numina ſalutaria, Aeſculapium nempe, Hygiam, & Telesphorum in Bagenorum nummo Tab.III. n. 13. ab *Caio* eorum *pontifice* publicata, contemplare lector; Aeſculapium, & Hygiam n. 14. Hygiam vero, & Telesphorum n. 11.

(c) Verba ſunt Strabonis lib. 12. ſuperius citata: Διδασκαλεῖον Ἡροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, *Schola Herophilea medicorum magna ſub Zeuxide*.

(d) Vide eum in vece καμμάρῳ: Ζεῦξις μὲν ἐν ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐξηγητικῶν, *Zeuxis tamen in ſecundo Exegeticorum*. Iterumque inferius paullo, τȣ̀ς περὶ τὸν Ζεῦξιν, *hos Zeuxidis*, non ſine honore nominat. Sed & conſulendus de *Zeuxide* Galenus.

(e) Sacerdotum Aeſculapii dignitas apud Smirnaeos ſaepe in ſacris Ariſtidis Orationibus mentionem merita eſt; ut etiam in inſcriptione Smyrnenſi, inter Marm. Oxon. n. 46. T. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΛΙΚΙΝΝΙΑΝΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. *T. Cl. Valerii Licinniani Sacerdotis Aeſculapii*. Huic, credo, ſacerdoti, celebratis ludis ſacris Aeſculapicis, permiſſa fuit annua poteſtas nummos huc ſpectantes proprio ſuo nomine ſignatos emittendi, Porro, ut ex Ariſtide intelligimus in Orat. ſacr. prim. erat quoque apud Smyrnaeos Ἀσκληπιακὸς ἰατρὸς *Aeſculapicus medicus*. Quo titulo neſcio quid melius indigitari poſſit, quam *medicus ſacerdos Aeſculapii*. Niſi quis malis Ἀσκληπιακὸν τὸν ἰατρὸν, *Aeſculapicum medicum*, fuiſſe ludorum Aeſculapicorum medicum, cujus erat athletarum corpora ad certamen praeparare, & mutilata poſt certamen medicari. Tales apud Gruterum occurrunt in inſcriptionibus Latinis ludorum magnorum, factionum item Venetae, & Ruſſatae medici, pag. CCCXXXIV, CCCXXXV, CCCXXXIX. Notum eſt etiam in nummis Aſiaticis adſcribi ſacerdotis nomen cujuſvis Numinis ſimulacro; ut in iſto Bagenorum cum Aeſculapio, Hygia, & Teleſphoro, ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΡΧΙερεως, *ſub Telluris ſummo Sacerdote*. Tab.III. n. 13. item in alio Samiorum circa Mercurii effigiem, ΕΠΙ ΛΥΣΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕ — *ſub Lyſandro Sacerdote* — Tournefort.Itin.Epiſt. X., &

medicus (*a*) inſcribitur. Adeſt enin in eadem Smyrnaeos Jovis *Aeſculapii* (*b*) titulo ſacra- area *ſimulacrum Aeſculapii ſedentis*, apud ti, *caput ſtrophio revincti* (*c*), *palliati* (*d*), *ſmi-*

X., & in Philadelpheno, qui hinc caput Dianae exhibet, illinc Apollinem ſedentem, adſcriptis vocibus, ΕΡΜΙΠΠΟΣ ΕΒΜΟΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *Hermippus filius Hermogenis ſummus Sacerdos*. Theſaur. Brit. vol. II. p. 157. Vbi, nequis putet pontificatum fuiſſe ſummum urbis magiſtratum, vetat inſcriptio Philadelphena nondum vulgata: ΑΥΡ. ΕΡΜΙΠΠΟΝ, ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ. ΙΕΡΕΑ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ – ΑΡΧΙΕΡΑΣΑΜΕΝΟΝ. ΕΝΔΟΞΩΣ – ΑΡΧΑΝΤΑ. ΤΗΝ. ΠΡΩΤΗΝ. ΑΡΧΗΝ. ΕΠΙΦΑΝΩΣ. *Aur. Hermippum, Principem Xyſti, Sacerdotem Dianae – ſummo Sacerdotio functum glorioſe – qui obtinuit ſumum imperium praeclare*. Falluntur igitur, qui conſpecto in his nummis perſonae nomine, confeſtim illud magiſtratus eſſe putant. Cum iis, quae hic diximus, conferri etiam poſſunt, quae infra not. 25. 26. de initiatione quadam, & ſacerdotio medicorum ex Ariſtide, & Caſſiodoro adferemus. Sed praeter ſacerdotium, alios quoque in ſuis urbibus honores obibant inſigniores medici. Vnde Epheſii in inſcriptione inedita collaudant Aſclepiadis filium: ΠΙΣΙΣΚΟΝ. ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΑΡΧΙΑΤΡΟΝ. ΔΙΑ. ΓΕΝΟΥΣ. ΝΕΟΠΟΙΟΝ – ΒΟΥΛΕΥΤΗΝ. κ. τ. λ.

(a) Et haec quoque, aeque ac ſacerdotium Aeſculapii, eminuit apud Smyrnaeos dignitas. Vnde in Smirnenſi marmore inſcriptum eſt honoris ergo: ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΑΤΡΟΙ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Evemeri medici Smyrnaeorum*, pro quo ΙΕΡΟΥ, *ſacri*, inter Oxonienſia marmora, p. 301., & Sponii Miſcell. pag. 351. mendoſe legitur. Vid. Memoriam Coſtonianam pag. 150. De medicis vero urbium, & archiatris, ad dignitatem iſtam a loci ordine promovendis, conſulatur Cod. Iuſtin. tit. *De profeſſoribus*, *&* *medicis*.

(b) Smyrnaei Aeſculapium ſuum rerum omnium potentem ſomniantes *Iovis* titulo inſignivere. Ἀσκληπιȣ̃ δυνάμεις μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ, μᾶλλον δὲ ἅπασαι – καὶ Διὸς Ἀσκληπιȣ̃ ναὸν ȣ̓κ ἄλλως οἱ τῇδε ἱδρύσαντο, *Aeſculapii virtutes & magnae, & multae, magis autem omnes – & Iovis Aeſculapii templum non aliter heic collocarunt*. Ariſtides Hymno ad Aeſculapium, & ſaepius in Orationibus ſacris. Parem, & Serapides potentiam plerique crediderunt, teſte Tacito, lib. 4. cap. 84. Vnde exſtat in Gaza Medicea nummus ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ, *Iuppiter Serapis*, inſcriptus. Smyrnaeis vicini Colophonii tutelarem ſuum Apollinem in adverſa nummi area, & in averſa Iovem quoque Aeſculapium (ut paullo ſupra obſervavimus) adjecto ſacerdotis nomine, percuſſerunt. Cujus generis eſſe nummum iſtum licet conjicere, qui inter eos ex Fulvii Vrſini bibliotheca publicatos, Pythei nomine inſcribitur. Erraſſe igitur in nummi illius explicatione videtur Faber, qui ſedentem imaginem ipſius eſſe *Pythei* exiſtimet; quem & poetam Colophonium fuiſſe ſtatuit. Neque minus, opinor, fallitur, quum figuram in adverſa nummi parte lyram tenentem, non Apollinem, ſed *Muſam* eſſe cenſeat. Ceterum quum alter nummus in Galliae regis theſauro (ut refert Gronovius) voces habeat inſcriptas: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΥΘΕΟΣ, *Smyrnaeorum Pytheus*. Pytheus hic utriuſque civitatis ſacerdotio cumulatus, nec male forſan ad noſtram etiam Smyrnenſium medicorum claſſem referri poſſe credatur. Etenim non inuſitatum fuiſſe pluribus civitatibus inſignes viros adſcribi, inter alia ejus rei documenta tres *Attali ſophiſtae* nummi oſtendunt, in quibus inſcriptio illa legitur: ΑΤΤΑΛΟΣ ΤΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. *Attalus Sophiſta Patriis Smyrnae, Laodiceae*. Vid. illuſtriſs. Spanhem. de Veſta, &c. apud Seguin. p. 341. De *Pytheo* autem conſulere licet Gronov. Theſ. Ant. Gr. vol. III. plag. dddd.

Sedere Iovi proprium, ideoque & Iovi Aeſculapio, ut in noſtro, & Neapolitanorum nummo. Tab. III. n. 14. ſtantem autem Aeſculapium Pergameni, aliique multi coluere. At Smyrnaeus Epidauro magis acceſſit, de quo Pauſanias in Corinth. καθῆται ἐπὶ θρόνȣ βακτηρίαν κρατῶν, *ſedes in throno ſcipionem tenens*.

(c) Caput ſtrophio revinciri frequentiſſimum in Iove ſedente, ſed neque rarum erat in aliis quoque Numinibus ornamentum. Vid. ſupra not. (n)

(d) Is fuit Aeſculapii habitus, luculenter illud teſtante Tertulliano, De pallio cap. 4. *Ipſum hoc pallium moroſius*, inquit, *compoſitum*, *& crepidae Graecarum Aeſculapio adulantur*.

ſmilam, hoc eſt, gladiolum chirurgicum, manu *ſiniſtra habentis* (*a*), *dextram* vero *labia verſus admoventis*, eoque arcana ſcientiae medicae (*b*), & juratum ab ejus candidatis ſilentium ſignificantis (*c*), Eminet *a dextro latere baculi protenſi apex* (*d*), & *ante pectus aſtrum* (*e*).

2 NVMMVS aereus moduli tertii. In adverſa area *Caput turritum Matris Deorum Sipylenae* (*f*), tutelaris Smyrnaeo-

(a) Οδ' ἐγχειρίδιον ἔχει ὑπὸ μάλης, *hic pugionem habet ſub ala*, de Aeſculapio inquit Ariſtides, orat. ſacr. 4. Ἐγχειρίδιον autem hoc *ſmilam* voco, auctore eodem Ariſtide, cui apparuit Serapis, compar Aeſculapio Numen, σμίλην τιν' ἔχων, ὥσπερ κάθηται ἐν τῷ σχήματι, *Smilam aliquam habens*, *ſicut ſedet*, *in figura*. Eſt vero *ſmila* ſive *ſmilium*, gladiolus ἰατρικὸς γαστρώδης, *medicinalis*, *ventrioſus*, quem & στηθοειδῆ, *pectoroſum*, vocat Hippocrates; & ὀξυβελεῖ, *acutam cuſpidem habenti*, ſive τῷ φλεβοτόμῳ, *venam ſecanti*, opponit libro de Morbis ſecundo. Vide Galeni Expoſit. Hippocraticarum λέξεων, *Dictionum*, in voce Μαχαιρίδι στηθοειδεῖ. Latum hujuſmodi gladiolum medici Herophilei, & Eraſiſtratei in manu Aeſculapii ſacravere, eo potiſſimum indicio tamquam anatomices eum inventorem recolentes, & infirmorum per ſectiones ſanatorem. Tertiam enim in Aeſculapio potentiam Pindarus hoc modo cecinit: Τοὺς δὲ τομαῖς ἔστησεν ὀρθούς, *ſectionibus autem ſtatuit rectos*. Pyth. 3. Atque ob hanc cauſſam DEO AESCVLAPIO ENCHIRIDIVM ARGENT. dedicatum cernimus Inſcript. Gruter. LXX. 8.

(b) Arcana ſuae ſcientiae habuere medicinae filii, iiſdemque ſacro ſub ſilentio initiabantur. Pergami praecipue ſub tutela Aeſculapii Aſiatici, quem eo nomine Μυσταγωγὸν, *myſteriorum cuſtodem*, appellat Ariſtides, mirumque in modum extollit jus illud, εἰς Ἀσκληπιοῦ τε συμφοιτῆσαι, καὶ τελεσθῆναι τὰ πρῶτα ἱερῶν ὑπὸ τῷ καλλίστῳ καὶ τελεωτάτῳ δᾳδοῦχῳ καὶ μυσταγωγῷ, *In Aeſculapiiq. templum ventitaſſe*, *& peregiſſe prima ſacra ſub pulcherrimo & perfectiſſimo facem tenente*, *myſteriorum cuſtode*. Orat. De concordia urbium.

(c) Inſtitutum olim ab Hippocrate jusjurandum, ἃ δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, σιγήσομαι, *quae autem in famulatu video*, *vel audiam*, *tacebo*, ad ſera uſque tempora perduravit. Ita enim in Epiſtola ſecunda ad Nepotianum Hieronymus: *Hippocrates adjurat diſcipulos*, *antequam doceat*; *& in verba ſua jurare compellit*; *& extorquet ſacramento ſilentium*. Caſſiodorus quoque in formula comitis archiatrorum, lib. 6. cap. XIX. *In ipſis hujus artis initiis quaedam ſacerdotii genere ſacramenta nos conſecrant*. Haec igitur ſacramenta, digito ad os admoto, cultoribus ſuis innuit Aeſculapius, quod & apud Aegyptios fecit Harpocrates, apud Latinos Dea Angerona.

(d) Baculus iſte, quamquam ſolito aliquanto longior, proprium tamen eſt geſtamen Aeſculapii, ut in antiquis apud Choulium, & Chauſſeum ſimulacris. Quod vero ſerpente deſtituatur, id habet cum ſimulacro Dei Epidauri commune. Contra autem, ut baculus ſine ſerpente, ita ſerpens ſine baculo Aeſculapio nonnumquam adjungitur. Vid. Tab. III. n. 16. Quod & Deae Salutis fuit inſigne diverſimode depictum, Ibid. n. 11. 13. 19. & Tab. II. n. 4.

(e) Hujuſmodi aſtro ſolem non improprie deſignari demonſtrant Elagabali nummi, & ſacra Mithrae monumenta; ad ſolem vero Aeſculapium, i. e. ἰατρικὴν δύναμιν, *medicinalem vim*, referri notum eſt in Gentilium theologia. Sic igitur Proclus in Timaeum, lib. 1. pag. 49. Ἀσκληπιὸν ἐν ἡλίῳ θετέον, *Aeſculapium in ſole ponendum*. Fuerunt etiam, qui Aeſculapium pro ipſo ſolis numine habuerunt. Vnde quaerit non immerito Euſebius, Praep. Evang. lib. 3. cap. II. Πῶς δὲ ἥλιος ὤν (Ἀσκληπιὸς) καὶ αὐτοῦ τοῦ ἡλίου υἱὸς πάλιν ἀποφανθείη, *quodammodo autem ſol exſtans* (*Aeſculapius*) *& ipſius ſolis filius rurſus oſtenſus eſt*. Vide gemmam huc ſpectantem, in qua imago Aeſculapii, hinc lunula aſtro, ſolis ſymbolo, delineatur apud Beger. Theſ. Brand. vol. 1. pag. 17.

(f) Eam urbs utraque juravit in Smyrnaeorum, & Magnetum foedere, v. 60, 61, 71. ΟΜΝΥΩ ΔΙΑ ΓΗΝ — ΚΑΙ ΔΗΜΗΤΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. h. e. *Iuro Iovem*, *Tellurem*, *& Matrem Sipylenam*. Vbi in Marm. Oxon. male vertitur: *Iuro per terram* &c. Quibus verbis etiam deceptus videtur illuſtriſs. Spanhemius, quum ea adducit, ut civitates iſtas per *Terram ante alios Deos*, *Deaſque* juraſſe oſtendat. De Veſta, & Prytanibus Graec. ap. Seguin. p. 362. Nam διὰ praepoſitio in jurando genitivo caſus adjungitur,

naeorum Numinis (*a*).

In averſa : ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ, *Smyrnaeorum Xeuxis*. Idem ille, qui in priore nummo *Zeuxis*; hic quoque ut Deae *Iſidis*, ſanitatis praeſidiis, ſacerdos, idque ob pompam Iſiacam cum laudis Aeſculapicis conjunctam. Conſpicitur enim in eadem area *ſimulacrum Reginae Iſidis* (*b*), ſocium cum Magna Matre honorem (*c*), eamdem ac Aeſculapius potentiam, (*d*) & celebrem in urbe Smyrna cultum ſortitae (*e*). *Stat illa habitu ſtolata, caput calatho ornata* (*f*), *dextra manu ſceptrum attollens, laeva cippo innixa, eademque victoriolam alatam ſuſtinens, quae & ipſi coronam porrigit*, talem ſcilicet Reginam Iſidem recognoſcens, qualis in inſcriptioribus celebratur, i. e. DOMINAM VICTRICEM, & TRIVMPHALEM. Grut. LXXXIII. 14. LXXXIV., 2. *Adſtat ad pedem cippi avis*, manifeſtius in aliis nummis conſitur, ut apud Demoſth. *διὰ πυρὸς ὀμνύειν*, *per ignem jurare*. Templum ejus nobiliſſimum, *Μητρῶον*, *maternum*, Smyrnaeis dictum, Ariſtidi vero *ναῶν ὁ κάλλιςος* — *τῆς εἰληχυίας θεῦ τὴν πόλιν*, *templorum pulcherrimum* — *ſortitae Dei civitatem*, ſitum erat in plano urbis prope portum, & gymnaſium, templumque in eo Iovis Aeſculapii. Vid. eum Orat. Smyrn. politic. & De concord. urb.

(a) Hoc eſt, quod voluit Ariſtides in praenotatis iſtis: *τῆς εἰληχυίας θεῦ τὴν πόλιν*, *ſortitae Dei civitatem*. Vnde etiam inter Deos, quos S. C. & conſtitutionibus principum haeredes inſtitui conceſſum fuit, enumerari invenimus, *Apollinem Didymaeum*, *Dianam Epheſiam*, *Matrem Deorum Sipylenſem*, *quae Smyrnae colitur*. Ex corp. Vlp. tit.22, §.6.

(b) Quo jure poſt Oſirin, & quanta cum laude regnaverit Iſis, docet Diodorus lib. I. Hic igitur regiam ejus dignitatem oſtentat ſceptrum, manu dextra elevatum. Ejus numen unicum (teſte ſe ipſa apud Appuleium, Aſ. aur. lib.XI.) *multiformi ſpecie*, *ritu vario*, *nomine multijugo totus venerabatur orbis*. At *Aethiopes*, *Ariique*, *priſcaque doctrina pollentes Aegyptii appellabant vero nomine Reginam Iſidem*.

(c) Multa hoc teſtantur antiquorum monumenta, praecipue in inſcriptione Gruteriana XXVII. 2. MATRI DEVM ET ISIDI commune fanum. Porro unum utriuſque numen, ſociatis in eodem ſimulacro ſymbolis, colebatur Romae, in Circo maximo, inſigne capite turrito, leonem in ſublimi agitans, & ſiſtrum manu attollens. Vid. numm. Neronis, & Trajani apud Onuph. Panvin. De lud. circenſ. l. I. c. 13.

(d) Eumdem quidem ac Aeſculapius honorem habuit Iſis, ſed & antiquiorem. Nam teſte Diodoro lib. I. *Φασὶν Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγίειαν εὑρέτιν γεγονέναι* — *διὸ καὶ νῦν τυχῦσαν ἀθανασίας ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιςα χαίρειν* — *εὑρεῖν δὲ αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον* — *τὸν δὲ Ὧρον μεθερμηνευόμενον φασὶν Ἀπόλλωνα ὑπάρχειν, καὶ τήν τε ἰατρικὴν, καὶ μαντικὴν ὑπὸ τῆς μητρὸς Ἴσιδος διδαχθέντα, διὰ τῶν χρησμῶν, καὶ θεραπειῶν εὐεργετεῖν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος* — *τήν τε ἰδίαν ἐπιδεικνυμένην ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ πρὸς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικὸν* — *ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφεύγωσιν*, *ajunt Aegyptii Iſidem & medicamentorum multorum ad ſalutem inventricem natam eſſe* — *propterea & nunc adſecutam immortalitatem in curationibus hominum maxime gaudere* — *inveniſſe autem ipſam & immortalitatis medicamentum* — *Orum autem interpretatum ajunt Apollinem eſſe*, *& medendi*, *& divinandi artem ab matre Iſide doctum*, *per oraculis*, *& medelis benefacere hominum generi* — *propriamque oſtenſam apparitionem*, *& erga orantes homines beneficum* — *quum ad ipſam Deam perfugerit*. Hinc nata Iſidis Salutaris, non minus quam Fructiferae, Theſmophorae religio; templa Iſidis per univerſam Graeciam templis Aeſculapii conjunctiſſima; inſcriptiones Romanae ISIDI SALVTARI; nummi denique (qualis eſt Claudii Gothici Tab. III. 20. cum epigraphe SALVS AVG.) Iſida cum ſymbolis oſtentantes.

(e) Memorat quidem Ariſtides *τῆς Ἴσιδος τῆς ἐν τῇ Σμύρνῃ ἱέρεια*, *Iſidis in urbe Smyrna ſacerdotem*, Orat. ſacra prima. Et in tertia ait: *Ἐτεθύκειν τῇ Ἴσιδι, καὶ τῷ Σαράπιδι ἐν τῷ τῆς Ἴσιδος ἱερῷ, λέγω τῦτο ἐν Σμύρνῃ γενόμενον· ἐξιόντι δὲ μοὶ τὰ προπύλαια προσεφθέγξαντο χῆνες δύο τῶν ἱερῶν·* *Sacra fecerat Iſidi*, *& Serapidi in Iſidis templo*, *dico hoc in urbe Smyrna factum; egreſſo autem mihi veſtibula locuti ſunt anſeres duorum ſacrificiorum*.

(f) Horum utrumque Hygiae noſtrae, & Iſidi ex aequo competit, ut videre eſt in nummis Tab. III. n. 11, 13, 20.

conſimilibus *anſeris* ſpeciem praebens (*a*).

3. Nvmmvs aereus moduli tertio minoris. In adverſa area *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* nummo.

In averſa ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ, *Smyrnaeorum Xeuxis*. Idem ille *Zeuxis* hic etiam, ut Deae *Iſidis* ſacerdos. Adſunt enim in eadem area ſacra illa Iſiaca, ab antiſtitibus in pompa Iſidis attoli, & geſtari ſolita; *palmae* nempe *ramus*, & ex cavo aere *manus ſiniſtra deformata*, *porrecta palmula* (*b*) aequitatis in Iſide Theſmophora, ſive legum praeſide, indicium (*c*).

At ſi quis forte fuerit, qui manuum hanc ſiniſtram ceſtui ſimiliorem putet, & nummum ea ratione ad pugilatum referri malit; id ipſum equidem ab Aeſculapii, & Hygiae myſteriis nullo modo alienum judicamus. Etenim *dormienti cuidam pugili* Smyrnaeo (*d*) *Aeſculapius arcana quaedam pugilatus praemonſtraſſe dicitur*, *quibus ille inſtructus celebrem quemdam adverſarium proſtravit*, palmamque, ut par erat, praemium victoriae retulit. Vid. Ariſtid. in Λαλιᾷ πρὸς Ἀσκληπιόν.

N. II.

HICESIUS.

1. Nvmmvs aereus moduli tertio majoris. In adverſa area: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* nummo.

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ, *Smyrnaeorum Hiceſius*. *Hiceſius ſcholae medicorum Eraſiſtrateae in Smyrna urbe magiſter* fuit, ut e Strabone ſupra oſtendimus (*e*); Plinio *in parvae auctoritatis* habitus, l. XXVII. c. 4. ab Athenaeo quoque ſaepiuſcule (*f*), & Tertulliano De anima c. 25. laudatus; ut ſacerdos Aeſculapii hic inſcriptus. Adeſt enim, ut in primo *Zeuxides* Herophilei nummo, *ſimulacrum Aeſculapii* ſimili plane typo; niſi quod ante ſimulacrum non conſpicitur *aſtrum*, neque exſtat pone humerum *bacillus*; quae non modo in *Zeuxidis*, ſed etiam in *Jatrodori*, & *Athenagorae* nummis comparent. Deſunt autem, ut in hoc *Hiceſii*, ſic in illis quoque *Jaſonis*, *Paſicratis*, *Metrodori*, & *Hermogenis*. At in iis, *Apollophanis*, & *Sarapionis* nomine inſignitis, *bacillus* quidem, ſed non *aſtrum* adſpicitur. Ea nimirum apud veteres fuit diverſitas in ſymbolis eidem Numini attributis. De qua re non nihil ſupra obſervavimus (*g*). At quid ſi dicamus, Herophileos Aeſculapio ſuo aſtrum, ut ſectae indicium, Eraſiſtateos non item adfinxiſſe? Mihi ſane, quantum ex

(a) Anſeres in Iſidis templo, gratior ei victima futurae, paſcebantur. Teſtatur hoc apud illuſtriſs. Spanhemium p. 307. miniſter Iſiacus bene anſeribus oneratus, & Artemidorus, ab eodem adductus in Oneirocriticis, l. 4. c. 85. praeter χῆνας τὰς ἱερὰς, *anſeres ſacros*, Ariſtidis noſtri, jam ſub nota (k) obſervatos.

(b) Ita ſcilicet Appuleius in Aur. aſ. lib. XI. pompam Iſidis percurrens: *Ibat tertius* (Iſidis antiſtes) *attollens palmam auro ſubtiliter foliatam*, *nec non Mercurialem etiam caduceum*. *Quartus aequitatis oſtendebat indicium*, *deformatam manum ſiniſtram*, *porrecta palmula*; *quae genuina pigritia*, *nulla calliditate*, *nulla ſollertia praedita videbatur*, *aequitati magis aptior*, *quam dextera*. Cui quidem plene ſuccinit Macrobius, manus ſiniſtrae myſterium non ſolum ad aequitatis, ſed etiam ad ſalutis officia pertrahens, *quod ad noxam ſit pigrior*, & *ſalutem ea manns promptior largiatur*. Saturnal. lib. 1. cap. XVII.

(c) Pari ratione & nummum aureum, priori noſtro in multis ſimillimum, Smyrnaei Deae Iſidi Theſmophorae percuſſere; hinc matris Simpylenae capite, illinc ſtantis Iſidis figura, & epigraphe ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, *Prytanes*, inſignitum. Quid enim? ad Prytanes ſpectabat juris, & aequitatis adminiſtrationi ſub Iſide legum praeſide proſpicere. Hanc tamen ſtantis Iſidis figuram Seguinus ad *Smyrnam Amazonem*, Spanhemius ad *Veſtam* detorſere. Quod quidem citra omnem doctiſſimorum virorum culpam admiſſum cenſeo; quum nempe eorum nummo non adeſſent certiora illa Deae Iſidis indicia, in manu dextra ſceptrum, ad pedes anſer. Vide Spanhemii de hoc nummo, & de Veſta, &c. Diatriben; Diodorum vero Siculum de Iſide Theſmophora lib. I. 39.

(d) Ἐφ' ἡμῶν inquit Ariſtides, h. e. *e civitate noſtra*, non ut alias, *noſtro tempore*.

(e) Vid. pag. 38.

(f) Occaſione libri ab Hiceſio ſcripti, περὶ ὕλης, h. e. *De alimentorum materia*.

(g) Vid. pag. 43.

ex nummis hactenus inſpectis obſervare potui, vero haud diſſimile videtur. Nihil autem certi de hac re in praeſentia ſtatuo; ſed potius ut conjecturam deliciarum hujuſmodi ſtudioſis propono, dum amplior nummorum copia magis exploratum aliquid, anſamque decernendi praebeat.

2. Nvmmvs aereus moduli tertii (*a*). In adverſa area *Caput turritum Matris Deorum Sipylenae*, ut in ſecundo *Zeuxidis*.

In averſa ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ. *Smyrnaeorum Hiceſius*. Idem ille *Hiceſius* medicus, hic quoque ut ſacerdos *Iſidis*; cum *eadem*, ac in parili nummo Zeuxidiano, *ſtantis Iſidis figura*.

N. III.
APOLLOPHANES.

1. Nvmmvs aereus moduli tertii. In adverſa area *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis*, & *Hiceſii* nummo.

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ ΕΡΟΒΙΤΗΝΟ.. *Smyrnaeorum Apollophanes Herobiteno*.. *Sedet* etiam hic *Aeſculapius*, ut in iis *Zeuxidis*, & *Hiceſii*. *Apollophanes* autem *genere Seleucenſis*, *Antiochi magni medicus fuit*, ut diſcimus a Polybio lib. V. Qui & *eximie regni dilectum fuiſſe* ſcribis, idque non artis tantum cauſſa, ut videtur, ſed etiam ſapientiae & in rebus arduis conſilii prudentis. Etenim quum Antiochus conſultandum amicis propoſuit, ecqua potiſſimum via impreſſio in Syriam eſſe tentanda, rejectis aliorum ſententiis, ac Apollophanis omnibus praelata fuit. Floruit Apollophanes ann. ante Chriſtum CCXX. Cui nummum hunc tribuerem. Quod ut faciam, eo etiam magis adducor, quia *Apollophanes*, *ut ſectator Eraſiſtrati*, a Coelio Aureliano memoratur Acut. morb. l. II. c. 3. *Apollophanem* quoque ut *medicum* laudat Celſus, l. V. c. 18. ut *ſcriptorem* Plinius, l. XXII. c. 21. In voce autem imperfecta ΕΡΟΒΙΤΗΝΟ.. *Herobiteno*.. latet, opinor, patris nomen. Alter fuit *Apllophanes* Arcas, & is quoque Aeſculapii numini addictus, teſte Pauſan. in Corinth. c. 26.

2. Nvmmvs aereus moduli tertii. In adverſa area *Caput turritum Matris Sipylenae*.

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ. *Smyrnaeorum Apollophanes*. *Iſidis ſtantis imago*, ut in ſecundo *Zeuxidis*, & *Hiceſii* nummo.

N. IV.

IATRODORVS. IASON IASONIS.

Qvatvor nummi aerei, quorum tres priores tribus *Zeuxidianis* omnino ſimiles. In averſa parte inſcripti ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΤΡΟΔΩΡΟΣ. *Smirnaeorum Iatrodorus*, adaptato ſcilicet ad medicinae profeſſionem *Iatrodori* nomine.

Idem & in quarto nummos obſervare licet, ſic inſcriptio: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΣΟΝ ΙΑΣΟΝΟΣ: hoc eſt, *Iaſon Iaſonis filius*. In eadem enim familia vigebat ut plurimum medicina, filiis, & filiorum filiis a partibus per manus tradita. Quo nomine Aſclepiadarum, h. e. *medicorum gens*, non immerito laudatur ab Ariſtide, ποιησάμενοι nempe τοὺ παῖδας συνεργούς τε καὶ διαδόχυς τῆς σφετέρας ἐπιςήμης — καὶ ἐκ Μαχάονος ἀρξάμενοι, καὶ Ποδαλειρίυ — τὴν τοῦ προγόνυ διασωσάμενοι τέχνην, ὥσπερ ἄλλοτι σύμβολον τοῦ γένυς. *Poſtquam liberos procrearunt, adiutoreſque & ſucceſſores ſuae ſcientiae — & ex Machaone orti & Podalirio — avita arte, tamquam generis aliquo symbolo, conſervata*, Orat. in Aſclepiadas. E noſtris igitur medicis alii ſibi titulum aſſumunt a locis Aeſculapio dicatis, *Tricca* puta, aut *Titana*; alii vero a partibus, medicinae ſtudio celebratis, ut hic *Iaſon Iaſonis*, item *Metrodorus Paſicratis*, de quo mox: ne plures jam commemoremus. Hinc & apud Latinos, teſte Plinio, l. XXIX. c. 1. tum aliae quaedam familiae, tum & *Rubria* medicinae profeſſione erat celebris. Quod & nummus in ea familia teſtatur apud *Vaillant*, exhibens Aeſculapii ab Epidauro ſub draconis forma advectionem (*b*); qualis ab Ovidio in Metam. XV. celebratur, ab Arnobio autem lib. VII. non minore ingenio refutatur. *Iaſonem*, Menecratis Nyſaei

(a) Ex muſeo honoratiſſimi Comitis de *Winchelſea*.
(b) Vid. Tab. III. n. 15.

filium, Poſidonii philoſophi e filia nepotem, diſcipulum, & in ſchola Rhodenſi ſucceſſorem, memorat Suidas in voce Ἰάσων. Quem etiam *vitas illuſtrium virorum*, *philoſophorum ſucceſſiones*, aliaque ſcripſiſſe dicit. Poſidonium autem iſtum, Stoicum, ac Ciceronis praeceptorem Rhodi fuiſſe, in hujus vita tradit Plutarchus. Verumtamen num *Iaſon* ille Menecratis medicinae etiam operam dederit, noſtrique *Iaſonis* pater fuerit, necne, aliis, quibus plus ſit otii, quiſquirendum relinquimus.

N. V.
ATHENAGORAS.

Tres alii ex aere, *Zeuxidianis* pariles, inſcripti: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ. *Smyrnaeorum Athenagoras*: adjecto *ad pedem cippi prope ſtantis Iſidis figuram*, eoque jam planius delineato, *anſere*. Smyrnae enim in templo Iſidis ea avis Deae ſacra paſcebatur; & aegrotans toties Ariſtides, ſanitatis recuperandae ergo, geminos ei anſeres immolabat, ut ſupra oſtendimus p. 57. Quisnam fuerit hic *Athenagoras*, aut quo tempore vixerit, nondum comperimus. Sed quum iidem plane honores, qui *Zeuxidis* & *Iatrodoro*, in tribus ei nummis tribuantur; ut inter Iſidis, & Aeſculapii ſacerdotes, ita quoque in medicorum illum numero habere nullo modo dubitavimus.

N. VI.
SARAPION, PASICRATES, METRODORVS PASICRATIS, HERMOGENES TRICCAE.

Qvatvor alii ejuſdem generis nummi aerei, in quibus idem, ac in prioribus *caput laureatum*, & in area oppoſita *Aeſculapius ſedens* conſpicitur.

1. Primvs inſcribitur: ΣΜΥΡΝΑΙΩ ΣΑΡΑΠΙΩΝ. *Smyrnaeorum Sarapion*. *Sarapion* hic idem eſſe poteſt, qui apud Celſum in proemio *Serapion* appellatur. E ſchola *Eraſiſtrati* illum prima prodiiſſe, ex Coeli Buteliani verbis conjectari licet, qui de *tormento* loquens, eum *ſimilia Eraſiſtrato ordinaſſe* dicit Acut. Morb. l. III. c. 17. Neque his contradicere exiſtimanda ſunt, quae Celſus loco jam dicto tradit: *Serapion primus omnium nihil rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, in uſu, & experimentis eam poſuit* (a). Nihil enim prohibebat, quo minus & Eraſiſtrataeorum, & Herophileorum placitis ἐμπειρικὴ, *empirica*, etiam admiſceretur. Sed & in aliquam multis forte *Serapion* ab Eraſiſtrato diſceſſit; ut ab *Herophilo* magiſter Herophilae ſcholae *Alexander* Φιλαλήθης, *Philalethes*, inde cognominatus.

1. Seqvitvr ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΑΣΥΚΡΑΤΗΣ. *Smyrnaeorum Paſicrates*. *Paſicrates* Menodori Eraſiſtratei frater, ipſe quoque fuit *Eraſiſtrateus*; quod demonſtrant duo in eadem nummi area adjecta monogrammata, unum urbis *Smyrnae*, alterum ſcholae *Eraſiſtratae*. Legitur autem apud Athenaeum l. II. c. 18. Μηνόδωρος ὁ Ἐρασιστράτειος Ἱκεσίου φίλος, *Menodorus Eraſiſtrateus Hiceſii amicus*. Et in inſcriptione Ancyrana: ΚΑΠΙΤΩΝΙ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ ΥΙΟΙ ΑΥΤΟΥ. *Capitoni*, *Paſicratis filio*, *Paſicrates*, & *Menodorus filii ejus*. *Paſicratem* etiam *De re chirurgica* auctorem memorat Oribaſius lib. De machinament.

3. Hvic tertius affinis, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ: hoc eſt, *Metrodorus Paſicratis filius*. Vnde innoteſcit in familia Paſicratea profeſſorum ſucceſſio.

4. Agmen claudit ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΤΡΙΚΚΑΣ. *Smyrnaeorum Hermogenes Triccas*. *Hermogenes* autem, *Triccae* nomine adſcripto, natalitia ſua in ea urbe notari voluit; ideo forte, quia urbs Tricca non ſolum Aeſculapio ſacra, ſed & eidem natalis fuit. Sic enim oraculum ab ipſo Aeſculapio editum:

Τρίκ-

(a) Haud ignoro ſane, quae ſcribit Galenus Introduct. c. 4. τῆς ἐμπειρικῆς προέστησεν Φιλῖνος Κῶος, ὁ πρῶτος αὐτὴν ἀποτεμνόμενος ἀπὸ τῆς λογικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀφορμὰς λαβὼν παρὰ Ἡροφίλου, οὗ καὶ ἀκουστὴς ἐγένετο — Μετὰ Φιλῖνον ἐγένετο Σεραπίων Ἀλεξανδρεύς. *Empiricae praefuit Philinus Cous, qui primus eam ſeparavit a rationali ſecta, occaſione accepta ab Herophilo, cujus & auditor fuit — Poſt Philinum exſtitit Serapion Alexandrinus*. At Celſo hic, ut multo antiquiori, fides potiori jure debetur.

Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω θεὸς, ὅν πότε μήτηρ
Φοί ὑπευνηθεῖσα κύει σοφίας βασιλῆα,
Ἴδριν ἰητορίης Ἀσκληπίον.

Tricca exſacra venio Deus, quem mater
Cum Phoebo congreſſa in utero geſtat ſapientiae regem.
Peritum medicinae Aeſculapium.

Euſeb. Praep. evang. l. III. c. 14.

Tricca igitur urbs Theſſaliae, & vicina ei *Ithome*, tamquam patria, & ditio Aſclepiadarum, hoc eſt, Aeſculapii filiorum, Podalirii, & Machaonis, ab Homero in Catalogo celebrantur, Il. β. v. 729.

Οἳ δ' εἶχον, Τρίκκην, καί Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε

Qui autem tenebant Triccam, & Ithomen montoſam,
Horum duces erant Aeſculapii duo filii.

Hermogenem autem medicum *Eraſiſtrateum* laudat Galenus. Item *Hermogenis medici*, *Charidemi filii*, meminit inſcriptio lapidis *Sherardiani*, qui Smyrnae prope lacum *Alco bonar* dictum, ubi gymnaſium olim fuerat, & templum Aeſculapii, reperiebatur.

ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΙΗΤΡΕΙ-
ΗΝ ΑΝΑΓΡΑΨΑΣ
ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΕΤΕΣΙΝ
ΚΑΙ ΙΣΑΙΣ ΕΠΙ ΒΥΒΛΟΙΣ
ΣΥΝΕΓΡΑΨΕ ΔΕ ΒΥΒΛΙΑ - ΙΑΤΡΙΚΑ
ΜΕΝ Ο̅Β̅
ΙΣΤΟΡΙΚΑ ΔΕ-ΠΕΡΙ ΖΜΥΡΝΗΣ Α̅Β̅
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΜΗΡΟΥ ΣΟΦΙΑΣ-Α ΚΑΙ
ΠΑΤΡΙΔΟΣ-Α
ΑΣΙΑΣ ΚΤΙΣΕΩΝ - Α̅ Β̅ - ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΤΙΣΕΩΝ - Α̅Β̅ - Γ̅Δ̅ - Ν̅ΗΣΣΩΝ - Α
ΑΣΙΑΣ ΣΤΑΔΙΑΣΜΩΝ - Α - ΚΑΙ ΕΥ-
ΡΩΠΗΣ - Α
ΣΤΡΑΤΗΓΗΜΑΤΩΝ - ΑΒ-

ΠΙΝΑΞ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΔΙΑΔΟΧΗ ΚΑΤΑ ΧΡΟΝΟΥΣ (a)

Noſtrum igitur *Hermogenem* eum eſſe, qui, ut *ſeptuaginta ſeptem librorum auctor*, in hoc lapide celebratur, eo magis veriſimile videtur, quia patrem quoque *Charidemum Eraſiſtrateum* fuiſſe teſtatur Coel. Aurelianus Acut. morb. l. III. c. 15. ubi *Caridemus* ſcribitur.

Alii non pauci in nummis plane paribus pari modo inſcripti reperiuntur, quos aera haec Smyrnae non inhonoratos poſteritati tradunt. Quos autem prae manibus habemus, praeter alios aliis memoratos, aut in eruditorem ſcriniis reconditos, ſunt, qui ſequuntur: *Artemidorus* Sidenſis, quem Coelius Aurelianus, ut *Eraſiſtrati ſectatorem*, haud ſemel commemorat. Etiam *Hippias Artemidori*. Item *Moſchus Moſchi*: & de *Moſchi* quidem *malagmate* apud Celſum legimus l. V. c. 18. *Diogenes* etiam: idem, ut conjicere licet, cujus *purgatorii pituitam ducentis* meminit Aetius Tetrab. 1. Serm. 3. c. 109. Item *Hermocles Pythei*: ejuſdem forſan *Pythei* filius, de quo ſupra mentionem fecimus p. 52. *Apollonius* quoque (*Mus*, ut fas eſt credere) Straboni l. XIV. *Herochileus*, *Heraclidae* condiſcipulus; & ejuſdem ſectae *Demetrius*, ut ſcribit Coel. Aurelianus Acut. Morb. l. III. c. 7. etiam *Charicles*, nomen *medici* apud Galenum. Nec non *Apollodorus*, cujus nominis plures *medici* a Plinio memorantur. Praeterea *Potamon* & *Menecles*, non inſueta Smyrnaeorum nomina, ut in foedere illorum cum Magnetibus videre eſt Marm. Oxon. p. 6. & 17. His accedunt *Ariſtomenes*, *Arridaeus*, *Calliſtratus*, *Conon*, & *Pyrrhus*. Denique tres alii, quorum ſinguli *aſtro* adornantur, *Metrodorus* alter, *Eucles*, & *Leontiſcus*. Horum aliqua fortaſſe nomina veterum medicorum libros excutienti-

(a) Nequis forſan erraret in numero librorum, quos inſcriptio memorat, computando, totam hic Latine converſam ſubjicere viſum eſt.

Hermogenes medicus, Charidemi filius, annos
Vndecies ſeptem, libros totidemque peregit.
Conſcripſit autem libros — medicos quidem — LXXII.
Hiſtoricos vero — de Smyrna — tom. I, II.
De Homeri ſapientia — tom. I. — & de patria — I.
Structurarum Aſiae — tom. I, II — ſtructurarum
Europae — I, II, III, IV — inſularum — I.
Aſiae ſtadiaſmorum — tom. I — & Europae — I.
Stratagematum — tom. I. II.
Tabula Romanorum, & Smyrnaeorum ſucceſſione temporum.

bus occurrent; ceteris ſilentio praeteritis, quia nullo nobili invento apud ſuos claruere.

Exstinctis denique ſcholis, quae Smyrnae ubi medicos, Aeſculapio ſacerdotes praebuere, ſucceſſit alius rudior multo nummus Aeſculapicus, mutato aliquantulum ſimulacro, nec expreſſo ſacerdotis nomine; quem quidem ad priores illos elucidandos adhiberi curavimus Tab. II. n. 1. 2. Is nobis ante oculos palam videtur ſiſtere ipſiſſimum illum, quem Tertullianus depinxit, Aeſculapium: hoc eſt, cum *pallio moroſius compoſito*, & *crepidis Graecarum*. Caput etiam non jam *ſtrophio*, ut nonnulli ex jam deſcriptis nummis, ſed, ut alii ex iiſdem, quodam quaſi *pileo* obtectum monſtrat. Et *pileatum* quidem *Aeſculapius* jam olim protulit Baldus Angelus Abbatius in opuſculo De vipera, Vrbini edito, ann. 1589. recentius vero clariſſimus Vaillant in coloniae Corinthiorum nummo, valetudinario iſti L. Aelio Caeſari dicato. Hujuſmodi autem ſeu *pilei*, ſeu *coronae* (alterutrum enim uon improprie dixeris) tum nomen ipſum, tum ſimilitudo ad haec uſque tempora pervenit. Κίφος enim Meſſeniaca, i. e. Aſclepiadarum lingua vocabatur, teſte in Laconicis Pauſania cap. ult. Hinc Celticum *coif*, Italicum *cuffia*, Graecum hodiernum κουφία. Et ut pars ejus anterior in laudato Aelii Caeſaris nummo, ita poſterior in Goari Euchologio Graeco pag. 157. conſpicienda exſtat. Hanc ſimulacri mutationem, aliorumque in Aeſculapii templo innovationem non obſcure innuit Ariſtides; ſtudioſus ejus, ſi quis alius, & devotus cultor: 'Εδόκουν, inquit, ἐν προπυλαίοις εἶναι τοῦ 'Ασκληπιοῦ, καὶ προϊόντο λόγου μνήσθῆναι, ὅσα δὴ καὶ περὶ τὸ ἱερὸν τύγχάνοι κεκινημένα — καὶ ὁρῶ ἄγαλμα ἕτερον, ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ κατεφές. *Videbar in porticu eſſe Aeſculapii, & in progreſſo ſermonis meminiſſe, quantus in templo accidiſſet motus — & aliud ſignum loco antiqui poſitum conſpicio*. Orat. ſacr. prim.

Haec, ni fallor, in praeſentia ſufficient ad hos nummos medicis vindicandos. Si quis autem objiciat, jus illud nomen ſuum in nummis inſcribendi, ut ſacerdotes potius, quam medicos eos habuiſſe: ut is ſecum reputet volumus, tum Iſidem, tum Aeſculapium, divinos ſuos honores medicae arti primum debuiſſe. Itaque quum templis, ſacriſque ritibus illos, tamquam numina, Smyrnaei adornaverint, medicoſque potiſſimum ἱερέας, *ſacerdotes*, ſeu potius ἀρχιερέας, *ſummos ſacerdotes* (quibus nummos hujuſmodi percutiendi poteſtas conceſſa videtur) ipſis eligere voluerint, artis cauſſa, quam cum diis iſtis communem habuerunt, decus utrumque in eos collatum fuiſſe merito judicari poteſt Neque enim ſummi ſacerdotii dignitas perpetua, ſed annua tantum fuiſſe videtur. Certe de ſummo *Syriae Deae*, h. e. *Matris Deorum*, ſacerdote id diſertim teſtatur Lucianus. 'Αρχιερεὺς, inquit, ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται, *ſummus ſacerdos alter quoque annos ſupervenit*. Atque hinc, opinor, facile apparebit, quemadmodum omnes medici, quibus nummos adſcripſimus, munus hoc genere potuiſſent; quum ex alterutra ſcholarum, quas memorat Strabo, profecti, fama nominis poſtea quidam ad illud fuiſſent arceſſiti, licet alias forſan longe a Smyrna urbe artem ſuam exercerent.

EX-

EXPOSITIO MECHANICA
VENENORVM,
CONSTANS
ALIQVOT DISSERTATIONIBVS
AD
QVARTAM EDITIONEM
ANNI MDCCXLVII.
EX
ANGLICO IN LATINVM
CONVERTIT.

MONITVM
AD
LECTOREM.

Editus hic liber fuit primum anno 1702, *deinde recuſus eſt anno* 1708, *paucis additis. Non ego tum certe in animo habebam amplius huic libro operae impendere; ſed quum multis annis multi eſſent, qui requirerent eum, id aliquos bibliopolas induxit, ut bis tertiumve, valde mala cum accuratione,* piratico, *ut dicunt, more, me inſcio excuderent. Ergo aequum juſtumve judicavi, publici, meique cauſſa novam proponere editionem.*

Facile credar faſſus, poſt elapſos interim quadraginta annos, elapſos autem non ſine litterarum ſtudio, experientiave, non me valde deperire parvum tractatum medicum, ſcriptum ea aetate, qua experimenta quidem maximam partem petenda ab aliis ſunt, ad ratiocinia autem hinc deducenda opus eſſet majore, quam ſaepe eſt, patientia in cogitando, & judicio maturiore. Atque ſine dubio, exque his cauſſis maxima illa fuit aequitas eruditorum, qua adeo benevole exceperunt hunc librum.

Gratias autem pro hac benevolentia relaturus operam impendi iterato conſiderando argumento meo. Praeter complura alia, quae meliora feci, obſervationes aliquas ex theoria mea deduxi utiles, ut mihi videtur, practicis. Neque veritus ſum, ut res tulit, caedere vineta mea, *reſcindere, aut mutare quaecumque non bene a me dicta judicabam.* Dies diem docet. *Illud cogitabam, tum maxime amabilem eſſe veritatem, quum penes eum conſpicitur, qui ipſe ſuum fatetur errorem, omneſque conſentiunt, primum noſtrae artis parentem* Hippocratem *ſapientem, magnumque animum ita iſtius erroris, quod calvariae* fracturam *pro* ſutura (*a*) *habuit, confeſſione demonſtraſſe, ut numquam magis, maximeque memoratu digna juſteque dicta ſunt, quae honorifice eam ob rem de* Hippocrate *dixit* Celſus: (*b*) More ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam laevia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt:

dem,

(a) *Epidem. Lib. V.* §. 14.
(b) *Medicin. Libr. VIII, c.* 4.

magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio? praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur.

Mihi etiam ſupereſt quo excuſet. Eae ideae, quas retracto, maxime attinent fluidum nerveum, ejuſque quantitates, nova autem mea ratiocinia nituntur experimentis electricis, & de vi attractrice, applicatis ad hoc fluidum, quae tum, quum ſcriberem, non dum erant nota. Non dum tum colluſtratus erat eruditus orbis utilibus Iſ. Newtoni quaeſtionibus, & hypotheſibus, *ſtupendis de electricitate experimentis* Stephani Gray (*a*) *auctis etiam a Dn.* du Fray (*b*) Pariſiis.

Duorum praecipue, quae addidi, facienda eſt mentio: primoque Introductionis. *Quum obſervaſſem, actionem venenorum, etſi diverſiſſima eorum genera ſint, in univerſum eſſe uniformem, atque primum affici ſpiritus animales; credidi bene me facturum, quoniam iſta opinio paradoxa videri forte poſſet, praemittendo quaeſtionem de natura hujus fluidi, quod nimis ignotum eſſe fatendum eſt. De quibus rebus, adeo abſtruſis & difficilibus, quae dicturus ſum, ſi conjecturae magis, quam demonſtrationi ſimilia videbuntur, concedent ſpero aequi, eſſe aliquid*

Quodam prodire tenus, ſi non datur ultra. (*c*)

Quicumque audebit judicare de ſpeculationibus ita delicatis, eum aequum eſt totam una quaeſtionem quaſi in ſchemate contemplari. Semper veritas cum aliis connexa unum efficit ſchema, atque ſe mutuo non ſolum illuſtrant, ſed & confirmant juſta ratiocinia.

Alterum quod addidi eſt " *Anatomica deſcriptio earum viperae, &* " *ſerpentis caudiſoni partium, quae pertinent ad eorum venenum,* " *adornata a magno noſtro anatomico Cl.* Nicholls, *doctiſſimo, & ingenioſiſſimo viro. Obſervanti* Areskini *de* Vipera anatomicas obſervationes, *additas priori editioni, neque ſatis eſſe plenas, neque ſatis ubique veras, placuit dare novam anatomen tutius capitis non ſolum viperae vulgaris, ſed & majoris iſtius ſpeciei, ſerpentis caudiſoni: ut quas partes difficilius eſſet perſpicere in minore, eae apparerent diſtinctiores in animale majore. Quam haec perſecutus ſit accurate, ut penitus omnem mechaniſmum, officiaque diverſorum organorum explicuerit, animadvertet, qui has deſcriptiones comparabit cum optimis earum, quas adhuc anatomici alii dederunt.*

PRAEFA-

(a) *Vid. Philoſ. Tranſ.*
(b) *Vid. Memoires de l'Academie*, 1733. 1734. 1737.
(c) *Horat. Epiſt. I. v.* 32.

PRAEFATIO
AD
EDITIONEM PRIMAM.

NEque eſt facile enarrare exacte, & ſingulatim omnia perſequendo, naturam, & modum, quo agunt *venena*; neque admodum difficile diſputare de iis clarius, quam quiſquam hucdum alius auctor. Non magno conatu opus eſt demonſtraturo, effectus venenorum deberi majori alicui cauſſae, quam iſtae ſunt ſolae caloris, frigoriſque qualitates, atque mechaniſmi veſtigia detecturo in ſtupendis iſtis *phaenomenis*, quae ſolent occulto alicui ignotoque principio tribui. Sed indagare a ſuis initiis eas vias, quibus pedetentim ad ea devenitur, quae in ſenſus incurrunt, extricando ſymptomata, perſequi uſque ad ſuas primas vias, id quidem cum labore etiam artem poſtulat, tum ob exquiſitam ſubtilitatem, mirabilemque compagem machinae animalis, in qua iſta perpetrantur, tum ob minutiem horum corporum, quibus vis eſt tam potenter, velociterque corpus immutans.

Aliquid ſimile auſus ſum his tenuaminibus, non ex methodi lege perpolitos tractatus promittens, ſed tantum breves aliquas in hiſtoria naturali conjecturas, rudes ratiociniorum lineas, quae conjuncta, decenterque correcta, auctaque poſſint forte uſui eſſe daturo ſpecimen doctrinae de venenis, melius quam hucdum prodiit.

Primas hujus ſcriptionis lineas duxi aliquot retro annis, experimentis memet ipſe delectans, ſicubi erat otium, in viperis, aliiſque venenatis animalibus, interdum texturam examinans arſenici, mercurii ſublimati, ſimiliumque malignorum corporum; evolvens, quae de his rebus ſigillatim dixiſſent auctores, & ut erant quaeque obvia adnotans.

His continuatis inquiſitionibus, efficiebantur tandem tres quatuorve breves diſputationes; quas quum coepiſſem in ordinem redigere, aucta negotia decurtabant intervalla otii mei: atque, ut ſolent intercalata haec ſtudia cito locum facere ſeverae aliorum laborum neceſſitati, illa omnia plane ſepoſui. Denique ſermones nuper cum Cl. *Areskinio* de Vipera miſcens, hanc arripui occaſionem diſperſas meas ſchedas reviſendi, & novis experimentis ratiocinia mea confirmandi: *Areskinius* paratus obtu-

lit ſuas *anatomicas obſervationes*. Has in fine primi *tentaminis* poſui, exhibentes non totius animalis ſectionem integram, ſed potiſſimum oſtendentes ſtructuram earum partium, quibus cum veneno negotium eſt.

Cogitanti his de rebus ſcopus erat experiri, quatenus poſſent continuari mechanica ratiocinia in explicando ſtupendas illas in corpore animato mutationes, quarum cauſſae venena ſunt; recte, ni fallor, argumentatus: ſi haec abſtruſiſſima *phaenomena* poſsent cognitis motus legibus ſubiici, poſse pro certo haberi, iſta alia in iiſdem machinis magis obvia deberi cauſſis penetrandis geometrico ratiocinio; adeoque, quemadmodum ad tollendum morbum primus acceſsus datur per cognitionem originis, ita par eſse, ut ille ſit optimus medicus, qui cum adminiculis, quae aliis ſunt communia, obſervationibus, hiſtoriis, etiam optime intelligat *oeconomiam humanam*, fabricam partium, fluidorum motus, atque quae haec alterandi alienis corporibus vires ſint.

Neque id dubium videri poteſt cogitanti, non irregularem maſsam, confuſamque atomorum congeriem eſse *compagem* animalem, ſed inventum infinitae ſapientiae, opus artificioſiſſimum Entis creantis, cui placuit ex ſtabilitis legibus omnia facere, in harmonia, & proportione poſitam eſse pulchritudinem omnium ipſius operum.

Optabile igitur eſset, ut quod maxime, ut ii viri, qui abhorrent a ſtudiis mathematicis, hoc eſt, a demonſtrationis vi, a veritate admittenda ad medicinam practicam, inſtructi demum eſsent diſciplinarum maxime neceſsariis, quae illos facere aptos poſsent ad recte judicandum, quatenus ſpes ſit hac via progredi licere. Ceſsarent forte criminando, tentamina tanti ad ſalutem generis humani momenti vana eſse, & impoſſibilia, quia difficilia ſunt, diligentiam poſtulant laboreſque.

Omnes reliquas methodos proferendi medicae ſcientiae fines, ſucceſſu caruiſse inde patet, quod per plus quam bis mille annos eodem loco viſi ſunt ſubſtitiſse. Ex quo autem Mathematici nuper coeperunt ad medicinam animum appellere, multos jam incipientes videas diſputare etiam de obſcuris rebus dilucide, & facile intelligibilia, ut maxima ſpes ſit, qui medicae arti deſtinantur, mature, dum ſunt laboris, & aerumnae patientes animi corporaque, initientur ſcientia numerum, & Geometriae, fore brevi, ut nota, qua diſtinguas a circulatore medicum, mathematicae ſint ſcientiae, neque magis ridiculus ſit, qui graeca neſcit latinave, quam qui iſto neceſſario requiſito caret.

Quod animalem oeconomiam attinet, quantum licuit, fiſus ſum operibus *Bellini*, quae magnam incenderunt facem obſcuris medicae artis

angu-

angulis, docueruntque argumentationibus potius operam dare claris, & in quibus ipſe ſibi quiſque conſtet, quam verbis non intelligibilibus precariiſque hypoteſibus ſemetipſum fallere. *Pitcarnii*, decoris in *Scotia* artis ſuae, diſsertationes manifeſto ſunt argumento, quantum ratiociniorum mechanicum illud genus commodi ſecum ferat: neque ad id negandum ſatis valeret ipſa ſola malitia hominum, niſi quod foedere nexa eſt inſcitiae, quae quidem tutiſſimos praeſtat, ne vel utiliſſimae quaevis demonſtrationes uſui illis eſſe poſſit.

Interdum coactum me vidi digredi ab argumento meae ſcriptionis, explicaturum quaedam, quae videbantur ſcitu neceſſaria, neque ab aliis explicata. Sane nimis parvus eſt numerus *datorum*, quorum in argumentatione his in rebus uſus eſse poſſit, *Cheynaeus*, auctor *Novae Febrium Theoriae*, enumeravit per partes, quibus in locis augmento adhuc indigeat theoria medica. Hi defectus ſi eſſent ſuppleti, liceret forte progredi inquirendo in naturam humanam, & demonſtrare omnibus utiliſſimam artium, recte ſi excolatur, amplius aliquid in receſſu habere, quam meras conjecturas, maius aliquid eſſe, quam humilis empiria.

Auctores, qui de venenis ſcripſerunt, eos tantum cito, qui experimenta ſuppeditarunt. Pauca ſunt originalia, neque grandia ſaepe de his rebus volumina multum continent praeter collectos vulgi errores.

Fuit, quum animus mihi eſſet pergendi inquirendo, in id praeſertim, cujus obiter mentionem feci in *tentamine* ultimo de contagio in morbis acutis, in naturam contagii, & morborum hereditariorum. Sed ſcribendi me defecit amor; atque mihi dicet aliquis, bonum id factum, neque enim ſum neſcius, quam parum veroſimile ſit me placiturum. Difficile eſt recte cogitare, recte ſcribere; difficilius, ut nobiſcum idem *ſentiant* alios adducere. Non me male habebit, ſi quibuſdam materiam praebuero mihi irridendi, in me invehendi: non iſtuc opus eſt eo ingenio, quo eſt ad detegendas utiles veritates. Mathematicis ſcientiis qui non ſunt imbuti, alieni ſunt judices, qui ſtatuant, quid attulerim augmenti theoriae, aut praxi medicae, quibus autem conſueta illa ſtudia ſunt, putabunt, ni fallor, non id eſse nihil, diſſerere de difficilibus his talia, quae poſſint intelligi. Neque applauſus capto, neque pertimeſco cenſuras. Quaecumque harum ſchedarum ſors fuerit, exaratae quum ſint primitus in meos ſolos uſus, recreationis mihi genus, decrevi, non me paſſurum eſſe, ut rixis me & contentionibus implicent.

London, 1702.

INTRODVCTIO.

Venena vocantur eae res, quas experientia docuit, aut natura ſua tota; aut qualitatibus ſuis potiſſimis adeo animalium vitae eſſe inimica, ut parva copia ei deſtruendae ſufficiant: ſive noceant per os ſumta, ſive extrinſecus per vulnus corpori communicata.

Multarum venena diſputationum cauſſa fuere Philoſophis in ſyſtema mundi inquirentibus. Alii alienum dixerunt a Creatoris benignitate, quod venena produceret natura: *Paracelſus* autem, & *Helmontius* cum ſuis aſſeclis, chemicis ſuis artibus laudem captantes dicunt, utique eſſe longe alium venenorum ſcopum, quam qui vulgo credatur; eſſe medicamenta optima, quorum utiles, ſed reconditae vires detegendae, & in lucem producendae ſint ſtudio laboreve. (*a*) Argumentum afferunt memorabile dictum Sapientis: (*b*) „ neque mortem fecit Deus, neque delectatur internecione animantis. " Omnes enim res creavit, ut exſiſtentia " ipſis ſua conſtaret; & producta mundi ſalubria ſunt: neque eſt in ipſis venenum " deſtructivum, neque eſt in terra regnum " mortis. "

Minutorum iſtorum Philoſophorum, qui errores in diſpoſitione univerſi vident, nimis ſemper ſuperficiaria eſt ſcientia; noſtrorum autem adeptorum contra illos ratiocinia, ne, ut ſolet ipſis oculorum aciem praeſtringere fornacum fulgor, nimis alta, nimis longe petita videantur, valde vereor. Neque enim beneficentiae univerſali conſentaneum videtur, creare corpora, quorum manifeſtae, & obviae vires nocuae ſint, & deſtructivae, aliae autem forte fuerint ſalutares; ſed extricandae illae artis profunda cura, torturaque ignis.

Res omnis videtur huc redire. Hujuſmodi naturae producta homini quidem ſaepe medicina ſunt, externo internove uſu, atque experientia ratiociniis adjuta docet nos, quomodo ad varios ſcopos praeparanda applicandaque ſint: aliis autem animalibus nonſolum ſunt medicina, ſed alimonia, quae ſuus inſtinctus fert ad haec devoranda; quae deinde animalia ipſa & bonus cibus nobis ſunt, & ſaepe contra morbos remedia. Parva inſecta, quae nobis videntur moleſta, neceſſaria ſunt ad vitam ſalubrium avium, animaliumque aliorum. Caprae, coturniceſque helleboro pingueſcunt, (*c*) ſturni cicuta, (*d*) ſues ſine damno devorant hyoſcyamum; (*e*) quae omnia nos venena dicimus. Poſſent plura ejuſdem generis exempla afferri. Dicetne aliquis, non produci noſtro commodo *viperarum* venenum, quum, ut deinde dicetur, abſque eo non poſſent eas poſſidere vires, quibus contra aliquos pertinaciſſimos morbos efficaciſſimae ſunt?

Plus difficultatis habere quaeſtio de venenis mineralibus videri forte poſſet: ut de arſenico, quod invenimus diffuſum per totum fere minerale regnum. Igitur obſervandum, non hanc eſſe jam perfectam mineram, ſed agilem aliquam materiam, qua natura utitur, parando intra terrae viſcera complura metalla, maximum generi humano uſum praeſtantia. Maxima hoc apparet ex modo, quo creſcunt argentum, cuprum, ſtannum, plumbum; quorum omnium minerae praeter ſulphur commune, multum arſenici in ſe habent; ita ut chemico dicendi genere principium mineralificum dici poſſit. Atque haec ratio obtinere invenietur in omnibus ſimilibus naturae productis.

Paucis, ea eſt mundi fabrica, ut in magnam omnia catenam juncta ſint, omnia ad ſe mutuo relata; ad cujus quidem catenae ſingulas particulas non dum noſtra ſcientia diffunditur, quo autem in ſtudio naturae pergimus magis, magis invenimus obtinere Poetae dictum, (*f*) *bene eſſe quidquid eſt*. At quam haec veritas apparitura foret clarius, cui daretur totum intueri mundi ſyſtema, videre quibus forte vinculis noſter hic orbis connexus eſt aliis ex illis, quos innumerabiles continet immenſum ſpatium, ita, ut par eſt coniicere, ab Ente omnipotente diſpoſitos, ut certus illos ordo, legeſque contineant!

Dicti

(a) Vide I. B. van Helmont Opera, p. 373.
(b) Cap. 1. v. 13. (c) Lucret. L. IV. 645.
(d) Galen. Simpl. Medic. Fac. L. III. c. 18.
(e) Sextus Empiric. Hypoth. Emp. 1. (f) Pope's Eſſay on man, Epiſt. I.

Dicti Solomonei manifeſto hic eſt ſenſus: "Creavit Deus nihil, ut noceret humano generi, ut ſua cuique rei privata natura, eſſet, effecit; quae mundus producit, ſalubria ſunt. Ipſa venena non ad inferendum damnum, ſed bonos in uſus deſtinata ſunt; per totum orbem contra mortem praeſidia diſpoſita ſunt."

Antequam ad ſingula progredior, non alienum credo, venenorum generalem aliquam ideam formare explicando, quomodo agant, quae in corpore humano mutantia, ita ut videmus eſſe, nociva ſint.

Ex ipſis deinde diſputationibus meis patebit, etſi diverſarum venena ſpecierum ſint, tum quae per vulnera, tum quae intrinſecus ſumta nocent; maxime tamen illis in modo convenire, quo, quae efficiunt, faciunt; ipſas internorum venenorum vires exſerere ſe analoge externis.

Animalia venenata, quum aut mordent, aut pungunt, inflicto vulneri immittunt unam pluresve guttas liquidi, quod, poſtquam infecit nerveum fluidum, inflammantur membranae: dein ſequitur tumor, uſque interdum ad ſphacelum partes affectae, qui ad proximas ſerpit.

Corpora venenata deglutita vulnerant nervoſam ventriculi tunicam. Sequitur inflammatio, prouti major minorve veneni vis eſt, membranas contiguas corripiens, interdum, praeſertim ſi de mineralium genere venenum ſit, in perfectam gangraenam deſinens. Mineralium, vegetabiliumque venenorum hoc potiſſimum eſt diſcrimen, quod potentius his illa nocent.

Numquam calamitas, ſive extrinſecus ſit factum vulnus, ſive intrinſecus, circumſcrbitur partis affectae finibus, ſed latius ſerpit, per totum denique corpus diditur.

Id fit ob agilitatem fluidi nervei, cujus parva quaedam pars imputa mos inficit reliquas; ita, qua nervoſum ſyſtema expanditur, diſtrahitur ſpaſmis & convulſionibus, adveliuntque diverſa, pro diverſis officiis partium ſuarum, nervi ſymptomata. In ſtomacho, inteſtiniſque hi ſpaſmi efficiunt cardialgias, vomitus, tormina; in cerebro deliria, ſopores, epilepticos inſultus; in corde arteriarum intermittentem pulſationem, palpitationes, deliquia; in pulmonibus ſpirandi difficultatem cum conſtrictionibus & ſuffocationibus; in hepate ſpaſmodice contracti bilitares ductus bilem in ſanguinem repellunt, icterum effecturam; in renibus ſimiles urinariorum canalium ſollicitationes urinae ſecretionem intercipiunt, immutant ejus ordinem. Paucis, omnis turbatur animalis oeconomia, diverſaque venena diverſis quidem locis effectus ſuos potiores aliquos edunt, eos etiam gradibus pro violentia nocentis corporis diverſos; id tamen ſemper omnia apertum faciunt ſymptomata, primos eſſe ſpiritus animales, qui aegre afficiuntur.

Doculi alio loco (*a*) ex modo, quo peſtilentialibus febribus corripiuntur mortales, ex lipothymiis iſtis, ex vertigine, ex palpitatione cordis, ex artuum tremoribus intelligi, poſſe, etiam in his morbis primum tangi nervoſum fluidum contagio, vero ſine dubio veneno.

Igitur quaerendum nobis eſt de hujus liquidi natura, neque attendi merentur parum mechanici iſtorum hominum ſermones, qui ſibi, nullum tale fluidum in corporibus animatis eſſe, ut muſculi moveantur, ut ſentiamus, a vibrationibus nervearum fibrillarum fieri, iſto ſpirituoſo fluido plane non opus eſſe, fingunt.

Quibus tale ſyſtema placet, non videntur attendere ad ea, quae intra nos fiunt, dum animi repentinis pathematibus corripimur; non ad momentaneas metaſtaſes morborum ex una in aliam partem, quemadmodum liquidi, quod podagram facit; non ad mutationes ſtupendas, momenti interdum tempore factas, ſecretionis iſtorum liquidorum, quibus vita nititur.

Brevis ut ſim, manifeſtum quum ſit, eſſe cerebrum vaſtam glandulam, inſtructumque *apparatu* aptiſſimo ad ſeparandum aliquod de ſanguine liquidum; opus eſt, ut exeretorius ipſi ductus ſit, qui reliquis omnibus glandulis eſt. Ergo in hunc uſum manifeſtum eſt, paratos eſſe nervos, ſemper illos vehere ſubtile ſibi proprium liquidum.

Pergamus. Hoc fluidum, quantum ex effectibus intelligere datur, liquor eſt rarus volatilis, magna vi, & elaſticitate praeditus,

ma-

(a) Vid. Diſcourſe on the Plague.

maximeque probabile eſt, eſſe portionem *univerſalis iſtius elaſticae materiae*, coalitamque cum ſubtilibus ſanguinis partibus in cerebro ſecerni, fibrillis nerveis infundi. Hoc eſt inſtrumentum ſenſus, motuſque muſcularis, haec magna motrix cauſſa ſecretionum, omniumque omnino functionum, quibus oeconomia animalis componitur.

Vniverſalem autem elaſticam materiam dico illud ſubtile, agile, & per univerſum diffuſum corpus, quod magnus noſter Philoſophus *Iſaacus Newtonus* credit eſſe cauſſam refractionis, reflexioniſque radiorum lucis, cujus vibrationibus calorem corporibus lux infundat, quodque omnia facile perreptans corpora, cauſſa ſit plerarumque actionum, quae ipſis in ſe mutuo ſunt.

Videatur, quae hujus divini viri ſententia ſit in optico libro (*a*), ſpeciatim in memorabili ipſius epiſtola ad *Boyleum*, ſcripta ante complures annos. (*b*) In quibus ſcriptionibus quae forma *quaeſtionum* & *hypotheſium* docentur, qui penitius conſiderarit intellexeritque, ei aliquis patebit aditus ad cognitionem abditarum naturae machinationum, iſque ſpero perducetur, ut non malum meum factum putet, quod tentavi ad animatum ex inanimorum mundo eadem principia afferre.

Aequum valde videtur, quum maxime uniformes ſint leges naturae, colligere, eſſe ſpiritus animales tale aliquid, quod dixi; illud enim opinioni alicui favorem demum conciliat intelligentium, ſi vident ſimplicem eſſe, & congruere nato mundi ſyſtemati.

Tale itaque intra nervos fluidum par eſt facillimum mutatu eſſe applicatis aliis corporibus, quorum ultima minuties, magnae fuerint vires: aeque ac videas chemicos multos liquores, quam primum ad ſemet admoventur, in fermentationem rapi, qua ex utroque miſcela efficitur longe alius naturae, quam eſt non mixtorum uniuſcujuſque ſeparata.

Ita ſpiritus nitri admixtus oleo caryophyllorum effervescendo etiam flammam producit. Sane fermentatio nihil eſt, niſi attractio, & repulſio particularum diverſorum corporum, ſatis prope ad ſe mutuo accedentium.

Qui expenderit phaenomena, quae orbi exhibuerunt facta nuperis annis de electricitate experimenta (*c*), conſpexerit, quomodo ſubtiliſſimae electricorum corporum particulae attrahant ſe mutuo repellantve, formare ſibi aliquam poterit ideam maximarum virium, & velocitatis, quae animali huic fluido in agendo ſunt.

Memorabile eſt, magis per animalium corpora, quam inanimata electricitatem communicari. Nempe tranſiens per iſta elaſticum fluidum majorem, quam in altero corporum genere, invenit ejuſdem materiae copiam, quum animalium ſolidae fibrae aptiores recipiendae ſint. Experimentum factum in puero ſuſpenſo funiculis ſericeis, aut cilicinis (*d*) ſtupendum pariter eſt, & utile, ſubiicitque elaſticum hunc ſpiritum ipſi viſui, tactuique. Si nervi, ut *Iſaacus Newtonus* credit, *capillamenta* ſunt tenuia, ſed ſolida, pellucida, uniformia, collecta in faſciculos, poterit nervos, & in illis ſpiritus animales aliquatenus repraeſentare vitreus tubus manu frictus, ejuſque in elaſticum fluidum actio.

Fortaſſe continuata in vivis animalibus experimenta magis aliquando cognitas reddent leges, & actiones impetuoſi hujus corporis, ut vocat *Hippocrates* (*e*) in machinam animalem.

Ita res accedunt lumina rebus. (*f*).

Sufficit praeſenti ſcopo deſcripſiſſe fluidum nerveum; ita, ut oſtenſum ſit maxime agile eſſe, & potens, aptum ideo ad ſubeundas varias mutationes, ducendas ab aliis corpribus, iis maxime, quae pariter efficiuntur ſubtilibus, potentibuſque particulis: cujus generis omnia eſſe venena novimus.

Quum primum haec tentamina ſcriberem, opinio

[a] Qu. 23, 14. [b] Publicata in vita Boylei, quae hujus praefixa eſt Operibus p. 70. quae quidem vita ſeparatim etiam poſtea recuſa eſt.
[c] Philoſoph. Tranſact. No. 366. 417. 422. 423. 426. 436. 639. 444.
[d] Philoſoph. Tranſact. No. 417.
[e] Epidem lib. VI. §. 8. Τὰ ὁρμῶντα σώματα, *irruentia corpora*. (f) Lucret. Lib. I. v. 1110.



Nic. d' Oratij Scul.



Nummi Varij ad Aesculapium, Hygiam, Telesphorum; et Apollinem medicum spectantes.



Familiæ Juniæ *Juliæ Augustæ*

Nic. d' Oraty Sculp:



Nic. d'Oratij Sculp.

opinio mihi erat, poſſe forte effectus venenorum, maxime ab animalibus venenatis, inde, quod ſanguis imbuatur, deduci. Sed conſiderans celeritatem noxae nimiam, quam ut poſſit circulationis via advecta eſſe, (ſerpens enim caudiſonus necavit canem non integro minuti temporis quadrante (*a*)) una ſymptomata plane, quae ab affectis nervis, ad mutandam ſententiam inductus ſum. Nam ſi, ut aeſtimavit Keilius (*b*), ſanguinis celeritas in ramo diviſione quarta decima ab arteria magna diſtante, quinquies millies minor eſt, quam eſt in magna arteria, ubi nullus adhuc ramus diſceſſit; quomodo poſſent cerebrum, cor &c. tam celerem noxam perſentiſcere, niſi advectam per *medium* multo magis velox? quod, niſi animales ſpiritus, nullum eſſe poteſt. Addo obſervationes, quas feci, recte ſi in uſum trahantur, ſuggerere forte poſſe utilia medendo vanis morbis conſilia. Etſi enim aliquorum ex illis morbis, quos nervorum dicimus, ſigillatim paralyticae debilitatis ratio forte dici poſſint irregulares tantum ſpirituum animalium motus, obſtructioneſque; certiſſime tamen multi eorum morborum a malis ipſius ſpirituoſi fluidi qualitatibus originem ducunt. Vt, in exemplo, non poteſt intelligi, quomodo ſtupenda in phreniticis, maniacis, melancholicis phaenomena poſſint produci, quin, pro diverſitate quidem caſuum, immutatus ſit ille agilis liquor, cujus ope a mente corpus regitur. Multi etiam alii caſus ſunt, crediti extraordinarii, neque faciles explicatu, quorum tota fere ſita eſt in animalibus ſpiritibus ratio. Narrabo tantum unam hiſtoriam.

Chirurgus bene meritus & multa expertus in utiliſſimo libro nuper edito, (*c*) obſervavit, interdum in vulneribus ſclopetariis cum membranarum laceratione lata, etſi ſatis bene per aliquot dies procedere aegri res videantur, repente tamen convulſionibus corripi faciem, quae ita figunt maxillas, ut loquelae non reſtet locus, etſi nondum obfuſcatis ſenſibus, atque eum aegrum certiſſime mori. In aperto, ni fallor, ſatis eſt terribilia haec ſymptomata deberi liquido nervoſo depravato per membranarum diſtractiones, quae ſola ſuis viribus depravatio, etiamſi ſanguinis tolerabilis fuerit ſtatus, perniciem arceſſit.

Quumque, ut dictum, videamus in experimentis electricis, quam illius ſubtilis materiae motus, effectuſque ſenſibiliter mutetur ſolo aliorum corporum contactu, certe omnes concedent iſta materia coalita cum ſanguinis parte tenuiſſima, oriturum inde, pro diverſitate ſanguinis, fluidum utique elaſticum vario quidem variis temporibus gradu varie ab externis agentibus cauſſis afficiendum.

Redeo ad venena. Quorum quemadmodum effectus aliquantum mutat diverſus ſtatus liquidi nervei, ita ipſa, etiamſi genere inter ſe convenientia, differunt vi, graduque actionis, nocent variis, & plane, ut videri poſſet, diverſis modis.

Id cogitanti ſtupendae illae hiſtoriae, quae in auctoribus leguntur, de variis mortibus illatis a variorum generum ſerpentibus, maxime *Africae*, non videbuntur plane incredibiles. Bene memini, *Paullum Hermannum*, doctiſſimum virum, multis annis Profeſſorem Botanicae in Lugdunenſi Batavorum Academia, longo tempore in India verſatum affirmare, eſſe diverſis earum regionum locis ſimilia venenata animali illis, quae Africani Hiſtorici deſcribunt; quae necarent maxime diverſis veneni ſui effectibus, ſibique, poſtquam accurate in hanc rem inquiſiviſſet, conſtitiſſe, *Lucani* (*d*) pulchras illas deſcriptiones *viperarum* variarum ſpecierum, a *Catone* in fervidae *Lybiae* deſertis inventarum, non poetica figmenta, ſed naturae eſſe imagines. Servabat in *muſeo* ſuo aliquot tales ſerpentes ſpiritui vini immerſos; ut *Aſpidem*, dictam *Nintipolongha Zeylamica*, cujus morſus letiferum ſoporem facit; *Dipſadem* ſive *Situlam Macaſſaritam* ſiti occidentem non reſtinguenda, atque *Haemorrhoum Macaſſaricum*, cujus inditum corpori venenum mox *haemorrhagiae* ex omnibus poris ſequebantur.

Atque id etiam velim hic monitum, etſi primo venenum adgrediatur ſpiritus nerveos, mox tamen totam ſanguinis maſ-

ſam

(a) Philoſ. Tranſact. No. 399. (b) Vid. Tent. medico-Phyſic. 2.
(c) Ranby, on gun-ſchot wounds, p. 72. (d) Lib. IX.

ſam calamitatem participare, neque, ut putum, quia ſanguini venenum miſcetur, ſed quia ita corrumpitur, ut par eſt, circulo turbato, ſecretionibus interruptis, ſtagnatione impeditis minimis vaſculis, quae omnia a vitiato nerveo fluido fiunt. Neque mirum videri poteſt ita, ut eſt ſanguis, varia miſcela compoſitum liquorem mutationibus quibuſcumque expoſitum eſſe ſolo mutato motu.

Haec generatim de venenis dicta ſunto. Particulatim deſcripti diſputationibus nunc ſequentibus effectus ſingularum ſpecierum, totidem, ut ego quidem credo, argumenta erunt, quibus doctrinae, quam propoſui, veritas oſtendatur.

TENTAMEN I.

DE VIPERA.

Omni tempore celebrem viperam venenum fecit, remotiſſimaeque antiquitati emblema fuit rerum, quae maxime eſſent noxiae, & deſtruendi facultate praeditae. Adeo terribilis videbatur horum animalium natura, ut crederentur immitti, divinae ultionis inſtrumenta, enormium criminum reis mortalibus, qui humanae ſe juſtitiae ſubduxiſſent. Ita *Herodotus* (a) & *Aelianus* (b) memorant colubres ſacros habitos illis ſuperſtitionis quemadmodum eruditionis magiſtris *Aegyptiis*: de una illos praecipue adfirmaſſe miniſtros eſſe voluntatis Deorum, avertere a probis mala, malis hominibus poenam eſſe. Deae etiam *Iſidis* imagini *aſpis* (c) in capite eſt, ſignum ſapientiae ipſius, & potentiae. Inde Graeci Romanique habuerunt, *Minervamque* iiſdem ſymbolis ornarunt, quo cum ornatu ſaepe conſpicitur in antiquis ſtatuis, gemmiſque. *Pauſanius* (d) etiam Arabes obſervavit abſtinere a violandis viperis circa arborem balſamiferam, pro ſacris eas habentes. Hujus ſuperſtitionis ad hunc uſque diem apud iſtos populos veſtigia reſtant: nam *Veſhingius* (e) vidit multos, qui domi ſuae haec animalia alerent, & pro *Geniis* loci colerent. Eadem abſurda opinio in *India Orientali* obtinet. Rex enim *Calecutii* tuguria jubet ſerpentibus ſtrui contra pluvias tutos praeſtantia, morte punit, qui auſus fuerit damnum illis inferre, coeleſtes ſpiritus eſſe credens, quia adeo repente homines interficiant (f). Hujus etiam ſuperſtitionis memorabile exemplum eſt in hiſtoria Sti. Paulli (g), quem, quum in manum ejus aſſilientem viderent viperam, extemplo judicarunt eſſe homicidam, parique facilitate Deum, quum viderent non inflammari manus, nec procidere mortuum in terram, (quorum alterutrum aſſolet poſt hos morſus fieri) in ignem beſtiam decuti: pronum fuit hos homines in eam perſuaſionem induci, valde cognatum ſaltem Diis debere eſſe, qui ita miniſtris irae ipſorum imperaret, tam potentium cauſſarum effectus ſuffluminaret.

Saepe cogitabam, an haec forte cauſſa eſſet, quod non ſolum imagines primorum medicinae parentum, *Hermetis*, *Aeſculapii*, *Hippocratis* &c. appoſita vipera in ſtatuis, & monetis ſuis expreſſit antiquitas; ſed & hac ſub forma coluit: namque eo tempore morbi, maxime vehementiores, peſtes, febres, *&c.* eaque ac haec animalia credebantur mitti nuntii divinarum irarum (h). Igitur qui arte ſua his mederi poſſent, neve progrederentur impedire, credebantur ſingulari, & coeleſti id facere venia, & auxilio, convenienteſque adeo honores ipſis habebantur. Id iſta repraeſentatio tamquam hieroglyphicus character ſignificat, namque ut doctiſſimus *Spanhemius* (i) obſervat, divinae vipera potentiae ſymbolum erat.

Sed ut dicam, quod verum eſt, illud antiquis ſymbolum ſalutis non videtur vipera fuiſſe, ſed innocuus ſerpens ejus generis, de quo *Lucanus* (k) loquitur:

> *Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris*
> *Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones.*

Tumque videtur juſta eſſe ratio hujus conſuetudinis ea, quam *Macrobius* ſuppeditat, ille omnibus ſerpentibus communis mos, quod

(a) Lib. II. cap. 74. (b) De Animalib. lib. XVII. c. 5.
(c) Aſpide cincta comas...... Valer. Flacc. Argonaut. Lib. IV. verſ. 418. Dextra, laevaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita. Aepplejus metam. Lib. II. p. m. 240.
(d) Boeotic. p. m. 303. (e) Notis in Alpin. de Plant. Aegypt. c. 14.
(f) *Purcha's* Pilgrimage, Lib. V. c. 12. (g) Acta Apoſt. Cap. XXVIII.
(h) Cornel. Celſus praefat. in medicin. morbos *ait* ad iram deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam.
(i) Vid. Ezech. Spanhem. de uſu numiſmat. p. m. 125. 126., & 181., & ſq.
(k) Pharſal. lib. IX. verſ. 729.

quod *exuvias* ſive ſuperiorem pellem quotannis deponunt: quem ob morem idonea ſunt emblemata ſanitatis, quae poſt adverſam valetudinem, & morbos recuperata novam vitae periodum ordiri dici meretur, & quaedam aetatis innovatio, poſt excuſſam veluti, ut in iſtis animalibus, ſenectutem. (*a*) Quicquid ſit, id certum eſt, opiniones tales fortes, & ſuperſtitioſas de vipera cum errore etiam hoc, quod paucae eſſent veneno carentes partes, prohibuiſſe veteres, quin ſecando, & experiundo in eorum naturam inquirerent. Hic fons eſt tot de his rebus errorum ad nos uſque per traditionem continuatorum, qui quidem gradatim emendati ſunt, explicataque libris interiorum partium fabrica, qualitates, generatio. Speciatim operam his rebus impenderunt *Redius*, (*b*) *Charas*, (*c*) & *Tyſon* (*d*) in anatome ſerpentis caudiſoni, qui viperae majoris ſpecies eſt, quorum inventis, quae adhuc deſunt, addentur in fine hujus tentaminis.

Symptomata, quae ſequuntur morſum viperae, quum majorum ſuorum dentium aut alterutrum aut ambo in parte aliqua corporis defigit, ſunt dolor acutus in parte vulnerata cum tumore primum rubro, dein livido ſerpente gradatim ad vicinas partes cum maximo languore, pulſu celeri, parvo, interdum intermittente; cum magna ventriculi aerumna, vomitibus bilioſis convulſivis, ſudoribus frigidis, interdum doloribus circa umbilicum; denique mors ipſa ſequitur, niſi cita medela afferatur, aut naturae vires ſufficiant ſuperandis his turbis; atque etiam tum timor inflammatus aliquamdiu perſiſtit, major etiam nonnumquam ſit quam eſſet ab initio, dum reliqua ſymptomatu minuuntur. Saepe ex vulnuſculo ſanies extillat, in vicinia parvae puſtulae effloreſcunt: color totius cutis intra non integram horam fit flavus quaſi ejus, qui ictero laborat.

Hae calamitates, (etſi climatum diverſitas, anni tempeſtas magis minuſve aeſtuoſa, viperae major minorve ira, ipſius majus minuſve volumen, majorem minoremve veneni copiam ſuppeditaturum, vulnus profundius, in parte magis nervoſa aut tendinoſa plus hauſtura venenati liquoris, ſimileſque circumſtantiae vario gradu aut augere poſſint aut deprimere iſtas calamitates) ſolent tamen ubique ſimili fere modo oboriri, niſi forte cum morſu non effuſum eſt illud liquidum, quod verum eſt inſtrumentum, cauſſaque tam violentarum, & horrendarum turbarum.

Antequam progredior ad quaeſtionem de natura, & modo agendi hujus liquoris, non alienum erit obſervaſſe, verum ejus uſum eſſe in officio tanti ad converſationem uniuſcujuſque individui momenti, ut ſine eo ſuſtentari nequeat.

Viperae enim maxime veſcuntur lacertis, ranis, bufonibus, muribus, talpis, ſimilibuſque animalibus, quae non manducant, ſed integra deglutiunt. Ergo jacet praeda in ventriculo, aut ſi is non ſufficiat recipiendae, partim in oeſophago, membranoſo, valde extenſili, donec ſalivalibus loci humoribus, juvantibus fibris ventriculi, contractioneque muſculorum abdominis paullatim in fluidi formam abeunt cibi, apti alendo corpori, quod eſt opus plus quam unius diei. Haec una ratio eſt, cur haec animalia tam diu ſine novo alimento vivunt, quod comperi poſſe per quinque aut ſex menſes; altera eſt, quod ſanguis illis eſt ſpiſſior, viſcidiorque, quam plerorum aliorum animalium, cui quum parum per tranſpirationem decedat, minus habet opus novis ſuppetitiis. Hoc microſcopia monſtrant, ratio docet. Paucae enim ſtomacho vires muſculares ſunt, quibus comminuere cibum, chylum ſubtilem parare poſſit, ſanguinem ergo viſcidum fieri, tenacemque par eſt. Deinde cor viperae uno tantum ventriculo efficitur, ſanguis quemadmodum in ranis aut teſtudine circumit, ut pars ejus non major tertia tranſeat per pulmones, haecque alia ratio eſt, ut minus hic ſanguis ope aeris comminuatur, quam aliorum animalium. Iam hic nutritionis modus neceſſario poſtulat, ut capta momento occidatur praeda, aliter ſi eſſet, nullo modo commode in ventriculum

(a) Ideo ſimulacris eorum (Aeſculapii, & Salutis) junguntur figurae dragonum, quia praeſtant ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant vigorem: ut vireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exuta. Saturnal. L. 1. c. 20.

(b) Oſſervazioni intorno alle vipere. (c) Nouvelles experientes ſur la vipere.

(d) Philoſophical Tranſactions, vol. XII. No. 144.

lum admittenda. Abſonum eſt credere ſubigendae praedae ſuffecturum ventriculum, quem, praeterquam quod etiam debiliſſimae ejus fibrae ſunt, multum certe flexilia animalia viva eludere poſſunt, & quotidianum eſt invenire viventia intra ventriculos aliorum. Hic itaque verſus uſus eſt dentium, venenique, huic deſtinata ſcopo adaptaque ſunt, quibus quidem non mirum eſt viperam, quemadmodum praedam vincit, ita etiam aliis interdum animalibus damnum inferre, ſicubi ad iram commota, aut provocata ad mordendum conſurgit.

Deſcriptio vulnificorum dentium, fabricae, articulationis, motus eorum, & glandularum quae lividum ſeparant liquorem, capſae, quae continet, ſequitur cum anatomicis obſervationibus in fine hujus diſcurſus.

Ipſius humoris venenati exigua copia, & unica eſt juſta gutta, quae iſta omnia perpetrat. Haec penuria fecit, ut contenti auctores experiri morſus variis animalibus infligendos, examinare texturam ipſius liquoris numquam tentarint. Huic ego fini ſaepe viperam commode apprehenſam irritando coegi exſerto dente mordere ſolidum aliquod corpus, & emittere venenum, cujus accurate in vitream laminam collecti microſcopio ſcrutatus ſum partes & compoſitionem.

Primo intuitu nihil detexi, niſi parvas ſalinas particulas velociter in liquore fluctuantes; brevi autem, mutata facie, hae particulae viſae ſunt coiſſe in cryſtallos incredibiliter tenues & acutas, paſſim cum quibusdam quaſi nodis, unde iſtae ſpiculae viderentur oriri; ut ſimilis aliquantum eſſet tota textura telae aranei, niſi quod infinities hanc ſubtilitate vinceret; cumque tanta gracilitate adeo erant hae pellucidae rigidae, ut per complures menſes non mutatae in vitro meo perſiſterent. (*a*)

Variis modis tentavi conficere in quam ſalium claſſem hae cryſtalli eſſent accenſendae, & detegere, quomodo ſanguinem mutarent. Curioſi itaque aliqui amici mei, egoque obſervavimus quae dicam, non ſine difficultate ob parvam liquoris copiam atque experimentorum talium pericula.

Dimidia circiter unica ſanguinis humani immiſſa in virtum calens, in quo quinque ſexve grana erant viperini veneni recens projecti, neque colore immutabatur, neque conſiſtentia, neque tum, neque deinde diſtinguenda ab ejusdem ſanguinis copia in aliud vitrum ſine veneno intuſa.

Hujus etiam ſanguinis portiones miſcuimus aliquoties acidis, & alcalibus, ſemper autem venenati ſanguinis color, & ſpiſſitudo manebat, quae puro.

Spiritus nitri, ſpiritus ſalis, ſuccus limonum in ipſam *ſaniem* aliquoties effuſus, neque fermentationem excitavit, neque colorem mutavit.

Sal tartari per deliquium, atque ſpiritus ſimplex cornu cervi inſtillatus veneno non mutavit colorem, non ebulliit.

Syrupus violarum veneno mixtus neque rubuit, neque viridis factus eſt.

Tinctura *Heliotropii*, id eſt, charta coerulae a *ſanie* adſperſa non mutata fuit: ſanies ipſa ſiccata retinuit flavum.

Diverſi generis animalia, canes, feles, columbas porreximus mordenda irritatae viperare, omnia inde mortua intra brevius alia, alia intra longius tempus. Omnia autem conſtanter obſervavimus ſtatim poſt morſum cum acuti doloris ſignis, teſtimonia edere vitae aerumna, lipothymiis, convulſionibus &c. tentatae.

Abſciſſum magnae viperae caput per tres horas jacuerat planiſſime flaccidum, & motu caſſum. Columba hujus capitis dentibus in pectore vulnerata, extemplo convulſa &c. quemadmodum quae ab ipſis animalibus mordentur, intra ſeptem horas periit.

Curavimus parari acum chalybeam, acutam, curatam, forma ſimilem viperino denti cum ſulco in convexa parte, non longe a mucrone; in hunc indita veneni gutta vulnerevimus naſum canis pulli. Ortae ſunt turbae ſolitae, vomitus, dejectiones &c. ſed minori vehementia, caniſque convaluit. Memorabile eſt parum latraſſe canem, dum vulnus infligebatur, at veneno immiſſo, tum vero ululabat &c. ut qui ictus eſſet ab ipſa vipera. Columba autem eadem acu in thoracis carne puncta, quae ab ipſo morſu fiunt, paſſa eſt, & octo circiter horis mortua.

Haec poſteriora experimenta mente fecimus

(a) Vid. Tab. I. fig. 10.

cimus memores controverſiarum, quae inter ſe fuerunt *Redio Italo*, *Charaſio* Gallo. Ille niſus experimentis his fere, quae dixi, affirmabat in liquore flavo gingivarum ſitam eſſe vim venenatam viperae; *Charaſius* huic contrarius ideam amplexus eſt, primum ab *Helemontio* propoſitam, poſuitque in eo illam vim, quod ſpiritus animales furerent, hunc autem flavum ſuccum innocuam *ſalivam* dixit, cujus dedit argumenta complura experimenta, quae longe alio eventu, quam *Redius*, ipſe feciſſet.

Colligi inde id, ni fallor, poteſt, viperarum quidem *Italicarum*, & *Gallicarum* naturam non multum differre; plurimum autem differre eventum eorumdem experimentorum, portui aut fideliter fiunt, & cum judicio, aut timide, & cavendo, ne amatam forte hypotheſin peſſumdent.

Duverneyus itaque Regiae Academiae ſocius, & praeſens tum *Pariſiis Areskinus* confirmarunt opinionem *Redii*, variis tentaminibus, eodem eventu, idque me poſtea ipſe *Areskinus* docuit.

Denique decrevimus explorationibus noſtris finem imponere, ipſum venenatum ſuccum guſtando. Diluta veneni copia in non magna calidae aquae, aliquot noſtrum auſi ſumus apici linguae aliquantum ejus imponere. Conſenſimus ſaporem eſſe acrem, & igneum, ut ſi lingua fervido aliquo, & urente corpore pertuſa eſſet. Hic ſenſus non delebatur primis duabus tribusve horis, atque unus ex noſtro numero, qui non erat contentus, niſi etiam non dilutam magnam guttam guſtaſſet, parva inflammatione tumentem habuit linguam, ulcuſculumque per binos dies fuit. Male autem neque illi, neque nobis noſtra ceſſit audacia.

Neque autem hinc efficitur, ut ne nocivus hic ſuccus ſit, &, quemadmodum chemici aliqui ſucci cum aliis non niſi determinati generis effervescunt, ita hi etiam venenati ſales unum forte aliquem ſolum humorum corporis noſtri afficiunt, non item reliquos, qui quis ſit, ſtatim oſtendetur. Praeſenti ſcopo ſufficit dixiſſe, ſalina haec ſpicula diſſolvi, & frangi in ore viſcidiore ſalivali humore, atque etiam ſi in ventriculum inde & inteſtina aliquid tranſeat, bilem balſamum futuram, & antidotum ſatis ad ſuperandum malum forte.

Haec in ſanguine, & veneno mixtis experimenta ſatis confirmant ſententiam, quam in Introductione ſtabilivi, nerveum ſolum liquidum a veneno affici; docent etiam iſta noſtrorum Chemicorum manca principia, alcali, & acidum, quam non explicent naturalium corporum actiones: neutrum enim horum ſalium in venenum viperinum aliquid poſſe vidimus.

Antequam pergo, oſtendendum eſt, ipſorum veterum aliquos in tantum quidem naturam hujus veneni ſatis intellexiſſe. *Galeni* compluna in hanc rem loca ſunt, maxime ille libro de *Temperamentis* (*a*) quo " obſervat, nulli rei in corpus humanum " eamdem extrinſecus eſſe vim, quae eſt in" trinſecus, ita, inquit, neque viperae ve" nenum, neque aſpidis, neque rabidi ca" nis ſpumeſcens ſaliva aeque, quum in " cutem incidunt, aut in ipſum ventricu" lum ingeſta ſunt, nocent, quam vulneri " externe immiſſa."

Etiam *Lucanus*, hiſtoricus Poeta, quas inventionis ipſi deeſt vis, compenſans vivacitate & judicio in deſcriptionibus, fortem nobis ſiſtit *Catonem Pompejani* exercitus reliquias *per Africam* ducentem, ſapienter allocutum milites ſiti moribundos, veritos tamen bibere inventi fontis aquas, quas plenas ſerpentibus videbant: (*b*)

Noxia ſerpentum eſt admixto ſanguine peſtis:
Morſu virus habent, & fatum dente minantur:
Pocula morte carent....

Notum etiam illi aetati fuit, virulentum ſuccum in ſimplici vulnere humoribus corporis admixtum, eadem producere mala, quam ſi cum ipſo vulnere venenato intraſſet. Ideo *Celſus* (*c*), qui ſuctu elicitur venenum eſſent, monuit, ne quod in ore ulcus ipſis eſſet viderent, quam quidem cautionem *Severinus*, (*d*) aliique ſpernentes, quin deridentes, oſtenderunt nihil ſe de ſede, & na-

(a) Lib. III. cap. 2. (b) Lucan. Pharſal. lib. IX. v. 914.
(c) Loc. ante cit. (d) Vipera Pythia, p. 361.

& natura veneni intelligere. *Galenus* (*a*) hiſtoriae de Cleopatra mentionem faciens ex aliis auctoribus refert, ipſam ſemet occidiſſe aſpidis *virus* infundentem in vulnus brachii ſuis dentibus factum.

Hinc denique eſt, quod Plinius (*b*) *Scythae* inquit, *ſagittas tingunt viperina ſanie, & humano ſanguine: irremediabile id ſcelus*. Modum, quo id faciunt, copioſe narravit *Ariſtoteles*: atque etiamnum Tartari eodem dolo uti dicuntur. Eidem uſui *Indi* venenum habent lacertae, quam *gecco* vocant. Cauda animal ſuſpendunt, verberantque tamdiu, donec ira concitatum *virus* emittit, cui tela intingunt, atque tali telo factum etiam leve vulnus cita mors ſupervenit. (*c*)

Recentior etiam aliquis auctor in deſcriptione *Capitis bonae ſpei* (*d*) docet modum, quo incolae, *Hottentoti*, dicti feras majores, leones, tigrides, elephantos *&c.* capiunt, hunc eſſe: veneniferas veſicas ex gingivis mortiferi ſerpentium generis, quos *cobras de cappello* vocant *Luſitani*, cum contento liquore apricatione ſiccant, & inter duos lapides in pulverem comminuunt. Ex hoc pulvere cum ejuſdem animalis ſaliva paſta facta fricant mucrones telorum, & ad uſus ſiccanda reponunt.

In Introductione explicui generatim modum in corpus humanum agendi, qui huic venena cum reliquis omnibus de animali genere communis eſt; hoc loco addam rationem effectus huic veneno proprii, pro valde mirabili, & ſtupendo habiti *Icteri*.

Icterum facit ſuffuſa per totam corporis ſuperficiem, quin per internas etiam membranas bilis. *Bilis* eſt naturalis *ſapo*, hoc eſt, miſcela olei, aquae, & ſalis volatilis fixique, in hepate ſecreta. Vt recte iſta ſecretio procedere poſſit, opus eſt quemadmodum in omnibus animalibus ſecretionibus, juſta partium, quibus efficitur, proportione, ſecernentium vaſorum juſta diſpoſitione. Ipſas miſcendas partes immutari tam parvo tempore, ut dixi, credibile non eſt, ſed conſtrictio ſive ſpaſmus nervoſus omnino velociſſime adeo coarctare poteſt orificia ductuum bili permeandorum, ut derivari in illa amplius nequeat, & cum ſanguinea maſſa retenta maneat, cujus perpetuis circuitibus per totum corpus diffunditur.

Talis eſt icterus, qui ſaepe violentos colicos dolores ſequitur, impedito per ſpaſmodicas tractiones membranarum abdominis motu bilis per hepaticos canales: cui ideo ictero copioſum diluens liquidum & anodyna medentur.

Alia autem plane cauſſa eſt icteri vulgatioris, qui hepatis eſt morbus. Hic in ipſa bile cauſſa eſt mali. Nam qui ſolent dicere obſtrui hepar, debebant cogitaſſe, raro vaſa obſtrui, niſi humorum, quos vehunt, vitio; praecedere adeo, exceptis minus frequentibus aliquibus caſibus, bilis depravatum ſtatum, ſequi ductuum obſtructionem: quumque ex variis compoſiti fluidi variae poſſint eſſe mutationes, ita ictero etiam varia ſymptomata interdum inter ſe pugnantia eſſe. Alio tempore & ſine febre *faeces* inteſtinorum durae ſunt & albae cum pertinaci obſtructione: alio *diarrhoea* cum febre & flavo excrementorum colore aegrum debilitat. Prius otioſae ſedentariae vitae ordinario ſequela fit, quia deficiente juſta ſalis copia, oleoſa bilis pars viſcidior facta, & inſpiſſata in ductubus hepatis ſtagnat; alterum debitum lautae vitae potuique ſpirituoſorum liquidorum fit, quia praevalente volatili ſalina parte, tenuis, fervida, acris nimis bilis redditur.

Eſt alius morbus adeo ictero cognatus, etſi aliorſum pertinere credatur, ut conſonum ſit ejus hoc loco mentionem iniicere, *diabetem* dico. Non hic eſt renum morbus, ut vulgo Medici ſtatuunt, ſed hepatis, etiam a vitiata bilis miſcela oriundus. Frequentiſſimus in illis eſt, qui cum non ſatis juſto corporis exercitio indulgent ſibi, vinoſum laticem, & ortam inde ſitim reſtinguunt nimia copia potus refrigerantis.

Hac praepoſtera incaleſcentia & refrigeratione humorum corporis, naturalis proportio ſalis in bile, cujus ope connubium fit, oleoſae partis, & aquae, nunc quum a qua abundat, non ſufficit conſervandae miſcelae: ergo magna aquae copia cum olei tenuiori

(a) De Theriac. ad Piſon. lib. I. c. 8. Vid. etiam c. 10.
(b) Nat. Hiſt. lib. XI. c. 53. (c) Bont. Hiſtor. Ind. lib. V. c. 5.
(d) Petrus Kolbe libro germanice Noribergae edito 1719. p. 532.

nuiori aliqua parte per renes excernetur, perpetuuſque ejus affluxus urinarios canales multum diſtendet, craſſiores autem oleoſae partes in tenuioribus tubulis hepatis relictae aliqua coagulatione duram pinguem ſubſtantiam formant.

Secti ex diabete mortui manifeſtum fecerunt ita rem eſſe. Semper inveni in hepate *ſteatomatoſi* aliquid, iſti non diſſimile viſum materiae, quae ſaepe in ictero confirmatiore per alvum deiicitur, ſed conſiſtentiae, quam haec, durioris.

Quod dulce in urina ſapit, id ex bile eſt, aqua enim bilis ſeparato ſale dulcis eſt. Fel bovillum chemice deſtillatum quatuor quintas partes aquae praebet, (*a*) Hanc obſervavi fragrantem eſſe, moſcho quaſi imbutam. Saepe urina initio icteri violas redolet, atque in *diabete*, imminuto, ut ſolet, quum prope eſt vitae finis, fluxu, aquae amarities fellis eſt: manifeſto indicio ſimilem eſſe originem morbis, qui videri poſſent admodum diſſimiles. Neque poſſum non obſervare curatione diabetis haec mea cogitata confirmari. Curatio enim diabetis ea praecipue eſt, ut proſpiciatur ſanguini de copia fixi ſalis, maxime talis, quod ineſt aquae calcis, atque fonti calidae *Briſtolienſi*, quae revera eſt aqua calcis naturalis. Sed juſtam ſcriptionem requirerent, quae hac de re dici poſſent. Tempus eſt accedendi ad medelam viperini veneni.

Olim in *Africa* gens fuit, *Pſyllos* vocabant, celebris ob medelam morſuum ſerpentum, quibus illa regio magis, quam ulla alia, abundat. (*b*) Horum hominum ipſa natura putabatur ita veneno contraria eſſe, ut ab illis tangendis animalia venenata abhorrerent, hocque ipſis dicitur experimentum fuiſſe explorantibus prolem, an ſua eſſet. Tota res huc redit: curationem efficiebant modo, quem vulgus ſtuperet, applicato vulneri ore exſugendo venenum. *Marſi* in Italia eamdem vim ſibi tribuerunt. Caerimoniae inter rem gerendam additae ſunt, quae religione aegrum implerent, venerabilem medentem facerent: *Celſus* (*c*) autem, Latinorum *Hippocrates*, ſapienter, " neque hercule, inquit, ſcientiam praecipuam habent hi, qui Pſylli nominantur, ſed audaciam ipſo uſu confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli praecipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ergo quisquis exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exſuxerit, & ipſe tutus erit & tutum hominem praeſtabit. " Aliquid in eamdem ſententiam *Ariſtoteles* dixit. " Saliva, inquit, humana inimica eſt morſibus plurimorum ſerpentum. (*d*) Atque *Nicomedes* obſervat, etiam odorem humanae ſalivae ſerpentes fugere. (*e*)

" *Plinius* etiam fortiori dictione, omnibus, inquit, hominibus contra ſerpentes ineſt venenum, feruntque ictum ſalivae, ut ferventis aquae contactum fugere. (*f*)

Merito igitur miror, quod Medicis, qui poterant fidere verbis *Celſi*, qui in univerſum methodos tradidit *Graecorum* Medicorum, & Chirurgorum, non perpetua fuit haec Pſyllorum facilis, aeque ac utilis methodus. Obſtitit ſine dubio perſuaſio non poſſe venenum, quod in vulnere adeo fatale eſſet, ore reſumi ſine noxa, applicatis autem extrinſecus, quae eſſent utilia, ſine periculo eumdem ſcopum obtineri.

Ego autem mereri crediderim hanc methodum, ut reviviſcat, atque memoratu digniſſimus caſus, qui contigit ante tres circiter annos Londini, ſucceſſum felicem confirmat.

Hiſtoriam narro, quemadmodum mihi retulit ingenioſus, & multa expertus Chirurgus, qui ipſe in fine ſpectator rei geſtae fuit. *Serpens caudiſonus* recens ex *Virginia* allatus mordet hominis digitum. Homo extemplo digito in os immiſſo exſugit vulnus. Momento magno volumine tument labium inferius, & lingua: errat in loquendo, & ſenſuum aliquantum uſu privatur: tum magna copia olei, & poſt hoc calidae hauſta egregie vomet. Diſciſſa vivens columba applicatur digito. Bihorio poſt caro circum

vulnus

(a) Vid. Haller. not. in Boerhaav. Inſtitut. medic. §. 99.

(b) Vid. Plin. Hiſt. Nat. lib. VII. c. 2.
Aelian. Hiſt. Animal. lib. I. c. 57. & Lucan. lib. IX. v. 891.

(c) Medicin. lib. V. c. 27. (d) Hiſtor. Animal. lib. VIII. c. 29.

(e) Πολλάκι καὶ βροτέων σιάλων ὑποέτρεσαν ὀδμήν. *Saepe & humanarum ſalivarum horruerunt odorem*. Theriac. v. 86. (f) Loc. citat.

vulnus exſcinditur, locus ferro aduritur, embrocatione calentis olei totum brachium inungitur. Tum vocis, ſenſuumque uſus redit. Poſtero quidem die adhuc tamen brachium applicatis ſolitis mox levatur, neque quidquam aegro reſtitit mali.

Quum hujus ſerpentis venenum citius mortem adferat, quam ullum aliud, quod ſciamus, ſucceſſu non carebit huic inventum remedium, adhibitum veneno minorum viperarum, aliorumque animalium. Reliqua, quae huic noſtro homini applicata fuerunt, vomitu excepto, non potuerunt profuiſſe: nihil columba, nihil ſectio, & aduſtio loci bihorio poſt factum vulnus. Olei in brachium ſtillicidio tumor tantum ſubſidit. Rectum igitur Academici Regii Pariſini de his applicandis judicium, ſimili oblato caſu, tulerunt. Quum narratum in Philoſophicis noſtris Tranſactionibus (*a*) experimentum viderent, quo ſanatus viperae morſus parhibebatur oleo communi vulneri infricto: id diverſis periculis explorarunt, an ita eſſet, denique pronunciarunt, non eſſe oleo vires niſi fovendi forte tumefactas partes (*b*).

Primum itaque eorum, quae a morſu viperae fieri debent, eſt, ut nulla mora aut ipſe vulnus ſugat aeger, quod ore attingere poteſt, aut alius hoc ipſi officium praeſtet. Qui praeſtiturus eſt, faciat ea, quibus impeditur, ne veneni acredo inflammet labia, linguamque, probe ante os eluat calido oleo, ejus dum fugit portionem in ore contineat. Hoc peracto utiliter dabitur, quo vomeat. Doſis rad. *Ipecacuan.* adjuta hauſtu olei, & calidae ſufficiet. Bene quod facit vomitorium, facit nervos concutiendo, & praeveniendo irregulares ſpaſmos, quibus totum alioqui ſyſtema nervoſum poſſet corripi.

Hanc mihi medendi methodum confirmavit ingenioſus aliquis chirurgus, qui diu in *Virginia* vixerat, narrans *Indos* incolas mederi morſui *ſerpentis caudiſoni*, ſugendo vulnus, hauriendo copioſe decoctum *ſerpentariae*, *Sennegar dictae*, *Seneca Rattleſnake Root*, quae vomitum vehementer ciet, & affectae parti applicando eamdem radicem manſam.

Alia extrinſecus applicanda quod attinet, parum mihi videntur effectura, quippe non impeditura, ne non cito venenum nervis miſceatur. Adurere locum ferro nullius momenti eſt. Sal ſiccum in vulnus ſparſum, quod *Celſus* (*c*) commendat, majus aliquid, neque tamen multum promittit. Non lapides ſerpentarii allati ex *India Orientuli*, erepti ex capite, ut ajunt, ſerpentis *cobra de capello* dicti, virtutem poſſident, cui fidi poſſit. Experimentum fecerunt *Redius* (*d*) & *Charas*, (*e*) ipſeque ego. Sane applicati haerent aliquantiſper in vulnere; ſunt enim, ut ex textura apparet, arte non natura facta corpora, compoſita, ut videtur, oſſibus calcinatis, & teſtaceo aliquo corpore inter ſe compactis: ſed quum decidunt, nihil videntur imbibiſſe veneni.

Probabiliora in laudem remedii dici poſſunt, quod noſtris eſt viperarum venatoribus, cui ita fidunt, ut non magis earum morſus, quam ſimplicem punctarum formident, curaturi vulnus ſine mora applicato ſpecifico ſuo.

Hoc, quod quidem pro magno arcano celant, accurate inquireris comperi, nihil aliud eſſe, quam *Axungiam Viperinam*, exemplo vulneri affrictam. Vt ipſe me de ſecundo ſucceſſu convincerem, irritavi viperam, ut morderet naſum parvi canis. Alte utrumque dentem immiſit. Canis ululabat miſere, locuſque coepit tumere. Axungiam, quae parata ad manus erat, diligenter applicui, & bene poſtridie habuit.

Quum autem aliqui experimento praeſentes proni eſſent ad imputandam potius ſanationem canis ſputo, lambebat enim vulnus, quam *pinguedini*; iterato curavimus morderi linguam canis, noſtrum remedium non adhibuimus, atque mori vidimus intra quatuor aut quinque horas. Alio tempore eadem experimenta eodem ſucceſſu repetii.

Quum haec exungia tenacibus, & viſcidis partibus componatur, ſed nihilominus agilioribus & penetrantioribus, quam ſunt pleraque oleoſa, ſine dubio ſtatim applicata involvunt, & quaſi gladium vagina, recondunt ſales volatiles venenati liquidi, & prohibent coituros in cryſtallina iſta *ſpicula*, quae demonſtravi eſſe vera fatalis damni inſtrumenta, quod morſus infert.

Fida

(a) No. 443. (b) Mem. Acad. Sc. Par. an. 1737. (c) Lib. V. c. 27.
(d) Eſperienze intorno alle coſe naturali. (e) Pag. 66.

Fida autem neque haec curatio eſt, praeſtatque uti illa, quam dixi, & praeterea ſi aegritudinem, lipothymiam, aut ullum nervoſum ſymptoma, quod deſcripſimus, aeger ſentiat, in lectum reponendus eſt, ſudor excitandus medicamentis cardiacis, ſigillatim *Confect. Ralegh*, atque ſale viperino, aut hoc ubi deficit, cornu cervi cum vino calido propinato. Saepe experiendo didici ſecundos hujus methodi ſucceſſus, atque in illo caſu, quem paullo ante narravi, (*a*) ubi oleo curatio facta perhihebatur, ſane aeger non ſine his etiam remediis convaluit.

Finem faciant conſilia attinentia ad uſum viperarum medicum; copioſi enim ſunt auctores in enumerandis viribus adverſus mala plurima, multa etiam pertinaciſſima. In primis antiquorum, quos invenimus uſos eſſe carne horum animalium ſcopo medico, *Antonius*, ni fallor, *Muſa* fuit, *Octavii Caeſaris* celebris Medicus, quem *Plinius* narrat, „ ubi occurriſſent uſcera incurabilia, impe„ raſſe eſum viperarum, atque hoc modo ci„ to ſanatos eſſe. (*b*)

Probabile eſt habuiſſe id a magno Graeco Medico *Cratero*, cujus ſaepe mentionem *Cicero* in Epiſtolis ad Atticum facit, quem *Craterum Porphyrius* refert, (*c*) feliciter ſanaſſe miſerum ſervum, cujus cutis mirabili modo ab oſſibus abſcedebat, ſuadendo ut viperis veſceretur piſcis in modum paratis.

Vt ut autem haec ſe res habeat, Galeni certe tempore ſatis vulgo notae erant utiles viperarum qualitates. Elephantiaſi afflictos mirabiliter ait refici eſu viperarum coctarum, ut anguillae ſolerent coqui, memorabiles etiam hiſtorias narrat de ſanato eodem malo vino viperinato. (*d*) *Aretaeus*, qui vixit ut veriſimillimum eſt eodem circiter tempore, quo *Galenus*, & omnium antiquorum accuratiſſime *Elephantiaſin* deſcripſit, fecit quod *Craterus* commendavit in iisdem morbis uſum viperarum loco piſcium. (*e*) In hanc ſententiam obſervo *Lopeſium* (*f*) in narratione de Regno *Congo* in *Africa* memoriae prodere, nigritas colubres igne toſtas comedere cupide, & in maximis deliciis habere: *Dampiebium* (*g*) etiam referre, morem eſſe indigenis *Tonquini* in India Orientali, amicos amicis propinare *Arackum* infuſum ſerpentibus, & ſcorpionibus, idque pro magno non ſolum cardiaco, ſed etiam antidoto habere leprae, reliquarumque omnium veneni ſpecierum.

Doctus etiam aliquis Medicus compluribus annis *Bengalae* verſatus, mihi narravit, conſtantem ibi morem eſſe medentibus imperare diaeteticum uſum *cobrae de capello*, viperae ejus regionis, illos, quos longi morbi exhauſiſſent. Vulgo Italici, Gallicique Medici praeſcribunt jus, & gelatinam viperinae carnis eidem fere ſcopo, novum vigorem purificando reddendi maſſae ſanguineae aut morbis exhauſtae, aut vitioſo & obſtinato fermento imbutae.

Ex his omnibus apparet, veram viperinae carnis dotem eſſe, ut circulum ſanguinis acceleret, juſtae miſcelae faveat, atque adeo repurget glandulas, & detergat ſtagnantes illos ſuccos, qui in acidam naturam converſi origo ſunt multorum morborum, ſaltem eorum ſuperficiei corporis incidentium; qui intelliguntur nomine affectuum ſcrophuloſorum, leproſorum &c.

Laudabilis iſta efficacia debetur ſali forti penetrabili, quo tota iſtorum animalium natura abundat. Salem autem victus facit, quem dixi illis eſſe lacertas, talpas &c.: quorum nemo eſt, qui neſciat eam eſſe naturam, ut diſſoluta in ventriculo ſanguini miniſtrent copiam agilium, volatiliumque partium. In hoc etiam differunt carnes viperinae, & reliquorum innocentium ſerpentum, qui gramine potiſſimum, herbiſque nutriti nulla ea vi commendantur, quae tantae iſti inſunt.

Qui conſiderarit quae de hoc argumento dicta ſunt, facile conſentiet, nimis noſtros Medicos cautos eſſe, & parcos remedii apti nati ad optimos ſcopos, quum pauca grana pulveris ſiccatarum viperarum in formulis praeſcribunt, aut *trochiſcos* ex pauca carne compingunt. E contrario ut vero uſui cedere poſſit, aeger frequenter edat jura, & gelatinam viperinam; aut potius, qui veteribus

mos

(a) Phil. Tranſact. N. 433. (b) Lib. XXX. c. 14.
(c) De abſtinent. ab animal. L. 1. p. 16.
(d) De arte curat. ad Glauc. lib. II. c. 10. & de ſimpl. medic. facult. lib. XI. c. 1.
(e) Curat. diuturn. lib. II. c. 13. (f) Vid. Purchaſ. Pilgrims, Part. II. lib. VII. c. 4. §. 3.
(g) Voyages, Vol. II. Part. I. p. 53.

mos fuit, coctae quemadmodum piſces viperae comedantur; ſaltim ſicubi hae dapes recuſentur, etſi re vera ſatis bonae, & delicioſae, adhibeatur vinum iniectis ſiccatis viperis per duos tresve dies calore modico digeſtum, (*a*) cujus pulchram efficaciam vidi in obſtinatis lepris: poſtremo, praeſertim, ſicubi etiam vinum non convenit dare, aut pulvis ſumatur aut juſta portio ſalis viperarum, in quo ſolo vis medicata omnium, quae ex hoc animale parantur, ſita eſt. Itaque animalium aliorum etiam magis pungens ſtimulansque ſal, ut eſt praecipue ſal *cantharidum*, potentius etiam remedium eſt aridis, ſquamoſisque leproſis effloreſcentiis. Conveniens eſt praebendis cantharidibus forma *Tincturae* parandae ſpiritu vini (*b*).

APPENDIX.

Continens anatomicam deſcriptionem earum viperae, & ſerpentis caudiſoni partium, quibus cum veneno negotium eſt: cum brevi narratione de quibuſdam aliis venenatis animalibus.

Claram ideam praebiturus inſtrumentorum letiferorum, quae ſunt viperae, atque ſerpenti caudiſono, viperae ſpeciei majori, incipiam explicando figuras ab utrorumque ſectis cadaveribus ſumtas, a minori incipiam, finiam in majori. Sicubi aliqua in poſteriori repetentur, jam in priori obſervata, non id, ſpero, taedioſum videbitur legentibus. Minutorum enim corporum ſaepe neceſſe eſt vario ſitu varie junctas inter ſe partes repraeſentare, ut clarius poſſit uſus intelligi, qui earum partium dicitur. Igitur non tam ordine ducar figurarum, quam filo deſcriptionis, quam illae explicaturae additae ſunt.

TABULA I.

Exhibet varie conſpectum caput viperae vulgaris.

Fig. 1. Monſtrat calvariam cum maxillis a latere, in quibus

a Duo ſunt veneniferi dentes ab utroque latere, infixi modo, qui deinde dicetur, ſolido utrimque oſſi *b*. Haec ſolida oſſa *ginglymo* articulata pendent quaſi ex duobus *zygomatibus*: ut duplex motus venenatis dentibus ſit, productio, quae erigit dentes, retractio, quae reductos dentes ad coelum palatinum applicat, quo facto claudi maxillae poſſunt.

Fig. 5. Oſtendit horum dentium amplificatam figuram.

Hi motus fiunt ope paxilli oſſei *c*, in fig. 5. *d*, quod connexum oſſi *b* infra ejus articulationem hoc ſecum in productione, & retractione aufert, ipſum motum quia connectitur oſſi fig. 5. *c*., quod producitur, & rethahitur, tum quia maxillae inferiori nexum eſt, tum actione propiorum ipſi muſculorum.

Fig. 1. *f*, oſtendit maxillam inferiorem, atque *d*, *e*, bina ipſius *fulcra*, a quibus varietas motus neceſſaria in deglutienda praeda.

Fig. 6. monſtrat haec duo *fulcra a* & *b*, quae maxillam inferiorem *ſincipiti*, & oſſi temporum jungunt.

Pro intelligendo modo, quo vipera praedam deglutit, obſervandum eſt, inferiorem, & ſuperiorem maxillas ex uno latere ſine alterius lateris maxillis moveri; ita ut unius pattis inferior, ſuperiorque maxilla poſſits protrudi, retrahi, dum homologae parte oppoſiti lateris, aut contrarios motus recipiunt, aut firmae, immobileſque continentur: inſtructaeque quum ſint parvis dentibus firmiter ſuis ſuperficiebus connexis, quos ab officio tenacula appellare poſſemus, Fig. 1. *g*, & Fig. 5. *c*, poteſt praeda intus abripi alterna contractione bina-

Q rum

(a) Vid. Pharmacop. Lond. (b) Vid. eamd. Pharmacop.

rum maxillarum ex utroque latere.

Horum tenaculorum major in inferiori, quam ſuperiori maxilla numerus eſt.

Fig. 5. *c.* monſtrat quae ſunt in ſuperiori maxilla.

Fig. 6. *d.* ea, quae ſunt in inferiori.

Fig. 4. monſtrat verticem calvariae, in quo

a ſinciput unum hic os eſt, quod in hominibus formant duo parietalia, cujus loco os frontis, quod in hominibus unum eſt, in hoc animale in duo futura dirimit.

c oſtendit anteriorem criſtam orbitae ab oſſe frontali factam.

d oſſa naſi.

e oſſa maxillaria in hoc animale nullibi diviſa.

Antequam oſſa hujus partis mitto, obſervo, non ſolum magnitudine, & motu, ſed etiam aliis in rebus differre a dentibus, quos tenacula dixi, letiferos illos praedicidas dentes. Primum obſervo, etſi bini hidentes ab utraque parte ſint, raro tamen ſati. utroſqe firme inhaerere ſuis foraminibus, quae deſtinata recipiendis ſunt. Interdum utriuſque lateris exteriorem dentem, interdum utrumque interiorem laxe haerentem obſervavi, interdum unius lateris exteriorem, alterius interiorem: & quum protruderentur, eum, qui eſſet firmior, magis erigi, quam laxiorem, hoc etiam ſemper illum magis prominentem. Hinc conjunctis aliis adhuc explicandis inductus ſum ad eredendum, non niſi uno quaque vice dente uti viperam: natura id excogitante artificium, ut omne venenum in una parte paratum aequali cum efficacia in praedam inderetur ope unius dentis, quam binorum, atque adeo ſcopo ſufficeret.

Dum ferit praedam viperinus dens, circularem arcum deſcribit, multum adeo vires; roburque auget forma uncinata inſtar unguium avium, Fig. 1. *a.* & Fig. 5. *a.* Sed quum huic formae neceſſario adſit difficultas in retrahendo immiſſo dente, non poteſt non ſaepe uſu venire, ut ſaltu ſe ereptura vulnerata praeda una dentem frangat, eoque id magis, quod vipera abrepta motu praedae ſuae ſine dubio multum circumjactitat caudam, donec illa ſe obfirmavit, quo facto dens aut ſua ſponte cedet retractus, aut rumpetur prope ubi ex foramine exſtat, qui ipſius debilliſſimus locus eſt. Huic malo ut remedium ſit, probabile eſt, illum dentem, qui ante eſſet laxior poſitus, firmius mox figi; & in locum fracti, & caſuri dentis alium ſuccedere laxius quidem poſitum: ſemper enim hujus jacturae fractorum dentium ſupplementum obſervatur numerus novorum dentium, variis perfectionis gradibus poſitorum in capſa prope radices dentium praedicidarum: quorum juniorum dentium ſex in uno latere numeravi in ſerpente caudiſono. Non audeo conjectura aſſequi, qua via hi ſubſidiarii dentes paullatim delati vacua foramina intrent, ipſae, quas narravi, circumſtantiae ſufficiunt ad credibilem reddendum hunc eorum ſcopum, quum ipſa manifeſto vita animalis talia ſupplementa poſtulet.

Veneniferi hi dentes excavati ſunt, inde prope a ſuprema foraminum ora uſque prope ad mucronem. Initium ſulci hujus facit foramen in anteriori dentis parte Fig. 2. *a*, finis eſt in aliqua diſtantia ab apice *b*, a quo inde fine dens duriſſimus eſt, & ſolidiſſimus, in acumen deſinens, ut aliquo modo referat vulgare dentiſcalpium.

Fig. 3. monſtrat hunc ſulcum in dente ſecundum *axim* medio fixo.

Apparatus parando, & iniiciendo venenato ſucco componitur glandula, Fig. g. *c*, utrimque in mala ſita, quo in ſitu firmiter connectitur *ſincipiti*, ubi *occipiti* committitur ligamento *a*, atque extremitati poſteriori inferioris maxillae ligamento *b*. His ligamentis continua glandulae ſuperficiem tegit fortis albuginea tunica, defendens glandulam contra vehementes diſtractiones, quibus expoſita eſt, dum liquidum accumulatur, & compreſſionibus violentibus, dum eiicitur.

Hujus etiam *integumenti* proceſſus format ductum excretorium *e*, qui ex glandula in dentem ad ictum erectum venenum deportat ope capſae aut burſae, quae in utroque latere utrumque dentem continet. Fig. 7. & 8. *a*.

f. eſt parva alba glandula, quae ex ſitu propinquo praedicidis dentibus putata eſt eſſe organum excretorium veneni, etſi probabile ſit, non eſſe niſi lymphaticam, aut ſalivalem glandulam, in ſerpente caudiſono etiam plane deficiat.

Omnes muſculi, quorum in mordendo officia ſunt, ita ſunt diſpoſiti, ut dum agunt, for-

fortiter innitantur glandulae veneniferae; conſpirentque in eiaculando fluido.

Sed potiſſimum officium in hac eiaculatione veneni eſt muſculi *d*, qui ortus ab inferiori *maxilla* oblique ſurſum infra glandem veneniferam ductus tranſit inter bina ligamenta *a* & *b*, deinde reflexus ad exterius glandulae latus, hujus longitudini parallelus, firmiter denique glandulae inſeritur. Ope ligamenti *a*, quod ipſi pro tendine quaſi eſt, oportet hunc muſculum aliquid adferre ad claudendas maxillas: ſed potiſſima eſt illa actio, qua proxime glandulam amplexus ita emulget quemadmodum pomum aurantium premunt, qui ſuccum elicituri ſunt. Quum diſpoſitus hic ductus ſit in ſuperficie glandulae directione, quae eſt ductus, inque hunc ipſum ductum terminetur prope dentium majorum radices fine, qui apparet tendineus, opinioni origine data, quaſi horum retractioni inſerviret: quod contra eſſe apparet, quum calidae excoriatum caput immergitur, quo facto facile ſeparatus muſculus nudam glandulam linquit.

Fig. 7 oſtendit caput viperae non diſſectum, in quo

a ſunt paria veneniferorum dentium utriuſque lateris incluſa propriis ſaccis, quorum facile eſt obſervare diverſos gradus extenſionis, erectioniſque.

b eſt aditus ad *tracheam* ita *ſitus*, ut quam minimum ſit periculum, ne actione deglutitionis comprimatur.

c eſt lingua, quae rorem lambit, & cujus forte ope, quum occaſio poſtulat; ſubſidiarii praedicidae dentes in vacua foramina reponuntur.

Fig. 8. exhibet ſaccum, qui obvolvitur praedicidis dentibus, qualis aucta valde magnitudine apparet, quo facto fimbriatus ſive dentatus ejus margo melius diſtinguitur. Hujus autem ſacci fabrica, & officium melius explicatur, ex ſerpente caudiſono majori oculis ſubjecti.

TABVLA II.

Exhibet icones quinque factas ad caput ſerpentis caudiſoni praeter morem magni, quorum

Fig. 1. *a*. oſtendit os maxillare.

b. *oſſa naſi*.

c. os *ſphenoeides*.

d. os *ſincipitis*.

e. bina *oſſa frontis*.

f. *os temporum*, cum oſſe auditus, quale eſt in avibus, ſed prope parallelum ſpinae.

g. *os occipitis*.

h. & *i*. bina *fulcra* inferioris maxillae.

k. os, in cujus foramina bini praedicidae dentes recipiuntur, *ginglymo* connexum.

l. *zygomati*.

m. *m*. os mobile ſuperioris maxillae, inſtructum dentibus tenacula dictis; in quo oſſe junctura obſervanda venit, fig. 2. x. qua in junctura os hoc incurvatur, tum quum.

n. Fig. I. tenuis oſſeus paxillus una ſui extremitate priori oſſi, altera oſſi dentes majores continenti junctus ita protruditur, ut dentes illi majores erigantur.

o. extremitas poſterior inferioris maxillae ultra *fulcrum* porrecta, quo vis augetur parvi muſculi maxillam aperientis, Fig. 2. *g*.

p. Proceſſus inferioris maxillae analogus *coroneo* aliorum animalium, cui muſculus elevator magnus inſeritur.

Exterius ſub hoc proceſſu obſervatur magnum *foramen*, *q*. traſmittens vaſa, & nervos, quae miſſis ad perioſtium, & medullarem ſubſtantiam ramis denuo prodeunt per aliud interius magnum *foramen*, *vv*. Fig. I. exceptis paucis ramis, qui longius progreſſi per duo parva foramina, *u*. emittuntur, & conſumuntur in gingivis, & labio inferiore.

t, *t*. ſunt dentes tenacula dicti utriuſque maxillae, qui non apparent articulatione connexi gomphotica, ſed ligamentis firmati in foveis brevibus, aut potius inaequalitatibus, receptioni ipſorum deſtinatis.

r dentes veneniferi obfirmati in foraminibus ſuis, quales apparent cum maxime erecti. Horum dentium caſurorum forte ſupplementum.

s complures ſubſidiarii dentes diverſae magnitudinis, ſitu naturali:

Fig. 2. oſtenditur idem caput cum glandula

venenifera, cum variis muſculis motoriis maxillae, in ſitu naturali.

a muſculus, qui inſertus poſt maxillae inferiori *ſulcrum*, aperiendae maxillae inſervit.

b muſculus, qui proxime anterius fulcro inſertus elevat inferiorem maxillam.

Sed muſculus maxime, ut videtur, in claudendo ore, & maxillis occupatus eſt *h*, *i*, qui ortus ab oſſe ſincipitis, & pone glandulam veneniferam deorſum ductus inſeritur inferiori maxillae, ea a *fulcro* diſtantia, quae ipſi concedat omnium reliquorum muſculorum opportunitates.

d & *e* duo ligamenta, quibus glandula adhaeret orae ſincipitis, atque extremitati inferioris maxillae.

l ipſa glandula tecta albuginea tunica, quae eſt expanſio ligamentorum memoratorum.

Eadem albuginea tunica producta format capacem ductum, *f*, qui ſuccum venenatum a glandula in ſaccum continentem dentes ducit.

Etſi obſervatum ſit muſculorum *b*, & *h*, cum eſſe ſitum, ut, dum agunt, glandulae obnitantur, expulſionemque adeo veneni adjuvent, maxima tamen venenum expellens vis videtur eſſe muſculi *k*, qui ortus ab inferiori maxilla oblique ſurſum retrorſum ductus, ubi autem glandulam contingit antrorſum inter duo ligamenta reflexus, extenditur per totam fere glandulam, firmiterque inhaeret anteriori inferiori ejus parti, ita comprimendo, & contrahendo glandulam fluidum expellens.

Fig. 3. diſtinctius expoſita haec glandula cum ſuis circumfuſis muſculis.

a glandula venenifera.

b & *c* bina ipſius ligamenta.

d ductus.

e & *f* muſculus glandulae circumdatus, utilis, dum os morſurum, & vulneraturum praedam claudit, utilis etiam expellendo liquido.

Hinc obvium eſt perſpicere, cur re minus accurate examinata, in animale etiam tam parvo, ut eſt vipera, cujus albi muſculi agrius ab aliis partibus diſtinguuntur, induci, qui inquiſiverunt, potuerint, ad credendum, omne illud muſculum eſſe, emittentem tendinem rotundum, & deſtinatum retrahendis dentibus praedicidis.

Fig. 4. maxilla inferior ejuſdem capitis, in qua

a ſuperius orificium dentis veneniferi retracti.

b orificium inferius.

c dentes praedicidae tecti ſacco ſuo, ſitu qui ipſis eſt retractis, qui ſaccus in altero latere diſſectus eſt, ut appareant dentes, &

d fimbriatum *ſeptum*, adhaerens orificio ductus veneniferi, dirimenſque dentes binos,

e glandula venenifera, in cujus ductum immiſſae binae ſetae, quae *ſacculum* ingreſſae in ſummitate ejus monſtrant locum, ubi ingreditur ductus venenifer *f*, accurate inter ſuperiora dentium foramina, per quae ipſae ſetae in dentes primum ingreſſae exeunt.

Fig. 2. *c* ſaccus, cum ora fimbriata, intentus & expanſus, dum erecti dentes ſunt.

Fuerunt qui ſibi fingerent, veneno in ſaccum advecto, & ſacco, quo altius dentes immitterentur, eo magis ab ipſius vulneris lateribus preſſo pedetentim verſus ſummitatem dentium, iſtam ſacci preſſionem in contentum fluidum ſuffecturam ad exprimendum, & dirigendum venenum per dentes in vulnus imum. Ego autem cogitans maximam fluidi jacturam, quod neceſſario eſſet elapſurum per canalem efficiendum a contingentibus ſe conis, quin inter ipſos medios, niſi accuratiſſimus ille contractus ſit, cum conſumtione etiam alicujus partis ejus, quod in ſacco relinquitur, inductus ſum ad credendum, longe alia machinatione veneni in vulnus immiſſionem fieri.

Nempe, ut jam ſupra monui, ut minuatur damnum a diſtractis dentibus, unus tantum uno in latere ſingulo in morſu erigitur, ejus ergo credo ſuperius orificium, quum dens erigitur, proxime admoveri ad ductus veneniferi orificium, atque quum hic excretorius ductus ſacco immittatur accurate inter binos dentes, ductum forte a ſacco in alterutram partem dirigi ad alterutrum dentium, qui erigitur; quo facto excretorius ductus, & ſulcus dentis continuus fierent canalis.

Ad

Ad hanc rem non opus eſt niſi fingere, fimbriatum *ſeptum*, quod dentes dirimit binos, magis elaſticum facilius cedere, quam latera ſacci. Ergo quam erectus dens ſaccum intendit, *ſeptum* debilius magis ſequetur tractum, ejuſque extrema ora, cui orificium ductus excretorii adhaeret, in alterutrum latus inclinabitur ab illius dentis orificium, qui erigitur.

Fig. 5. oſtendit.

A. partem ſacci, quae una cum ſepto obſequitur prementi, dum erigitur, denti.

B. & C latera ſacci, quae ipſa extendi ſe non paſſa, dirigunt forte vim motus in ſeptum & partem A.

d, *d*, duo arcus, quorum alterutrius aliquam portionem deſcribet motum orificium excretoriis ductus, cum *ſepto* facilius quam latera ſacci cedens. Ita hoc orificium mutato ſitu pro re nata applicabitur orificio alterutrius dentis, omneque, quod glandula patavit, venenum impedetur unius dentis actioni: quod quanto viperae commodo fiat, jam explicavi.

Fig. 4, *g*, *h*, *i*, *k*, *l*. muſculi efficientes maxillarum motus, qui quo modo agant, ex ſitu apparet & directione uniuſcujuſque.

Accuratiſſimae huic deſcriptioni Cl. *Nicholls* non alienum videtur addere aliquid de uſu *crepitaculi* in cauda hujus ſerpentis, qui inde nomen habet: vulgo enim etiam inter eruditos error obtinuit.

Vulgo dicunt, maximo id hominibus beneficio a divina providentia excogitatum eſſe, ut ſonitu, quem cauda moventis ſe animalis edit, moniti viatores a damno ſibi caverent. Hicce quidem certe error eſt. Ex omnibus operibus Creatoris ſapientiam, & benignitatem elucere, id quidem ſupra omnem litem poſitum eſt: ſed alius hic ſcopus eſt, quam qui creditur.

Omnes animalium partes tum ad conſervandum unumquodque individuum, tum ad propagandam ſpeciem effectae ſunt: haec nobis nunc conſideranda pars priori ſcopo deſtinatur. Sciuri potiſſimum, & aves victus ſunt huic animali, non attingendi reptili ſine ſubſidio machinationis alicujus, quae intra ſphaeram ponat, qua aſſequi ſerpens poſſit. Id hoc modo fit. Adrepit ſerpens ad arboris radices, quatit *crepitaculum*, & excitat incolas avicolas, ſciuroſque. Ita adſpectu terrentur hoſtis, qui in unum, alterumque defigit vividos, acutoſque oculos, ut aufugendi non conſtet conſilium, ſed ex alio in alium ramum ſaliendo fatigatae, denique in terram cadant, ori avido praeda ſint. Incolae regionis *incantari* dicunt ſciuros, & aviculas.

Obſervandum etiam eſt, nullum edere *crepitaculo* ſuo ſonum ſerpentem in ordinario corporis motu.

Simili fere modo leo venatur praedam. Eſuriens tyrannus terribili mugitu ex latibulis debiliores feras excitat, quae terrore attonitae circumcurſitantes facile capiuntur, & praeda fiunt voraci rictui.

Ipſeque obſervavi, quum in arborem in horto poneretur accipiter, minores circum aves ita terrore perculſas, ut volitarent quidem antrorſum retrorſum per parva ſpatia, ſubducere autem ſe unguibus vaſtatoris non poſſent.

ANIMALIA VENENATA.

Quemadmodum vipera nocet liquidum venenum inſtillando in vulnus dente factum, ita cetera omnia venenata animalia, ſive mordeant, ſive pungant, etſi variis modis fabricata ſint organa, damnum eodem fere modo inferunt: eidem etiam notabile quodque ſcopo, occidendi praedam.

Id manifeſto patebit examinantibus inſtrumenta mortifera nonnullorum.

Jam primum *araneus*, muſcis, veſpis, ſimilibuſque inſectis nutriendus inſtructus eſt adunco *forcide*, ſito proxime os, valde acuto, & ſubtili: eo laedit carnem parvorum animalium tela captorum, unaque inſtillat vulnuſculo ſuccum, cujus ope occiſi animalis humores ſugit, aridumque, & ſiccum cadaver linquit.

Haec arma cum reliquis partibus adjutus

tus vitris ſuis deſcripſit *Leeuwenhoekius*, libello de aranais inſerto Philoſophicis Tranſactionibus; (a) invenit ſita utrimque in ore cum ordine dentium, donec ad exſequenda officia conſurgunt. Hi dentium ordines diſtinati ſunt tenendae praedae, ne vim morſus eludat. In parte convexa verſus mucronem utriuſque brachii delineavit parvam aperturam, aut fiſſuram, unde credit venenum emitti, dum vulnus fit.

Hunc ſitum, motumque harum partium ſaepe obſervavi, nunquam autem potui diſtinguere hiatum iſtum: quod, reveritus, ut par eſt, induſtriam tam accurati obſervatoris harum rerum, primam meam imperitiam in his inquirendis efficere credebam, vitrum certus optimum mihi eſſe, denique repetitis experimentis manifeſto conſtitit, nihil ex brachiis forcipis exſtillare, ſiccis ſemper dum araneus mordet, ſed parvam albam *proboſcidem* eſſe, quae liquorem in vulnus mitteret, eodem tempore ex ore protruſam.

Collegi *Leeuwenhoeckium* hos hiatus horum armorum pinxiſſe propter analogiam, quam ipſis eſſe credidit cum viperinis praedicidis dentibus, aculeo ſcorpionis, apis &c. Confirmavi hanc ſuſpicionem examinans brachium magni americani aranei, quem *Piſo* (b) deſcribit, & *Nhamdu* vocat, in quo, quinquagies quam europeorum maximus aliquis majore ſi aliquis hiatus fuiſſet, meum vitrum ſine dubio detexiſſet. At inveni plane ſolidum brachium.

Atque revera copia liquoris, quem vulgares noſtri aranei profundunt occiſuri praedam, aperte adeo magna, ipſa vulnus facientia arma adeo parva ſunt, ut ejus exiguam copiam continere poſſent, ſi hac prodiret.

Hanc in rem memini *Boyleum* aliquo in loce hiſtoriam narrare hominis excaecati veneno, quod ab araneo exſtillans in aculum ipſius inciderat: quod etſi aegre aliqui credant, confirmatur tamen eo, quod *Piſo* de araneo *Nhamdu* ipſi dicto refert, a capturis magnam cautionem adhibendam eſſe, ne in oculum venenum forte incidat viſus jacturam planiſſime effecturam.

Quod *Leeuwenhoekius* obſervat mutuam haec animalcula inimicitiam excercere, ipſe ſaepe vidi: quatuor, quinque, ſexve in idem vitrum poſitae ſine mora ad pugnam concurrunt impetu maximo. Membra avulſa praeludere ſolent, tum demum terribili internecioni, non ante finiendae, niſi omnibus occiſis, ipſeque etiam, ſicubi ſupereſt victor, ſolet mori ex vulneribus.

Damnifera *ſcolopendrae* ſive *centipedis* arma ab aranei armis paullum diverſa ſunt. Miſſi mihi aliquando ex *India Orientali*, ubi maximi ſunt, & tantum dolorem morſus faciunt, ut *Bontius* fere furere dicat, qui eſſent paſſi, animalis hujus, in ſpiritu vini aſſervati forcipi brachium examinavi microſcopio, & in utroque obſervavi parvum (c) hiatum in ſuperiori parte prope mucronem. *Leeuwenhoekius*, (d) qui ejuſdem ſpeciei vivum habuit, invenit guttulam ex hiatu hoc, compreſſo brachio, prodire.

Eodem modo res ſe habet in animalibus pungentibus. Horum princeps eſt *Scorpio* (e) cujus *virus* diverſiis in regionibus magis, minuſve periculoſum eſt, prouti caloris variis gradibus exaſperatur; maxime in *Africe* adeo terribiles ſunt ejus effectus, ut *Joan. Leo* (f) *Peſcaram* urbem narret aeſtate relinqui deſolatam ab incolis propter multitudinem horum animalculorum, quorum ictum certa mors ſequatur.

Redio (g) Florentiae viventi complures hujus ſpeciei miſſi ſunt *Tuneto*. Novembris erat quum acciperet, irritavit ut pungerent columbinos, & gallinaceos pullos, neque quidquam mali ſecutum eſt. At vere accedente unus eorum, qui per totam hiemem, quin per octo menſes, ſine alimento aſſervatus erat, cujuſque antea innoxia erat punctura, morti dedit binas columbas continuo ictu: tertia autem itemque quarta eodem modo punctas nihil mali paſſae ſunt. Mane tamen altero per noctem omiſſus ſcorpio aliam columbam trucidavit.

In mucrone aculei ſaepe obſervavit guttulam albi ſucci a carne puncta abſorpti.

Quemadmodum hieme liquidum hoc venenum aut non excernitur a ſanguine in cavitatem aculei, aut ſcorpioni vires tum de-

(a) No. 271. (b) Nat. Hiſt. L. V. c. 10. (c) Vid. Tab. III. Fig. 1. & 2.
(d) Continuatio arcanor. natur. Epiſt. 124. (e) Tab. III. Fig. 3.
(f) Hiſtor. Afric. lib. VI. (g) Generazion. degli Inſetti, pag. 15.

deſunt ejiciendi fortiter, ita ipſis etiam aeſtuoſis menſibus poſt binas, treſve punctūras exhauſtus aculeus non amplius nocivus eſt, uſque dum reparatus ſuccus eſt.

Spectans aculeum ſcorpionis allati ex *India Orientali*, quibus in oris etiam quam in *Africa* majores ſunt, armato oculo, facile inveni fiſſuram oblongam in utroque latere prope cuſpidem, exacte a *Leeuvvenhoekio* deſcriptum (*a*), qui etiam venenum inde ſtillans vidit (*b*).

Memorabile in hoc inſecto eſt, quod ingenioſus vir, qui diu in *Barbaria* vixit, mihi narravit a ſe ſaepe experimento exploratum: ſi circulo carbonum candentium circumdetur, violentibus conatibus, quum calorem ſentit, exitum ubique tentare, eum tantare impoſſibilem videns, auctoque dolore ab igne, ipſum ſe bis terve aculeo ferire in dorſo, atque extemplo ex vulneribus mori.

Poſtea id mihi affirmarunt alii, eſſe hoc experimentum ſolitum luſum praeſidiariis militibus *Gibrattarae*, ubi ſcorpiones abundant.

Haec autochiria finire poteſt diſſidia auctorum, an ejuſdem ſpeciei animalia ſeſe mutuo necare poſſint. Quod non ſolum iis confirmatur, quae paullo ante de araneo obſervavimus, ſed etiam in viperis verum eſt. *Hermannus* ex india in Europam ducendos vitro eidem indiderat tres *cobras de capello*, quorum bini in itinere mutua pugna interfecti ſunt. Doctiſſimus etiam *Rodius Patavii* obſervavit, duo ſcorpiones in eodem vitro pugnam decertaſſe, occiſumque a victore devoratum eſſe (*c*).

Quemadmodum viperinum venenum quinta eſſentia, & agiliſſima pars eſt animalium ſuccorum, quibus vipera alitur, ita eſt etiam ſcorpionis venenum: nutritur enim hoc animalculum potiſſimum locuſtis *&c.* atque idem vir, quem dixi in Barbaria fuiſſe, docuit me, quum ſaepe videret locuſtas in terra jacentes quaſi ſtudio eo poſitas, accurate inſpiciendo ſibi obſervatam partem aliquam jam adroſam, atque ea loca latibula fuiſſe ſcorpionum, qui praedam eo advexerint, qua cum liberi veſcerentur.

Mechaniſmum aculei *apis* accurate deſcripſit *Hookius* (*d*). Saepe etiam nudus oculus videt emitti venenum, in quo ope vitri facile diſcerno magnum numerum ſalinarum particularum fluctuantium.

In univerſum denique hic *apparatus*, & machinatio videtur obtinere. Namque, quem dixi, *Hookius* (*e*) oſtendit pungentia urticarum ſpicula, quo tempore cutem laedunt, etiam venenatum ſuccum in vulnus immittere.

Quum morſus, & puncturae non ſolum inſectorum, quae dixi, ſed diverſorum etiam aliorum crabronum, veſparum, culicum *&c.* maxime ſaepe moleſtae ſint, atque majore dolore, inflammatione, tumore comitatae, quam a tam parvis hoſtibus expectares; finem faciam obſervando communem omnium hujus generis calamitatum medelam, quam in morſu viperino, fieri, ſine mora exſugendo venenatam guttam, & pultem ex pane cum lacte vulneri imponendo: quo neglecto fovenda pars eſt calido oleo, & mitibus diſcutientibus unguentis.

TENTAMEN II.

DE TARANTVLA.

SYmptomata morſus *tarantulae* adeo ſunt ſingularia, & mirabilia, ut fuerint, qui plane in dubium etiam hiſtorias vocarent. Neque plane haec ſuſpicio ratione deſtituitur, quum utplurimum pauperibus mortalibus haec calamitas accidat, qui ſtipem ſaepe eo nomine accipientes poſſunt induci ad ſimulandum, quaſi paterentur, quorum revera nihil ſentiunt. Deinde etiam hyſtericae paſſiones, ut in progreſſu ſermonis obſervabitur, ſaepe in his regionibus eaſdem formas inducunt, ut aegre ſit deſtinguere utrumque malum.

Etſi autem plurima fraus, & impoſturae cir-

(a) Lib. cit. epiſt. 123. (b) Vid. Tab. III. Fig. 4. (c) Not. ad Scribon. Larg. pag. 244. (d) Micrograph. obſerv. 34. (e) Micrograph. obſerv. 25.

circa has res inveniantur, tamen etiam hae argumento ſunt, aliquid in re veri eſſe: neque enim credibile eſt ſimulatum iri morbum, qui numquam ſit viſus.

Neque perſuaderi mihi patior, *Baglivium* indigenam, medicumque ſatis doctum, qui non potuit ignoraſſe fabulas hujus ludi, operam daturum fuiſſe ſcribendae longae diſſertationi (*a*), niſi de exiſtentia talis veneni certum ſe reddidiſſet.

Praeterea poſt *Baglivii* librum *Ludovicus Valetta*, Monachus *Caeleſtinus*, Napolitanus, tractatum de hoc araneo edidit (*b*); in quo libro non ſolum objectionibus eorum, qui negatum omnia erunt, reſpondet, ſed & complura exempla refert hominum ſibi notorum, etiam ex nobilibus familiis, qui tantum aberat, ut ſimularent, ut potius credibile ſit omni modo clam habituros fuiſſe calamitatem ſuam.

His addi poteſt teſtimonium *Boylei*, qui affirmat, ſibi etiam dubiam rem fuiſſe, certum autem ſe factum eſſe, accurate inquirendo, vera eſſe, quae narrantur, praecipua (*c*).

Ex narrationibus igitur authenticis clarorum, quos dixi, duum virorum promam praecipua quaeque, & ad noſtrum ſcopum maxime facientia.

Tarantula (*d*) *araneus* eſt *Apuliae* de eorum gente, quibus octo ſunt oculi, & qui telas ſtruunt. Octo ipſi ſunt pedes, ex utroque latere quaterni, unicuique pedi tres articuli. Ab ore procedunt duo tela figure ſimilia *forcipi* hamato, ut eſt cancris: haec ſunt ſolida, acutiſſima, ut facile cutem perforent. Inter ea, atque anteriores pedes duo parva cornua ſunt, analoga, ni fallor, *antennis* muſcarum; quas, quemadmodum muſcae ſuas, fortiter movere obſervantur, quum ad praedam accedunt.

Speciem *Tarantula*, quemadmodum reliqui aranei, propagat ponendo ova maximo numero, quorum ſaepe in ſecta femina centena invenire eſt. Excluduntur partim matris, partim ſolis calore, ſpatio viginti aut triginta dierum.

In *India* etiam Occidentali araneus eſt ejuſdem cum *Tarantula* naturae, quem *Hoitztocatl* ſive *pungentem araneum* dictum deſcribit *Fr. Hernandez* (*e*) & rabiem ab ejus morſu excitari affirmat.

Aeſtivis menſibus, quum maxime eſt calor, ut canicularibus diebus, *Tarantula* inter ſegetem repens mordet meſſores, & iter facientes: per hiemem deliteſcit in latibulis, vixque ſe praebet videndam; tuncque mordens forte non eſt venenata, nulla mala ſymptomata inducit.

Tempeſtate autem calida, etſi dolor ex morſu non major primum ſit, quam eſt forte ex ictu apis; mox tamen locus deturpatur, livido, nigro aut fuſco circulo, & cum inflammatione tumet. Intra paucas horas aeger opprimitur aegrimonia violenti, difficultate reſpirandi, lipothymia univerſali interdum tremore, capite obſuſcato: quaeſitus quid doleat, aut nihil reſpondet, aut querula voce, triſti adſpectu, pectus digito monſtrat, ut cui cor maxime affectum ſit. Dum lugubris haec ſcena luditus, omnia in caſſum *alexipharmaca*, *cardiacaque* medicamenta ſunt: quantumlibet illa repetito ſunt: quantumlibet illa repetito uſu adhibeantur, aeger gradatim triſtior, ſtupidior, perdite timidius brevi exſpirat, niſi muſica auxilio advocetur, quae ſola ſine medica mentis curationem abſolvit.

Namque ad primum muſici inſtrumenti ſonum aegri, qui quaſi apoplexia proſtrati jacent, paullatim manus pedeſque movere incipiunt, denique ſurgunt, & ad ſaltationes ruunt mirabiliter vegeti, continuandas primum per tres aut quatuor horas: dein in lectum repoſiti, poſt tantos ſudores recreati, durante parvo tempore, redeunt ad haec exercitia eadem vehementia; non ſe ſatiari, fatigarique profeſſi, quin quo magis ſaltant, eo ſe fortiores fieri, & agiliores.

Huic ludo ſolent impendere duodenas de die horae, atque id per tres quatuorve dies, quo fere tempore ſymptomata illos mala deſerunt, reditura tamen proximo anno circa idem tempus. Ni caverint ſibi ab hoc reditu ope muſicae, opprimuntur ictero, appetitus proſtratione, debilitate univerſi cor-

(a) Vid. Bagliv. de Praxi medica, & Diſſertiones. Romae, 1696.
(b) De Phalangio Apulo opuſculum. Neapoli, 1706.
(c) Of. languid. and unheeded motions, cap. VI. (d) Tab. III. fig. 5.
(e) Hiſtor. animal. nov. Hiſpan. Tract. IV. c. 5.

corporis, ſimilibuſque morbis, qui quotannis, ſi ſaltatio negligatur, aucti denique curari neſciunt.

Muſica in univerſum omnes ſanantur; aliis autem hoc genus placet, aliis aliud. Alium tibia, alium tympanum excitat, alium lyra, alium fides, ut ſaepe muſici poſt complura demum experimenta artem veneno accommodent. In hac autem varietate illud conſtitit, omnes gaudere vehementibus, acutis, velocibus ſonis, pigra, triſti harmonia numquam moveri.

Dum ſaltant *Tarantati*, id eſt, aegri, perdunt quodammodo uſum ſenſuum externorum, & internorum, inſtar ebriorum, multa faciunt ridicule, & ſtolide, loquuntur, geruntque ſe obſcoene, & rudit:r, amant ludere pampinis, acinacibus nudis, veſtibus rutuli coloris, ſimilibuſque aliis: atri autem coloris nullo modo ferunt aſpectum, ut ſi quis forte ſpectator in veſte nigra apparuerit, eum ſine mora excedere oporteat, ni fecerit, redeunt omnia ſymptomata non minori vehementia, quam umquam antea.

Aliquid lucis ad intelligendam naturam hujus veneni affert, quod *Apulia* Italiae fervidiſſima pars eſt, verſus Orientem ſita, tota aeſtate raro pluviis calorem temperaturis irrigua; adeo ut incolae aerem ſpirent paene dixerim, qualis ex candentibus fornacibus prodit. Itaque temperamento ſunt ſicco quaſi aduſto, quod apparet inde, quod ſolent eſſe gracili corpore, pathematibus, fortibus, impatientes, ad rem gerendam celeres, ingenio celeri, expoſiti inflammatoriis morbis, phrenitidi, melanconiae *&c.* ſimilibuſque, ut plures in hac ſola regione ſtulti ſint, quam in ceteris omnibus una *Italiae* locis. Quin quae in aliis regionibus levis eſt melancholia, in hac ad maximam vehementiam perducitur; feminae enim *chloroticae* eadem fere, quae *Tarantati* patiuntur, eodemque modo ſanantur: parique modo ſcorpionis venenum his locis effectibus, & curatione congruit veneno *tarantularum*.

Ex omnibus hiſtoriis abunde patet, *deliros* fieri, quos tarantula momordit. De hoc *delirio*, explicaturum ſymptomata, quae aegris ſunt, par eſt aliqua diſputare.

Ita conſtituta eſt oeconomia animalis, ut externorum objectorum in ſenſus organa impreſſa vis per nerveum fluidum in cerebrum continuata, diverſas ibi *ſpecies* formet, animaeque repraeſentet; viciſſim his imaginibus mota mente, ejus juſſu in muſculos adacta ejuſdem fluidi copia, cum arteriarum ſanguine, qui in illo muſculo eſt, omnes motus, & actiones voluntarias maximopere varias perpetret.

Conſtantia hujus ordinis, & habitus denique altera natura faciunt, ut etiam ſine ratiociniis ullis, imagines in mente factae extemplo, & neceſſario motus organorum corporis analogos producant. Itaque quum hae turbantur imagines, ſequitur, ut ſimiles ſint corporis actiones.

His praemiſſis, veroſimiliter dixeris, *delirium* eſſe repraeſentationem menti factam *ſpecierum* ſine ordine, & incohaerenter varie compoſitarum, una cum corporis moribus, plerumque certe, irregularibus, & quaſi contra voluntatem: id eſt, nervei fluidi vagos, & irregulare motus, ut multa objecta animae repraeſententur, hocque facto multa corpus agat, neque tamen iſta objecta ſenſus ferierint, aut anima iſtos corpori motus conſilio imperarit.

Mens ſine dubio omnis motus muſcularis primus fons eſt; noſtris autem in caſibus promptitudine in agendo nimia, & habitu fit, ut quaſi ſuperventa non ante ad ſe redeat, quam quum jam ſe proripuerunt ſpiritus animales ſecundum repraeſentationem *ſpeciei* determinati. Quum bene omnia ſunt, dicimur cum ratione agere, quum modo ſc res habent, quem dico, perturbatio mentis dicitur, hoc eſt *delirium*; etſi manifeſtum ſit non rationalis noſtri partis, ſed corporeae culpam eſſe: tales enim re vera *ſpecies* menti offeruntur, quas ex lege oeconomiae noſtrae ſequi neceſſe eſt motus congruentes.

Ita exempli cauſſa, ſi nullo nocivo corpore praeſente, liquor nerveus ita moveatur, quemadmodum movetur ab impreſſione dolorem faciente; neceſſe eſt corpus illa agere, quae fiunt, quum metus, ira, pathemataque ſimilia in muſculares partes ſpiritus concitant. Spectator autem aliquis, qui harum repraeſentationum cauſſam nullam videt, non morabitur concludendo, hominem, quem talia facere videt facere ea ſine ratione, hoc eſt, eſſe delirum, maxime ſi tumultus, & confuſio ſpirituum tanta ſit, ut non una

ſola, ſed multae diverſae *ſpecies* eodem tempore animae offerantur: talis enim homo, quae ſunt gaudentis, iracundi, timidi *&c.* agere pateſt nullam ejus rationem habens conſpiciendam; atque omnia eodem fere momento temporis.

Vt verbo dicam, *deliria* ſunt ſomnia vigilantium. Quae ſomnia quum ſint dormientibus infinite varia, & varie mixta, omnia ab eadem communi cauſſa diverſimode premente nervorum orificia, ut repercuſſio fluidi varia fiat; quumque omnibus notum ſit, in tanta confuſione imaginum menti oblatarum ſequi, etſi corpus perfecte quieſcere videtur, motus eos organorum, qui ſolent a determinatis ex arbitrio animi ſpiritibus fieri: reſtat nobis inquirendum, quae corpori a veneno factae mutationes poſſint cauſſa eſſe hujus confuſionis, & tumultuationis ſpirituum, adeo mirabiles, & paene contrarias imagines daturae.

Plurima ſymptomata in morſis a tarantula, eadem initio ſunt, hoc eſt, antequam ad delirium uſque aucta proceſſerunt, quae viperinus morſus facit; non itaque dubitandum eſt, quemadmodum ante jam obſervavi, vulgarem araneum perforare cutem forcipe adunco, & eodem momento ſtillare ex *proboſcide* in vulnus liquorem venenatum, ita ſimiles hujus forcipe (*a*) emittere agilem, & penetrabilem ſuccum.

Ignea haec gutta, quemadmodum fit in ceteris venenatis animalibus, ad fermentationem concitat nerveum liquidum. Sequitur febris, ſecretio hujus fluidi in cerebro, atque adeo ejus in organa fluxus turbatur; impreſſiones ab objectis externis inflammatos nimis afficiunt; immo, etiam ſi illae nullae ſunt, adeo diſſoluto oeconomiae animalis ſtatu, ſpecies, imagineſque animae ſe offerunt, & reſpondentes, id eſt, irregulares motus corporis efficiunt.

Plura in hanc rem dicentur proximo tentamine. In praeſenti ſufficiat notaſſe, imagines, & actiones generatim analogas fieri temperamento aegri; atque eo impulſum iri ſpiritus, quo ſecunda valetudine frequentius miſſi erant: iſtae autem partes, quae ſoleant eſſe in regionibus, & hominibus fervidis, omnibus notum eſt.

Probabiliorem etiam hanc theoriam facere poteſt, quod *Baglivius* (*b*) in ſecto cuniculo, a tarantula occiſo, invenit ſubſtantiam cerebri prope originem nervorum paullum inflammatam, paſſim cum lividis maculis; magnam copiam extravaſati feri ſupra cerebrum, qui generatim ſunt effectus circulationis ſanguinis ſufflaminatae vitio ſecretionis fluidi nervei.

De curatione, quae paene ridicula videtur, obſervandum, non eſſe animum ſaltandi aegris, antequam muſicam audiunt: invitati reſpondent, impoſſibile eſſe, vires ſibi deficere. Itaque quod exſiliunt ad primum inſtrumenti ſonum, faciunt quemadmodum reliqua omnia; omnia externa corpora nimios effectus in ipſorum nervos, & horum diſtemperatum fluidum exſerunt, hique adeo ſoni, ſoliti jungi ſaltandi exercitio, adque id animare, nunc ad id excitant violenter, & furioſe. Beneficium ſaltatio hoc praeſtat, ut continuo membrorum motu excitati profuſi ſudores auferant ſecum particulas inflammatorias, febriſque in animalibus ſpiritibus incenſa reſtinguatur.

Praeterea autem aliquid, ni fallor, tribui poteſt determinatae vi, & modulationi peculiari tremularum aeris percuſſionum a muſicis chordis in cerebri elaſticas fibras; nam contractilia corpora uno aliquo certo motus gradu ab ambiente fluido afficiuntur; diverſa modificatio, etſi majoris forte gradus motus, nihil ejuſmodi faciet. Docet hoc vulgare experimentum in binis inſtrumentis muſicis ad idem punctum uſque tenſis: percuſſis unius chordis, ſonum alterius chordae edent, atque motus multo major alio modo agitati aeris nullam ſenſibilem earum chordarum vibrationem efficiet. Hoc modo ſunt, qui artificio uſi ſonum aut notam propriam vitro alicui explorandi, voce ad illum ſonum compoſita; cum ea edita forti, & continua, efficiunt, ut primum tremat vitrum, dein rumpatur: quod non fiet, ſi aut demiſſior, aut altior vox fuerit. [*c*]

Boyleus [*d*] a *Scaligero* ſumtam hiſtoriam narrat, equitis *Vaſconi*, quem utricularis tibiae ſonus inevitabiliter cogeret urinam reddere; etſi haec excretio ordinario fiat a contra-

[a] Vid. Tab. III. fig. 5. [b] Pag. 40.

[c] Vid. Morhofii Stentor ΥΑΛΟΚΛΑΣΤΗΣ Kilon. 1682.

[d] Of languid and unheeded motions, cap. VI.

tractione ab arbitrio hominis pendente muſculi veſicae.

Non jam difficile eſt imaginari ſibi, cur diverſo muſicae genere diverſi aegri opus habeant. Diverſimode tenſae ipſorum fibrae iiſdem aeris vibrationibus diverſimode afficiuntur.

Quod adeo obſtinate in hoc exercitio perſeverant, maxime faciunt a ſpectatoribus incitati, atque a maxima ſua ſpe, bene ipſis ceſſurum.

Non eſt, quod quaſi ineptum, & abſonum miremur hoc in morſis a tarantula factum. Antiquis temporibus magnus *muſicae* uſus fuit medico ſcopo, neque eſt dubium, poſſe viribus mechanicis multa bona in quamplurimis mali moris morbis efficere; maxime in mentis aliquibus emotionibus, quibus ſemper ſpirituum irregulares impetus adſunt, ſopiendis forte excitando motus comites contrariorum pathematum.

Ex hiſtoria Regis *Sauli* patet, maturis temporibus notam hanc muſicae vim *Judaei* fuiſſe. Interdum inſaniae inſultibus correptus methodo hac ſanabatur (*a*): *malus* enim *a Domino ſpiritus* nihil, credo, pro more Judaeorum extraordinariis res narrandi, ſignificant niſi furorem maniacum, quo, divino judicio, certis temporibus corripiebatur.

Celebris in hunc ſcopum eſt hiſtoria in *Galeno* (*b*) legenda, qui narrat: " *Aeſculapium* " ſolutum fuiſſe, quibus violenti animi mo- " tus corporis fervidam temperiem induxiſ- " ſent, melodiis, & cantu mederi. " *Pindarus* (*c*) idem memorat: atque hinc omnino non ſolum idea, ſed & ipſum nomen *incantationis* (*charming*) (*d*) originem duxiſſe videtur.

Ita *Athenaeus* refert, *Theophraſtrum* in libro de Enthuſiaſmo dicere: " Iſchiadicos do- " lores ſanari, ſi quis ſit, qui *Phrygia* harmo- " nia locum demulceat. " (*e*) *Coelius* etiam *Aurelianus* eodem alluſivo ſenſu vocat hanc curationem, *decantare loca dolentia*, *quae quum ſaltum ſumerent palpitando*, *diſcuſſo dolore*, *miteſcerent*. (*f*) Quod valde congruum illis, quae ego paullo ante obſervavi de mechanica muſicae vi in elaſticas cerebri fibras, qua vi impulſi ſpiritus animales in partes affectas excitant, ibi motus curationem abſolventes. Praeterea, quod & *Athenaeus* inquit, ad *Phrigicam* harmoniam tibia adhibebatur, inſtrumentum omnium, quae antiquis nota erant, maxime ſonorum, & vehemens, utique quum dicatur ad furias, & rabiem audientes concitare (*g*): tali ad tarantulae venenum opus eſſe inſtrumento dixi.

Aulus Gellius (*h*) non ſolum hanc *Iſchiadici* mali curationem, ut ſatis vulgo notam memorarat, ſed etiam ex *Theophraſto* addit: " Tibiae recte modulatum ſonum ſanare viperinos morſus. "

Neque ſolum *Apollonius* (*i*) mentionem facit methodi hujus in curandis mentis emotionibus, epilepſiis, compluribuſque aliis morbis; ſed etiam *Democritus* (*k*) olim in libro de vulneribus docuit: *Plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentione tibiarum*. Quod Thales agendo confirmavit, qui arceſſitus a Lacedaemoniis ad abigendam peſtem, fecit id ope muſicae (*l*).

Haec omnia exempla docent, antiquum valde hoc remedii genus plurima ad mala fuiſſe. Quum *Coelius Aurelianus* (*m*) obſervarit, ipſi *Pythagorae* primum ejus uſum tribui; *Pythagoras* autem ſedem fixerit, ſectam collegerit in ipſis illis Italiae locis, quae ſunt tarantularum patria, tum notis nomine *magnae Graeciae*, nunc *Calabriae*, valde, credo probabile eſt auctorem, & inventorem hujus moris fuiſſe, inde ab ipſius temporibus ad noſtra continuati; maxime quum *Jamblichus* affirmet, non ſolum muſicae uſum in medicina (*n*) adhibuiſſe, ſed ſigillatim harmonias excogitaſſe ad animi pathemata compeſcenda,

R 2

(a) 1 Samuel. cap. XVI. (b) de Sanit. tuenda, lib. 1. cap. VIII.
(c) Pythior. Od. 3. μαλακαῖς ἐπῳδαῖς, *mollibus incantationibus*. Vid. ibid. ſcholia.
(d) A carmine. (e) Deipnoſoph. L. XIV. pag. 624. Ἰσχιαδικοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν εἰ καταυλήσοι τὶς τοῦ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ.
(f) Morb. Chronic. I. v. c. 1. (g) Vid. Bartholin. de tibiis veterum. I. 1. c. 9.
(h) Noct. Atticar. I. IV. c. 13. (i) Hiſtor. mirabil. (k) Apud Aul. Gell. loc. citat.
(l) Plutarch. de muſica. (m) Loc. ante cit.
(n) De Vit. Pythagor. cap. 25. πρὸς δηγμοὺς βοηθητικώτατα μέλη, *contra morſus aptiſſima carmina*.

da, aliaſque curandis morſibus.

His utilibus muſicae viribus in medicina, mea ratiocinia confirmaturum, exemplum addam memorabile nocui effectus in beſtia, quod ingenioſus aliquis vir a ſe viſum mihi narravit. Fidicen ſaepe obſervaverat, canem in conclavi, in quo canebat, ſemper uno aliquo ſono affici, ululare, & aegre ſe ferre monſtrare; aliquando experimentum capturus in eadem chorda tamdiu oberravit, ut denique nimis acute ſentiens canis convulſus moreretur.

Finem dicendi de *tarantula* facio animum advertendo, quod proximo anno ſymptomata redeunt, id calori enormi horum menſium deberi, venenoſi fermenti reliquias de novo excitanti. Ita *Bartholinus* (a) hiſtoriam narrat melancholici medici *Veneti*, quem ſolis canicularibus diebus hic morbus adoriebatur, quotannis cum illis rediens, cum illis diſcedens: manifeſto argumento, quanta caloris vis ſit in omnibus his caſibus.

TENTAMEN III.

DE CANE RABIDO.

VEneni canis rabidi terribiles effectus adeo ſe in diverſis diverſimode exſerunt, ut explicationes auctorum, ut plurimum ad ſolum aliquem caſum factae, diverſiſſimae ſint, ſeque mutuo deſtruant. In ſymptomate quidem primario omnes conſentiunt, in *hydrophobia*, quam dicunt, etſi non ſatis juſte; ſed reliquae comites turbae adeo narrantur varie, ut vix credas de eodem ipſis morbo ſermonem eſſe.

Primum itaque hiſtoriam hujus morbi narrabo concinnatam ex obſervationibus in ſatis magno aegrorum numero a me collectis; deinde de rationibus quaeram, cur hic fatalis morbus tam varius, & interdum quaſi larva abditus appareat.

Vulnus, quod facit canis rabidus, nulla in re differt a vulnere, quod ſanus fecit, neque difficilius ſanatur: longumque temporis ſpatium intercedit, donec malum oſtendere ſe incipit. Exempla ſunt latuiſſe per binos, tres, ſex menſes, immo ſunt, qui dicant, ad integrum annum, & ultra. *Galenus* (b) ipſe vidit poſt annum demum malum prorupiſſe; ego memini me videre poſt undecimum menſem. Adoritur autem ordinario intra trigeſimum, aut quadrageſimum diem, ſaepe etiam citius, interdum decimo quinto, aut decimo ſexto die, in juvenibus.

Malum accedens hoc fere modo conſpiciendum ſe praebet. Sentitur dolor in parte vulnerata paullatim ad vicinas progreſſus, ſequitur laſſitudo cum aegritudine omnium membrorum. Deinde aeger cogitabundus, & triſtis ſomno turbato, noctibus inquietis, queritur de lipothymia, animi abjectione, ſigillatim de pectoris oppreſſi ſenſu. Pulſus intermittitur, nervi tremunt, ſudores frigidi ſunt, ex nauſea, ſtomachi aegritudo, ciborum proſtratus appetitus: ſentit internum calorem, & ſitim, potum flagitat; cibos autem, maxime liquida deglutit ſumma cum difficultate. Omnia haec augentur, & proximo die ob maximam hanc difficultatem, & dolorem in deglutiendo, omnia jam liquida ita exoſus eſt, ut ad primum aſpectum eorum convulſionibus, & agonia corripiendus jam non guttulam admittat. Ab omni tempore haec *hydrophobia* credita eſt certiſſimum ſignum hujus veneni, & diſcrimen hujus ab omnibus aliis morbis eſſe, quippe numquam, niſi rariſſime, in aliis obſervandum.

Tum ſolet febris eſſe, cum pulſu veloci, debili, nullus eſſe ſomnus, vox rauca, ſaliva in ore colligi, in adſtantes exſpui; convelli totum corpus, maxime *muſculi erectores penis*, ut perpetuus *priapiſmus* ſit. Dum haec tragoedia luditur, morte ſemper intra binos dies finienda, *delirium* accedit, interdum cum terribili rabie, & furiis, conatibus ad inferenda quaelibet damna etiam cariſſimis amicis, & neceſſariis: ſaepius autem ſine *furore* delirium iſtud eſt, de genere *melan-*

(a) Hiſtor. anatom. Cent. 2. H. 26. (b) Comment. II. in I. Prophetic. Hippocrat.

lancholicorum, miſer mortem exſpectat, ad eam ſe componit, monet adſtantes, caveant, ne ipſis damnum forte inferat; rogat, ne amplius moleſti eſſe velint: denique magis magisque parva, & anhela reſpiratione inter convulſiones moritur.

Multi veterum mentionem hujus morbi fecerunt, *Dioſcorides*, *Galenus*, *Aetius*, *Aegineta*: copioſius autem nullus eorum deſcripſit, quam *Coelius Aurelianus* (*a*), qui ex ſcriptis Graecorum medicorum, maxime *Sorani*, de ſecta methodicorum, collegit, & obſcura maleve latina dictione enarravit omnia ſymptomata, multa cum opera, & accuratione. Nomina recentiorum auctorum videantur collecta a diligenti obſervatore *Stalparto vander Wiel* (*b*), cui addatur Doctiſs. *Liſterus*. (*c*)

Magnam facem ad cognitionem abſtruſae hujus morbi naturae accendunt plane ſingularia phaenomena in progreſſu morbi; quae in omnibus aegris minore majoreve gradu, in univerſum non valde variabilia ſpectanda ſe exhibent:

Omnibus commune eſt, aegre ferre impreſſiones objectorum in ſenſus. Omnis ſenſus dolorem facit. Levis attactus, aut frictio membrorum laedit. Minimus ſtrepitus offendit: quum janua clauditur, aperiturve, terrentur quaſi ſi domus rueret. Adeo lucis impatientes oculi ſunt, ut nullius candidi corporis aſpectum tolerent. Eodem modo internae membranae teneraſcunt, nec jam amplius ferunt ſenſum quaeque ſuum alioqui ſibi naturalem. Pulmonibus inſuavis eſt frigidus aer: urinariae viae in mingendo moleſtiam ſentiunt. Aſpectus triſtis eſt, aut horrendus cum rabiei, & furiarum ſignis, aut lamentabilis cum luctus, & deſperationis indiciis. Nullus ab initio ad finem febris ſomnus eſt.

Vbi *maniacorum* ſymptomata adſunt, muſculorum vires ad prodigium uſque magnae ſunt. Convulſivo tanto impetu agunt, ut viderim virum in lecto fortibus funibus deligatum rumpere uno omnes niſu, & momento paralyticum mori, ut videretur omnes corporis fibras ultra modum extenſas rupiſſe violentia contentionis.

Hydrophobiam quod attinet, non aquam primis temporibus timet aeger, non reliquos exhorreſcit liquores. Potius ſpectaculo delectatur; ſitiens poſcit potum; mox autem miratur, quae poſſit cauſſa eſſe, qua ſe ſentit impediri, quin hauriat. Excogitat varios modos, tentatque haurire ſugendo ope calami *&c.* mox autem clamat, impoſſibile eſſe. Quaeſitus, qui id fiat, reſpondet, negari potui aditum, ſuffocari ſe, rogat, ne aliud ſibi tentamen imperetur.

Originem indagaturus catenae hujus horrendorum phaenomenorum obſervo, rabiem in cane a febre vehementi effici: frequentem eſſe aeſtate maxime torrida, etſi etiam gelidiſſima in culpa eſſe poſſit. Obſervo etiam non ſudare canes: ſequitur, ut, cum fermento aliquo canis ſanguis agitatur, non poſſit, quemadmodum in aliis animalibus, in ſuperficiem corporis exonerari; ut magna copia ſalinae agiles particolae eo deferantur, quo loco conſtans, faciliſque ſecretio fit, quales poſt *miliares* in humana cute glandulas, *ſalivales* ſunt. Eamque ob rationem in cane rabido multo major eſt copia ſputi, quem unquam in ſano, ſputi autem valde ſpumeſcentis ſive imbuti calidis ſubtilibus partibus.

Ipſe canis in hoc ſtatu adſpectus febrem prodit. Recta ferus curſitat, frendensque inhiat obviis: coenoſa ex ore propendet lingua: graves oculi, lacrimys pleni: non cibum, non potum capit. In mortuo ex rabie cane ſecto anterior pars *durae matris* in cerebro, pollice circiter ſupra ſupercilia, inflammata inventa fuit, ulceribus perforata, unaque etiam *pia mater*, ex quibus ulceribus preſſis tenuis ichor ſanguine tinctus prodiit.

Iam quotidianum eſt obſervare, quod liquores fermentantes ejiciunt vim habere eoſdem motus producendi in alio ejuſdem generis liquido, recte huic mixtum. Eodem autem modo credibile eſt, *ſalivam*, ſuccum inter humanos humores alias etiam ad fermentationem proniſſimum, turgidam igneis ſalinis particulis, a bulliente ſanguine in glandulas iſtas ejectis, quum contigit miſceri per vulnus ingeſtam liquido nerveo alius cujuſdam animalis, non poſſe non hoc nerveum

(a) De morbis acutis, lib. III. (b) Obſervat. Rarior. Centur. I. Obſ. 100.
(c) Exercit. medicinal.

veum fluidum in maximas agitationes coniicere, de more fermenti, quemadmodum in Introductione explicavi, ex quo ſequentur omnia, quae ſequuntur interruptam ſecretionem in cerebro, turbatum circulum ſanguinis, febris cum *delirio*, convulſiones &c.

Quod hoc *delirium* interdum *maniacum* eſt, interdum *melancholicum*, fit a temperamento, & natura aegri diverſis, ad unum aliquod pathema magis, quam ad cetera pronis. Quemadmodum ebrietatis effectus videmus in alio eſſe animi ſerenitatem, laetitiam, gaudium; in alio animi pravitatem, nequitiam, furorem; in tertio aliquo mixtas ridiculas, & alienas actiones; omnia ab una eadem cauſſa, naturales diſpoſitiones intendente. Obſervo etiam ipſos venatores duplicem facere hunc morbum, aliam mordacem, aliam fatuam rabiem dicere.

Paucis, morbus hic eſt febris ejus generis, in quo nervorum maxime liquor patitur violentiam mixtae externae ignae materiae. Sequitur *delirium*, quod pro diſpoſitione corporis aut furoris comitantur ſymptomata, aut deſperationis, ſaepe ex utriſque mixta. Notum enim eſt, mutata ſibi mutuo ſuccedere: *maniam* revera eſſe ſolere melancholiam auctam; nam continuo, & valde abjectus animus, majore magis magisque mali metu tentatur, imaginatio occupatur *ſpeciebus*, terribilium quorumvis, & deſtructivorum, ad quas imagines mens inducitur ad agenda omnia, quae conſtanti naturae ordine poſt eas repreſentationes ſequuntur. Hinc eſt, quod etiam in ordinariis febribus aegri interdum monent, antequam fuerunt, id eſt, monent, de imaginibus formidabilibus, quae denique impotentem mentem ad immanes impetus impellent.

Hydrophobiam autem, etſi vulgo ad delirium pertinere credatur, non eſſe ejus partem, mox apparebit.

Colligi ex deſcriptione mea, ni fallor, poteſt, ſemper aliquo gradu inflammationem eſſe, cum nimia tenſione, & ſiccitate nervoſarum membranarum, nimia elaſtica vi fluidi contenti: hinc acutius quam natura ſua ſentire, ut ſolitae objectorum impreſſiones non gratum amplius ſenſum, ſed dolorem & moleſtiam faciant; intus imagines vividas & fortes adeo eſſe, ut oppreſſa mens ſpiritus ad muſcularia organa pellat *impetu irregulari*.

Horum argumentum, ordinario diſſecta cadavera exhibent vaſa cerebri diſtenta, *ſinum longitudinalem* fluido ſanguine plenum, nec coagulato, ut in plurimis aliis capitis morbis aſſolet: cerebrum ipſum, & *ſpinalem medullam* ſolito ſicciorem: *pericardii* nullum *liquorem*: *pulmones* infarctos: *arterias* pleniſſimas ſanguine fluidiſſimo vix in aperto aere coituro: quae omnia oſtendunt, animales potiſſimum ſpiritus affectos fuiſſe.

Dixi, *hydrophobiam delirii* partem non eſſe, aegri enim febricitantes, & ſitientes ſemper potum appetunt, quam diu haurire poſſunt: denique inveniunt neque edere ſe amplius neque bibere poſſe, utique bibere, minime. Ratio haec eſt. Febris haec eſt de genere *nervoſarum*, & *ſpaſmodicarum*: omnes nervi ſpaſmis tentantur; maxime muſculi deglutitionis convelluntur, perit eorum motus, atque impoſſibile eſt quidquam per oeſophagum demitti. Iubere talem aegrum, ut bibat, eſt poſtulare, ut ipſe ſe ſtrangulet: quod poſtquam invenit ita eſſe, aeque pertimeſcit aſpectum oblati liquidi, ac cultrum collo intentatum, omnique molimine ab ore arcet. Difficilius liquida, quam ſolida deglutiantur, quia inſtrumenta *deglutitionis*, quae ſunt potiſſimum poſterior pars *linguae*, poſterior pars *palati*, ſuperior *oeſophagi*, melius ſolida corpora, quam fluida amplexa unitis viribus potentius premunt. *Epiglottis* etiam, quam accurate oportet deprimi, potentius a ſolido corpore, quam a fluido premitur. Vnita ergo iſtarum vi convulſionibus ſufflaminata, pars fluidi irreptabit in *aſperam arteriam*, ut extemplo ſuffocatio ſequatur. Merebatur igitur hic morbus vocari potius Δυσκατάποσις, difficilis deglutitio, quam Ὑδροφοβία, aquae formido.

Ratiocinia mea illuſtrat, & confirmat, quod & alii morbi ſunt, utique omnes nervoſi generis, quibus formidabile hoc ſymptoma interdum viſum eſt adeſſe. Sunt, qui in malignis febribus obſervarent; (a) & vulgaris melancholia viſa eſt in hoc ſymptoma deſinere. (b)

Ipſe

(a) Schenckius de venen.animal.Salmuth.Obſervat.Centur.II. obſ. 52.
(b) Ephemer.Germ.an.1687.

Ipſe novi ni hyſterici impetus acumine per complures horas adfuiſſe, donec apta medicatione convulſivi gutturis motus ſopiti quieſcerent; vidi etiam comitari palpitationis cordis paroxyſmum ea vehementia, ut nihilo a vera *hydrophobia* differre videretur.

Viciſſim contigit interdum, ut reliqua omnia ſymptomata ſequerentur morſum, fatalia etiam eſſent, *hydrophobia* autem non appareret. Affirmavit mihi doctiſſimus aliquis Medicus, tres ſe eodem anno aegros in *Shropshire* vidiſſe, qui ſolito tempore intra triginta circiter aut quadraginta dies ab accepto vulnere paſſi ſint omnes nervorum turbas, quas deſcripſi, febrem, *delirium*, pectoris oppreſſionem, palpitationem cordis *&c.* tertioque die fatum obierint: nulli tamen, dum melancholica fabula ludebatur, difficilem deglutitionem, ſignaque fuiſſe formidinis aquae.

Ergo *hydrophobia* convulſio topica eſt, raroque, quum univerſae febriles affectiones nervoſi ſyſtematis ad acumen evectae ſunt, deeſt: etiamſi vero abſit, ſpasmi reliquarum ominum partium letales ſunt. Quumque raro haec ſpirituum febris umquam tam violenta ſit, quam nata a morſu rabidi canis, ut deglutitionis difficultatem efficiat; creditum eſt, hoc ſymptoma peculiare huic veneno eſſe.

Maxime in tota re id mirabile eſt, quod tanto tempore jacet latens venenum hoc, antequam palam prodit. Iam ſi, ut dixi, venenata ſaliva in fluidum nervoſum de more fermenti agit, facile eſt cogitare, antequam ſenſibiles effectus fiant, ſolidiores primum cerebri fibras immutari, iſta forte tenſione, & ſiccitate membranarum inducta, quam dixi. Pro varia hominum natura vario tempore hoc fiet: immo contingere etiam poteſt, ut debile forte fermentum in corpore vegeto, ante nihil conſpicui damni inferat, quam accedens infelix aliqua corporis mutatio vires addiderit: quemadmodum de *tarantula* dicens obſervavi, externo calore *delirium* incitari.

Ob eamdem rationem circumſtantiarum forte extraordinariarum acceſſio praeter exſpectationem calamitatem intra brevius temporis ſpatium arceſſet, quam ea ſunt tempora, quae ſupra memoravi. (*) Quotidiana experientia docet, vulgares nervorum morbos cauſſas reditus, & violentiae paroxysmorum ſumere ab internis, externiſque rebus. Addo etiam in quibusdam morbis, in quibus ipſe ſanguis inficitur, & corruptae ſolidae partes, quin ipſa oſſa ſunt longo tempore, quod intra corpus clam agendo terit, venenum latere; donec denique effectu ſe prodat: quod potiſſimum apparet in venereis morbis.

Neque mirabile videri poteſt, adeo viribus diverſum venenum, & variis circumſtantiis mutandum, in quibuſdam ſymptomata quidem convulſiva producere poſſe, ſed non tanta vehementia, ut deglutitio impediatur, neque etiam tempore omni.

Non diu eſt, quod me miles convenit, corpore robuſto, ſemel per menſem corripiendus vehementi anxietate, palpitatione cordis, ſpiritus ducendi difficultate. Momorderat eum canis rabidus ſex hebdomadibus, ante quam conqueri de malo ſuo coeperat. Miſſione ſanguinis, balneis frigidis, pulvere *Lichenis* cum pipere, volatilibuſque medicamentis, dum corripiebatur, effectum, ut paroxyſmi quovis menſe minus violenti denique plane linquerent hominem.

Exemplum digniſſimum memoratu hujus ge-

(*) *Habet hoc loco inſerta tertia editio anni* 1745. *haec.*

Memoratu digniſſimus idemque triſtiſſimus eſt caſus, qui aliquot retro annis in *Scotia* contingit. Hiſtoriam ejus habeo a viro ingenioſo, & docto, infelicis aegri agnato propinquo.

Vir juvenis mordetur a rabido cane, eodem mane matrimonium init. Dies, ut fit, conſumitur addita noctis parte, inter gaudia, ſaltationes, potus. Mane invenitur in lecto efferate rabidus; ſponſa, horrendum ſpectaculum! prope ipſum mortua; abdomine dentium ipſius lancinatione aperto, inteſtinis circum cruentes manus volutis.

Sanguinis, ſpirituumque aeſtus, a nimio motu, & vino, magis etiam a vehementia paſſionis inter primos impetus conjugalium amplexationum, ſine dubio oportuniſſimus fuit veneno, ut intra non integras viginti quatuor horas, ad eum gradum auctae proceſſerint vires, quem non attingere ſolent totidem diebus.

generis vir mihi aliquis narravit indubiae fidei. En illud. Femina nobilis in *Yorkshire* a cane rabido mordetur in digiti anteriori parte. Menſe poſt dolorem in hac parte percepit, continuatum uſque ad humerum, creditumque rheumaticum. Rediit hic dolor quovis menſe, accurate die ante plenilunium, durare ſolitus per ternos dies. Poſt quindecim menſes *hydrophobica* tertio die obiit. Tum amicis in memoriam rediit morſam tanto antea tempore fuiſſe.

Lunae non nullam eſſe in hoc morbo vim equidem certus ſum. Quomodo in corpus humanum luna agat, alio loco explicare tentavi (*a*): quo quae dedi argumenta, quum recuſari nequeant, maxime ad nervoſum fluidum attinentia; par eſt, non dubitare, eamdem vim eosdem effectus praeſtituram in morbo, in quo hoc fluidum ita affectum eſt, ut in nullo alio magis.

Perluſtrando hiſtorias aegrorum, quibus adfui in deplorando hoc ſtatu, obſervavi plus quam dimidium numerum tentatos fuiſſe ſpasmis hydrophobiam praegreſſis, aut accurate plenilunium quum eſſet, aut die ante. Quod ſi hic lunae influxus ſolum, quia interna forte magna aliqua cauſſa ſimul agit, efficax dicendus eſſet, non poſſet non interna haec cauſſa ſaepe etiam non expectato externe auxilio foras prodire.

Sed tempus eſt accedendi ad curationem, aut potius ad medicationem impedituram effectus terribilis hujus veneni. Omnes enim uno ore auctores affirmant, quam primum *hydrophobia* apparuit, vix jam ullam ſpem ſupereſſe: ratio ex diſcriptione noſtra patet, triſtis ſcenae ultimorum in agone cônatuum naturae denique hoſti ceſſurae.

Prima cura vulneris eſt. Antiqui medici (*b*), quos recentiores (*c*) ſequuntur, ſuadent, ubicumque loci fert ratio, incidendo majus vulnus facere; imponere cucurbitam; urere ferro candente; ulcus fluens per complures dies medicamentis allicientibus ſervare.

Equidem non poſſum non profiteri, omni mihi iſta ſeveritate non videri opus eſſe. Scopus eſt allicere venenum: ſed quum oſtenderim, nervoſum liquorem extemplo imbui, damno oportet datum locum eſſe, antequam iſtà omnia applicari poſſunt.

Mea igitur opinione, quum nihilominus credam aliquem forte tamen uſum eſſe poſſe fluxus ex loco affecto, ſatis eſt, aliquantum vulnus dilatare, inungere *Unc. Baſilic. nigr.* addito pauco *Mercur. praecip. rub.*, pro digeſtivo.

Contingit utplurimum, ut vulnus forte parvum coalitum ſaneſcat, antequam aeger opem poſtulat. Ob hanc rationem, & quia parum intereſt, ſive ſanetur vulnus, ſive minus, in ſcriptione, quam ante aliquot annos imprimi curavi & diſtribui, cum titulo hoc: *Curatio certa morſus canis rabidi*, nullius externe applicandae rei mentionem feci; eoque magis, quod cogitabam, ſi magni momenti iſta extrinſecus applicanda putentur, fore ut terreantur, qui neglexerunt, & cogitent, alteram curationis partem ſine iſtis jam ſucceſſu cariturum. Ego pro certo audeo affirmare, ſive extrinſecus applicatum aliquid fuit, ſive nihil, ne ſemel quidem me meminiſſe hanc methodum ſucceſſu carere, ante *hydrophobiam* quidem adhibitam: per annos autem plus quam triginta, praeter experimenta, quae tum intra urbem, tum in provinciis medici fecerunt, ego uſus ſum millies. Saepe optabam, ut in alio ullo morbo remedium mihi eſſet aequae *certum*. Explicabo jam ipſam methodum meam.

Antequam ad exponenda ſingula progredior, non alienum eſt mentionem iniicere potiſſimorum remediorum, quae olim in uſu ad hunc morbum fuerunt: hinc enim apparebit, omnibus temporibus easdem *intentiones* fuiſſe, ad obtinendum autem ſcopum diverſis viis itum eſſe.

Incomptae farragines *Theriacarum*, *Antidotorum*, ſpecificorum, &c. ſive antiqua ſint, ſive recentiora, plane non merentur memorari. Ridiculum illud *praeſervativum* medicamentum, *hepar* canis rabidi, quod *Plinius* (*d*) ait, potius crudum, quam coctum comedi debere, neque bonus cibus eſt, neque medicamentum bonum. *Galenus* (*e*) obſervavit fruſtra eſſe, & ipſe vidi miſerum puerum rabie mori, qui totum paene hepar tale cupide devoraverat.

Duo

(a) De Imperio ſolis, ac Lunae in corpus humanum.
(b) Vid. Galen. de Ther. ad Piſ. l. I. c. 16. & Aetium l. VI. c. 24. & Celſum, l. V. c. 27.
(c) Hildan. Obſ. Centur. 1. Obſ. 87.
(d) Hiſt. Natur. l. XXIX. c. 5.
(e) De ſimplic. medicam. facult. l. II. c. I.

Duo mihi aut tria medicamenta videntur commendata fuiſſe cum ratione. Primum ſunt *cineres cancrorum fluviatilium*. Hi parabantur, cancros vivos comburendo in vaſe cupreo, igne quod alebant ſarmenta *Bryoniae albae*. Hoc *Galenus* (a) teſtatur, neminem ſine ſecundo ſucceſſu uſum eſſe medicamento & (ante eum *Dioſcorides* (b) affirmavit, eſſe tale, cui fidi poſſit. Hic calcinatus pulvis magna copia dabatur, juſtum cochlear, aut bina quotidie per quadraginta continuos dies, aut ſolus aut potius mixtus pauxillo radicis *Gentianae*, aut *Thuris*.

Alterum medicamentum eſt *Spongia Cynorrhodi* vel *Roſae ſilveſtris* adeo adverſus hoc, & reliqua animalium venena celebre, ut *P. Boccone* (c), qui integrum tractatum de ejus viribus ſcripſit, doceat, in *Sicilia* dici *Sanatodos*, hoc eſt *Panacem*.

Herba etiam *alyſſum* nomen hoc a veteribus accepit a vi, quae ipſi contra rabiem eſſent. Duplex alyſſum erat, aliud a *Dioſcoride* deſcriptum, quod eſt *Leucoii* ſpecies, aliud a *Galeno*, *Marrubii* ſpecies. (d) Huic adde *Allium*, *Agrimoniam*, *Oxylapathum*.

Haec omnia remedia memorabile eſt fortia *diuretica* eſſe; priora duo de *animali*, poſteriora de vegetabilium claſſe. Nam quemadmodum *Raius* (e) obſervavit, *Spongia Cynorrhodi* eſt excreſcentia hujus arboris, quemadmodum quercuum gallae ſunt. Diſciſſa invenitur plena albis vermibus, quibus domicilium eſt; qui ibi vermes per hiemem morati, initio veris papiliones facti nidum relinquunt.

Omnia inſecta diuretico ſale abundant, cujus quum prae ceteris magna copia inſit *Cantharidibus*, doctiſſ. *Baccius* (f) longius progreſſus *ex Rhazis*, & *Joannis Damaſceni* auctoritate ſuadet eos integros per aliquot continuos dies praebere. Hoc ipſi *antidotum* dictum paratur, cantharides infundendo in lac ebutyratum per viginti quatuor horas, deinde ſiccatos cum floribus lentium, vinoque formando in trochiſcorum formam, pondere ſcrupuli, quorum unus quotidie vorandus eſt: quo remedio affirmat, etſi urina cruenta redditur, hoc ſymptomate largo lactis potu imminuto, *hydrophobiam* feliciter praeventum iri. *Boccone* etiam docet, in Vngaria ſuperiori contra hoc malum ſolere dari quinque una homini cantharides, plures beſtiis. (g)

Denique addo *Aetium* (h), qui, quae potuit, collegit medicamenta antiquorum medicorum, affirmare ſibi ipſi notum eſſe ſenem, qui ſola *Acetoſa communi* ſanaret morſos. Decocto hujus plantae eluebat vulnus, ipſam pro cataplaſmate imponebat, potui addebat: quo facto aegri urinam turbidam copioſam reddebant.

Apparet inde, tutiſſima omni aetate remedia contra hoc venenum fuiſſe, quae ſecretionem copioſam urinae efficiunt. Hoc cogitans aequum judicavi cum publico communicare facile ſequendam methodum, qua febrim longo poſt morſum tempore vitando, & urinae fluxum promovendo conſtanter, aeger a periculo liber praeſtari poſſit. En eam.

„ Mittantur ex aegri brachio ſanguinis
„ unciae novem, aut decem. Recipe *Liche-*
„ *nis cinerei terreſtris*, mundati, ſiccati, in
„ pulverem comminuti unciam ſemis, pul-
„ veris piperis nigri drachmas duas. Horum
„ accurate mixtus pulvis dividatur in qua-
„ tuor portiones, quarum quotidie per qua-
„ tuor continuos dies mane unam aeger je-
„ junus ſumat cum dimidia menſura (pint)
„ lactis vaccini calidi. His quatuor praebiis
„ conſumtis balneum frigidum, aut fontem
„ gelidum, aut fluvium omni mane jejunus
„ per menſem intret: totus immergatur,
„ ſtet autem in aqua, capite quidem emi-
„ nente, non ultra dimidium minutum, ſi
„ valde frigida fuerit. Deinde per alios
„ quatuordecim dies tribus in hebdomade
„ diebus balneum intret. „

Primum hic pulvis publici juris factus eſt in *Philoſophicis tranſactionibus* (i) a *Dampierio* receptus, quod ſibi ejus familia multis annis arcanum ſervaverat; anno 1721. me monitore inſertus eſt *Pharmacopoeiae Lond.* nomine *Pulveris Antilyſſi*. Poſtea hoc in formula ſolum mutavi, ut Lichenis duas partes ad unam piperis adderem, quum antea aequales utriuſque eſſent, quod nimis alio-

(a) Ibid. l. III. c. 34. (b) De Theriac. c. 2. (c) Muſeo di Piante rare, oſſ. 2.
(d) Vid. Fab. Columbn. Phytobaſan. p. 27. (e) Hiſt. Plant. Tom. II. p. 1471.
(f) De Venen. p. 89. (g) Muſeo di Fiſica Oſſerv. 21. (h) Lib. VI. c. 24. (i) N. 237.

qui calidum medicamentum crederem: quum antea bina, aut terna praebia tantum dari ſolerent, ego quarto etiam die repetii.

Lichen, quemadmodum reliqua, quae recenſui, medicamentum eſt celidum diureticum; piper, ni fallor, additum eſt, ut facilius ventriculus ferat lichenem ingratum, & nauſeoſum.

Plantae (*a*), cujus vis adeo celebris eſt, non alienum credo etiam deſcriptionem addere.

Raius (*b*), quantum invenio, primus diſtincte de hac planta locutus eſt, accenſuitque *Lichenibus*. Magnus noſter Botanicus *Dillenius* (*c*) nuperrime deſcripſit exactiſſime, dixitque in tribum muſcorum poſitam, *Lichenoides digitatum cinereum*, *Lactucae foliis ſinuoſis*. Apparet ſubſtantiae mediae inter *fungum*, & *muſcum*, mollis, ſpongioſus, lanuginoſus. Creſcit proximus terræ maxime in ericetis, & nemoroſis umbroſis locis prope radices & truncos arborum; quae quum ſoleant tegi plerumque repentibus muſcoſis herbis, iis collectum Lichen adhaeret.

Invenitur in omnibus regionibus, & obſervatus eſt cum cortice Peruviano ex America allatus.

Folia, dum tener eſt lichen, parva ſunt, ſed excreſcunt ad longitudinem binorum, ternorumve digitorum, cum latitudine unius, diviſa in ſegmenta. Interdum ſola, interdum ſibi incumbentia inveniuntur. In extremitatibus emittunt parva dura oblonga corpuſcula, Botanicis *Peltae* dicta, quae ſine dubio ſunt ſeminales capſulae. Siccato folio cinereus color eſt, nigrior in ſuperficie ſuperiore, dilutior in inferiore. Obſervantur paſſim frequentes venae, a quibus albae parvae fibrillae in terram mittuntur, plantae radices.

Invenitur omni anni tempore, maxime pluvioſo, nempe autumno ad hiemem; quo tempore, quum maxime in vigore ſuo ſit, debet colligi.

Examinavi chemicis deſtillationibus. Quatuor unciae dederunt aquae acidae unciam unam, quinque drachmas, ſcrupulum unum, duo grana; olei aqua gravioris, drachmas duas, ſcrupulum unum, grana ſexdecim; carbonis ſal fixum continentis unciam unam, duas drachmas, ſcrupulum unum, grana undecim.

Pergo dicere de curatione. Vt efficacior eſſet, addidi uſum frigidi balnei, numquam antea hunc in modum commendati. Veteres enim, ut ſtatim dicturus ſum, numquam, niſi quum jam appareret hydrophobia, adhibuerunt; noſtrorum autem hominum vulgaris mos, quam cito poſſunt mittendi aegrum ad proximam ſalitam aquam, eique bis, terve totum immergendi, aperte nihil valet contra morbum menſe demum poſt in conſpectum proditurum, per quod uſque tempus continuanda iſta immerſio eſſet, ſi quidquam boni exſpectare velis: ipſe etiam complures novi futibundos mortuos, qui iſto more tractati erant. Preſſio aquae in ſuperficiem corporis, & conſtrictio fibrorum, minimorumque tubulorum a frigore bona iſta praeſtant. Diſtendo vaſorum a fermentantibus humoribus reprimitur, & urinae fluxus per tot dies conſervatur, donec metus perit nervoſae febris, ſequelae inſtillati veneni. Si aquam marinam dicas dulci graviorem plus premere, ea quidem minima duobus, tribuſve immerſionibus differentia eſt, majore autem fontanae frigore, fontana enim ſolet eligi ad hunc ſcopum, abunde compenſatur.

Ita effeci, ut immerſio in aquam integris ad cavendum hunc morbum viribus periculo ſuffocationis careat, cujus aliquo cum periculo id perpetrabant veteres, ad removendum jam praeſentem morbum. *Celſus*, (*d*) qui primus videtur meminiſſe hujus immerſionis, „ unicum, inquit, remedium eſt, „ nec opinantem in piſcinam non ante ei „ proviſam proiicere, & ſi natandi ſcien„ tiam non habet, modo merſum bibere „ pati, modo attollere; ſi habet, interdum „ deprimere, ut invitus quoque aqua ſatie„ tur: ſic enim ſimul & ſitis, & aquae me„ tus tollitur. „ Haec, paucis ut dicam, eſt alterna ſuffocatio, & refocillatio. Non dubito audacem hanc methodum niti auctoritate *Graecorum* medicorum, ex quorum divitibus loculis ſumta, digeſtaque complexus eſt *Latinus* hic auctor, optimo, quod umquam compoſitum eſt, medicinae ſyſtemate. Vt

ut

(a) Vid. Tab. IV. (b) Vid. Catal. Plant. Angl. ann. 1670. & Hiſt. Plant.
(c) Hiſtor. muſcorum, pag. 200. (d) Lib. V. cap. 27.

ut ſit, celebris *Helmontius* (*a*), incipiente elapſo proximo ſaeculo obſervans methodi hujus felices in *Flandria* ſucceſſus, commendavit vehementiſſime. Vidit ſenem *hydrophobicum* curari ſubmerſione in aquam ſalſam. Primum quatuor minutis infra aquam continebatur, deinde extractus aliis duabus vicibus immergebatur, ſingula per minutum extractum vere pro mortuo Helmontius habuit; calide autem habitus, & ſuper dolium repoſitus hauſtam aquam vomuit, neque ſolum vitam, ſed & integritatem recuperavit.

Narrat aliam memorabilem hiſtoriam *maniae* vulgaris ſublatae immerſione in aquam ordinariam; & hinc recte colligit, nihil intereſſe, ſive ſit ſalſa, ſive dulcis aqua. Pulchre obſervat, cavendum eſſe, ne pro mortuis linquantur ſuffocati: additis memorabilibus binis exemplis hominum, poſtquam jacuerant ſub aqua per dimidiam horam, ad vitam reductorum. Ego etiam hoc loco memini ingenioſum aliquem Medicum mihi narrare, non diu eſſe, quod a ſepulchro virum vindicaverit, qui, quum plus quam viginti minutis in fluvio merſus jacuiſſet, credebatur nihil de ſe ſpei reliquiſſe.

Complures memoriae proditae ſunt hiſtoriae eorum, qui per complures horas merſi ad vitam reducti fuere. (*b*) Hoc debebat excitare ad tentanda omnia in his caſibus, maxime quum non difficile experimentum ſit. Primum fumus tabaci in inteſtina impellendus eſt: deinde calefaciendum corpus concutiendo, & circumvolvendo, & fricando in lecto veſte calida, neque ſi poſt unam alteramque horam conſumtam in bono hoc opere nondum vitae ſigna apparent, deterrere id ſtatim debet: in fine denique ſalia, & ſpiritns volatiles uſui erunt. Neque omittenda ſanguinis miſſio, quamprimum ſatis ſanguinis incaluit, ut fluere poſſit.

Redeo e diverticulo non inutili, ut mihi videtur, ad *hydrophobiam*; & obſervo, ſi iſtiuſmodi *ſubmerſio* adhibenda placeat, faciendum id eſſe ad primum ſtatim iſtius ſymptomatis conſpectum, antequam ad acumen febris pervenit. Tum enim vires deerunt ſuſtinendo impetui, & ſemper tum inveni etiam vulgare balneum laeſiſſe.

At medicis ſuorum ipſorum cauſſa permittere potius, quam imperare experimenta haec conſultum forte eſt; etſi quotidianae ſint curationes multo, quam haec eſt, pericu loſiores, quod quidem tum maxime fit, quum ambiguum eſt, mortuus ne a remedio aeger ſit, an a morbo. Qui tale tentamen facturus eſt, aequa lance ponderare debet periculum experimenti, & morbi, quod ſi majus a morbo eſt, juſtum, & miſertum aegri Medicum cum quadam temeritate medicamenta arripere oportet. (*c*)

Certe humanus hoc factum eſt, quam illud, quod audio in vicina aliqua regione, interdum etiam in noſtra in uſu eſſe, quo ſtragulis miſeros oppreſſos ſuffocant.

Solatio autem maximo eſt, quod omni tempore, antequam horrenda illa ſcena aperi coepit, ſola immerſio ſine depreſſione efficax eſt. Etſi enim praeſtet methodi, quam adhibendam praeſcripſi, initium poſt morſum ſtatim quam primum poteſt, fieri; ubi neglecta tamen fuerit etiam uſque ad unum, alterumque diem, antequam calamitas exſpectanda erat, quod conjiciebatur ab incipiente anxietate, & abjectione ſpirituum, aeque tamen etiam tum ſucceſſus ſecundus fuit.

Antequam hoc argumentum linquo, addendum eſt, quod jam obiter ex Helmontio attigi, hanc frigidae in corpus actionem premendo, & conſtringendo, reddere eam non in acutorum ſolum, ſed & chronicorum deliriorum curatione commendabilem. *Williſius* (*d*) memorabilem narrat hiſtoriam vegetae juvenis feminae, quae per ſeptem aut octo dies inſaniens ejus juſſu media nocte e domo aſportata nuda in fluvium conjecta fuit, in quo nemine ſuccurrente per quadrantem horae circumnatavit; extracta, in lectum repoſita incidit in ſomnum cum ſudoribus profuſis, convaluitque ſine ullo alio medicamento.

Neque vero opus eſt magna de hac re exemplorum congerie. Medicos noſtros, qui maxime in curatione horum morborum verſantur, quotidiana experientia docet, maximam iſti methodo non ſolum ad reſti-

(a) Ortus Medicin. Demens idea.
(b) Vid. Diſſertation ſur l'Incertitude des ſignes de la mort. Paris. 1742.
(c) Celſus. (d) De Anima brutorum, part. patholog. cap. X. de delirio & phrenitide.

tuendos aegros vim eſſe, ſed & ad cavendum, ne in eadem mala relabantur.

Male itaque me habuit, quum legerem in *Phyloſophicis tranſactionibus* (*a*) docti alicujus viri monitum, qui loco balnei frigidi, quod ego commendaram, ſuadet potius calidum „ quia, inquit, frigidum balneum poros occludit, calidum autem referat „ Sane debebat hic vir noſſe, poſt occluſionem iſtam pororum ab immerſione in frigidam ſolere ſequi fervidum calorem, qui relaxatos aperit poros, atque ita perſpirationem auget ſine aeſtu inflammatorio. Vereor autem, ne neque calido, neque frigido balneo elui caput poſſit, ideis adeo non mechanicis occupatum.

Nihil addo, niſi, qui recte conſiderarit *Bellinianam* theoriam morborum melancholicorum, & maniacorum (*b*), facile intellecturum cauſſam, quod tuta haec, & facilis methodus ſtupendos adeo effectus edit, quibus tollitur maxima calamitatum, quae in hominem cadunt.

Reliquas hydrophobiae curationes quod attinet, fateor, mihi eam felicitatem non fuiſſe, ut, quum complures tentarim, ullius eorum ſucceſſum viderem. Miſi larga copia ſanguinem; dedi tertia aut quarta quaque hora opiata; tentavi *ſales volatiles*, *aſam foetidam*, *radicem Valerianae ſilveſtris*, cum aliis *antepilepticis*, magnis doſibus; celebre etiam *Indorum* remedium *moſchum* cum *cinnabari*; applicui *emplaſtra* veſicatoria; refrigeravi nitro, & emulſionibus cum aqua hordeata *&c.* Omnia in caſſum, quia nimis ſero. Quodque plane omnem ſpem amputat, eſt, quod, ſuperatis interdum terribilibus iſtis ſymptomatibus, aegro etiam eo perducto, ut bibere commode poſſet, tamen ille ipſe aeger intra viginti quatuor horas febri, & convulſionibus perire: manifeſto argumento pro modo, quo ego dixi, venenum hoc aegere.

Attamen, quum ad extremum jam deventum eſt, quantumvis triſtis prognoſis ſit, nihil tamen omittendum eſt; contingit enim, quod in centenis fefellit, in uno aliquo ſuccedere. Habeo doctiſſimi *Boerhavii* epiſtolam, in qua accuratione, & judicio ſolitis exponit caſus binos *hydrophobicorum*. In priori ad methodum proditam in *Hiſtoria Regiae Pariſinae Academiae* (*c*) juſſit per non parvum tempus in caput aegri effundi frigidae amphoras, & quarta quaque hora clyſterem injici ex aqua calida, oxymelle ſimplici, & ſale marino. Effectum eſt, ut commode biberet cereviſiam tenuem, & decoctum foliorum altheae, florum ſambuci, & tamarindorum: tamen cum magna hac ſpe periit convulſus intra paucas horas, placidus tamen, & cum ſana mente.

Alter feliciorem habuit eventum caſus: etſi enim cum liquidorum formidine ſpumam aeger ageret, rugiret, fureret cupidiſſimus damni inferendi; largis tamen nitri doſibus, addito interdum *laudano*, & *diacodio*; capite jugi aceti, & aquae roſarum applicatione frigefacto, dato per horam quolibet mane pediluvio ex aqua calida; aceto, & ſale conſtante; alvo aperta tamarindis, ſyrupo violarum, frequenti aquae, & nitri elyſmate; denique continuo fere eſu limonum cum pauco ſaccharo; egregie tandem miſer convaluit.

Addendum autem eſt, omnium uſum coeptum eſſe quatuor diebus antequam aquae formido inciperet; morbi ergo vehementia ſine dubio infracta potenter fuit. Ego autem methodum meam expertus, ut dixi, credo, ut prorſus tota calamitas arceretur, effecturam fuiſſe.

Finem ut faciam dicendi, ſi quidquam auxilii in diſperato iſto ſtatu exſpectari poteſt, credo exſpectandum eſſe a larga ſanguinis miſſione, etiam uſque ad animi diliquium, antequam convulſionibus membranae vaſaque naturale ſibi robur perdiderunt; a nitroſis medicamentis; a copioſo diluente ſubacido refrigerante potu. Vt plurimum autem, quod Graecis de diſperatis morbis dicunt, mors medicus ſanabit. (*d*)

TEN-

(*a*) No. 443. (*b*) Vid. Bellin. de morbis capitis. (*c*) An. 1699. pag. 49.

(*d*) Γατρὸς ἰᾶται θάνατος.

TENTAMEN IV.

DE MINERALIBVS ET PLANTIS VENENATIS.

INterna venena, mineralia, & vegetabilia etſi magna varietate diſtincta, manifeſto congruunt in potiſſimis effectibus, & modo agendi, analogo nonnihil, ut in Introductione explicatum dedi, damno illato a morſibus, & puncturis animalium venenatorum: ut princeps illud diſcrimen ſit, quod aliorum extrinſecus vulnera, aliorum intrinſecus in ſtomacho, & inteſtinis ſint: animalis autem oeconomia eodem ab utrisque modo laeditur.

Medicamentorum venenatorum magna, inquit *Dioſcorides*, varietas eſt, mutationes autem corpori inductae communes, & paucae. (*a*)

Omnium horum pharmacorum maxime violenta, & letifera ſunt, quae de mineralium natura deſumuntur, quibus pondus ſuum, & ſoliditas partium vires, & robur addit, quo in nocendo ſuperant vegetabiles ſuccos. Itaque noxiis quidem plantis pro diverſitate animalium diverſi effectus ſunt, ut innoxiae, immo utiles, & alimentum quibusdam animalibus ſint, quemadmodum (*b*) ſupra obſervavi, quorum quidem ſatis robuſtus eſt ſtomachus ad ſuperanda, & comminuenda corroſiva iſta corpora, & quorum forte ſanguis opus habet ſuppetitiis ignearum iſtarum, & agilium particularum; quae autem mineralibus nocendi eſt facultas nulli, quantum equidem novi ſuperanda, in univerſum nociva eſt deſtructiva.

Primus eſto locus *mercurio ſublimato*.

Nihil hic eſt quam mixtus *mercurio* vivo ſal communis. Etſi enim paretur ſemper additis ſali nitro, & vitriolo, modis diverſis, quorum quem *Tachenius* (*c*) deſcribit, optimus eſt; horum tamen neutrum ipſum pharmacum ingreditur, ſed parando neceſſaria adiiciuntur, conjungentia enim ſe alcalinae ſalis parti, ab hujus vinculis acidum liberant: quod abunde patet ab eo experimento, quod *mercurius* ſublimatus cum eadem nitri, & vitrioli copia neque pondere augetur, neque maligna aliqua facultate praeditur.

Receptum hoc venenum producit violentos lancinantes dolores, cum abdominis diſtenſione; vomitum mucidae ſpumeſcentis materiae, interdum mixtae ſanguine, ejusdem dejectiones per alvum; intolerabilem aeſtum, ſitimque cum ſudoribus frigidis, tremoribus corporis, convulſionibus *&c.* quae omnia patefiunt ex hiſtoria, quam narraturus ſum. (*d*)

Magno cani data fuit cum pauco pane drachma mercurii ſublimati: Quadrante horae poſt coepit vomere effuſe, ejectans ſaepe viſcidum ſpumeſcentem *mucum*, magis, magiſque cruentem, eumdem etiam deiiciens: denique duro labore penitus fatigatus quaſi ad ſomnum ſe compoſuit, proximo autem mane mortuus eſt.

Aperto abdomine multum extravaſati ſanguinis inter hepar, & ventriculum, & inter duplicaturam *omenti* circa ventriculum inventum eſt; inteſtina, & ventriculus diſtenta plena erant ſpumeſcente cruento muco: extus lividi erant coloris, intus tota rubra, & inflammata uſque ad *rectum*. Inter tunicam ventriculi muſculoſam ablatum, & nervoſam grummi ſanguinei inventi fuere compluribus in locis, inventi etiam paſſim in inteſtinis inter eaſdem tunicas.

Eadem ſymptomata, manifeſtaque ſigna urentis roſionis, quam ulcera inteſtinorum ſecuta ſunt, in juvene viro, cui in cibo *ſublimatum* datum fuerat, obſervavit *Baccius.* (*e*)

Quaerendum mihi potiſſimum eſt, quomodo ex corporibus ſolis innocuis miſcela

orta

(a) Ποικίλα μὲν γαρ τὰ δηλητήρια φάρμακα, κοιναὶ δὲ και ȣ̓ πολλά ἐξ αὐτῶν γινόμεναι διαθέσεις, *Varia enim noxia medicamenta, communes autem & non multae ex his exiſtentes affectiones.* Alexiph. p. 399. (b) Vide Introductionem.

(c) Hippocrates chymic.cap.XXIV. (d) Wepfer de cicut.aquatic.p.300.

(e) De Venenis, p.21.

orta adeo deleterea eſſe poſſit. Aeque ac ſal eſt innocuus, etiam conſtat, argentum vivum, quod immeritum veteres, *Dioſcorides*, *Galenus*, *Plinius &c.* venenis accenſebat, in pluribus morbis intus ſumtum tutum, & proficuum eſſe, neque ſolum cum ſulphure, ſaccharo *&c.* obvolutum latet, ſed crudum, neque correctum, neque quod ſine ratione aliqui eſſe poſtulant, mortificatum.

Primi Arabici medici in hanc cogitationem venerunt. Quum Avicenna (*a*) dixiſſet: „ Argentum vivum plurimum qui bibunt, „ non laeduntur eo: egreditur enim cum „ diſpoſitione ſua per inferiorem regionem, hortatum hoc eſt medentes; ut integras libras ejus in *Iliaca paſſione* ingererent: quod ſaepe felici cum eventu fit, neque commodum, quod ponderoſitas ejus praeſtat, aliud malum ſymptoma ſequitur.

Poſtea conſtitit, aut extrinſecus applicatum, aut intus ſumtum mercurium, etſi non ea vi, ut viam ſibi ſtatim per inteſtina patefacere poſſet, moratum adeo aliquamdiu in aliqua corporis parte, nulla corroſiva, aut maligna vi nocuiſſe.

Memini me aliquando copiam ejus invenire in perinaeo hominis a patibulo ad theatrum anatomicum allati, cujus corrupta oſſa docebant, cujus morbi cauſſa, unctione, credo, ingeſtus fuerat, ſine ſignis corrupti loci, in quem collectus erat.

Fallopius (*b*) etiam, & *Braſavolus* (*c*) cum aliis inſignibus viris confirmabant ejus ſine damno efficaciam in curatione vermium, non ſolum in adultis, ſed & tenellis infantum corporibus.

Neque hic ſolus locus eſt viribus ponderoſi hujus fluidi. Qui probe perpenderit ſtatum oeconomiae animalis, quanta mutationum varietas ſit a ſtagnantibus in minimis canalibus viſcidioribus ſuccis, quamque par ſit augeri impulſum, & vim circulantis ſanguinis, cujus ope reſerantur, quae obſtructa ſunt, quum particulas tam fortes, quam ſunt *globuli* mercuriales, ſecum gerit; is, inquam. facile concedet, prudentem uſum argenti vivi efficere poſſe in obſtinatis, & periculoſis nonnullis morbis, quod non licet ſperare ab aliis cognitis medicamentis.

Sed nolo prolixus de hoc argumento eſſe, Doctiſs. *Cheynius* (*d*) penitus omnem explicuit mechaniſmum, quo iſti effectus producuntur. Interim quemadmodum omnia magna medicamenta quo loco acuta inſtrumenta habenda ſunt, ita hoc, ſi quod aliud, cautionem poſtulat, utique majorem quam ſolet in illis inveniri, qui audaciores in uſurpando ſunt.

Negari enim nequit ſolum maximum hujus minerae pondus, quantumvis alias utile, ſi colligi contingat ejus aliquam copiam in interſtitiis filamentorum nervoſorum, ſymptomata periculoſa advehere, ſpaſmos, contractiones, paralyſes, *&c.* quibus ſolemus infeſtatos videre, qui aut diu occupati fuerunt terendo argentum vivum in ſpeculis, aut operam navarunt opificiis, quae cogerent cum ſpiritu mercuriales fumos ducere, aut nimiis unguentis mercurialibus colluti fuere: quod mox oſtendetur.

Neque haec ſola noxa eſt. Experimenta docuerunt, repetitas mercurii doſes interdum ſatis longo tempore, poſtquam ingeſtae fuerunt, vim exſeruiſſe, & in non ſperatas turbas corpus conjeciſſe.

Memini binorum hujus rei exemplorum, quorum alterum lethale fuit, ut datis per complures dies minutis praebiis, violens ſalivatio ſequeretur plus quam binis menſibus, poſtquam ceſſatum ab uſu ejus erat.

Neque diu eſt, quod juvenem feminam hauſtis ſingulo mane tribus diebus drachmis ſex, ſalivae fluxu exerceri vidi trium hebdomadum. Qui tum quidem ceſſant poſt ſex menſes recruduit continuatus per menſem; iterumque rediit eadem vehementia binis poſt menſibus. Spiritus, ut fit, male ſemper olebat. Adeo huic minerae ſoli, & ſincerae magna agilitas eſt.

Decet hinc diſcere, qui utitur lubrico hoc medicamento, ei ſemper eam curam eſſe debere, at liber tranſitus per corpus paretur; quod aut purgationibus fiet, aut iis additis, quae ſecam aut per tranſpirationis aut per urinarias vias auferent: alcaliſationem autem, quam dicunt, ea ne meretur quidem praeparationis nomen.

Jam, ut redeam ad *ſublimatum*, certiſſimum

(a) Can.Med.l.IV. Ten.6. (b) De Morb.Gallic.cap.LXXVI.
(c) De morb.Gallic.inter Auctor de Morb.Gallic.p.599.
(d) New Theory of continual fevers.

mum eſt, a ſalinis particulis noxiam mercurio vim addi; aut, quod rectius dictum eſt, ſali a mercurialibus corpuſculis augmentum ponderis, & *momenti* tantum accedit, ut lancinans ejus roſio plus jam efficiat, altiuſque penetret. Modum, quo id fit, probabile eſt hunc fere eſſe.

Particulae, quibus aggregatis mercurius efficitur, etſi ab igne minutiſſime diviſae, & fumi forma in altum evectae, ſolida, & ponderoſa corpuſcula eſſe pergunt, minimaque quum ſint, ipſa forte ſimplicia, & elementalia corporu, facile intra poros, & interſtitia *ſalimarum* cryſtallorum reconduntur, quue cryſtalli ex ſalinis atomis varie per ſublimationem compoſitae ſcindentes ſunt lamellæ. Harum numquam adeo penetrans vis futura erat, & levium, & facile ſolubilium, niſi mercurius, neque hebetata acie, neque diffracta figura, pondus novum adderet, ſimul vires augens, & ne a ventriculi humoribus ſolvantur impediens, quod ideo hi humores facere nequeunt, quia vacua ſalis ſpatiola, in quae inſinuari diſſoluturi debebaat, a merculiaribus globulis occupata jam ſunt.

Paucis, hae cryſtalli, inſtar tot acutorum cultrorum aut gladiorum vulnerantes, & lancinantes teneras tunicas ventriculi, & abradentes naturalem mucum irritant nervoſum liquidum: quo facto, convulſiones, & vomitus cum enormi dolore ſequi neceſſe eſt. Puncta etiam vaſa ſanguifera inflammationem omnium adjacentium partium efficient, ſanguine ſtagnante: ſuccedunt ulcera, quae ſingula quidem parva, maximo tamen numero ſuo latas *gangrenoſas cruſtas* conſtituunt.

Expoſita natura *mercurii ſublimati*, non alienum credo quaerere, qui fiat, ut idem ille ſublimatus mercurius, denuo cum *vivo* ſublimatus, proportione, quae eſt partibus quatuor ad tres, nam non recipit *ſublimatus* aequam partem vivi, maxime ter quaterve ſublimatione repetita, adeo corroſivam vim deponat, ut in medicamentum mutetur tutum, & ad multos morbos nobiliſſimum. Neque enim video chemicum ullum ſcriptorem ad veram explicationem hujus phaenomeni deveniſſe.

Id ergo cogitandum eſt, quum ſalinarum cryſtallorum vis in ſoliditate, & magnitudine poſita ſit, quavis ſublimationum ſe ſequentium comminuendas eſſe cryſtallos in particulas magis, magiſque parvas. Mercuriales globuli, ob rationes dictas ab auctore *theoriæ febrium*, cujus mentionem feci, citius, & facilius, quam ſalia in altum lati linquuunt interſtitia ſalium, hoſpitia huc uſque ſua, laminae autem ſalinae ab ignis vi magis, magiſque dividuntur: quo facto, nova partium adunatio ſequitur. Etſi enim major nunc minerae copia cum ſale, quam ante ſit, quo fit, ut majus ſpecificum pondus ſit mercurii dulcis, quam corroſivi, hic enim ſalis binas, mercurii unam partem continet, dulcis autem, recte ſi ſit paratus, aequam utriuſque copiam; tamen quum cryſtallorum comminutarum fragmenta coeant in parvas maſſas diverſae figurae ab illa, quae antea ipſis erat, ſcindentes hi mucrones nimis nunc parvi ſunt, quam ut vulnera ſatis profunda faciendo aeque fiant noxii, & letiferi; ita ut vellicando ſolum, & pungendo ſenſiles ventriculi membranas excitent ad excernenda contenta, & glandularum ſuccos, ſurſum aut deorſum pro gradu irritationis majore minoreve.

Ita vehementiſſimum venenum miteſcens medicamentum fit vomitorium, aut purgans: quin facile fieri poteſt, in robuſto praeſertim corpore, & ſicubi contra medicamenti ſtimulos defenſa inteſtina ſunt, ut iſta vellicatio ne ſentiatur quidem, & plane non moleſtum ſit. Tum globuli mercuriales depoſitis quidem maximam partem ſalinis ſuis particulis in *primis viis*, aliquarum tamen pauearum retinentes conſortium, celeriter in ſanguinem tranſeunt, quo delatas oportet mox motu, & pondere ſuo omnium liquorum praeter naturales adhaeſiones diſſolvere, maxime eorum, quos minimi canales vehunt maxime viſcidos & tenaces, reddere fluidiores, tenuiores, ad ſecretionem aptiores. Quo facto, omnes in corpora glandulae ad officia ſua quaſi excitantur & emunguntur ſuccis ſuis, maxime ſalivales, quae multae, & magnae & laxae, ſuccum etiam ſecernunt viſcidum & tenacem, cujus, antequam ex orificiis ductuum exprimitur, magna cumulatur copia. In his ergo glandulis prae ceteris magni ſunt mercurii effectus, cujus agiles particulae antequam aut hac aut iſta via ex corpore ablegantur, non ceſſabit ſalivae fluxus.

Idem.

Idem diſcrimen, quod mercurio corruſivo, & dulci eſt, major minorve virium gradus, diſtinguit etiam a ſe invicem reliqua hujus minerae praeparata, quae complura quum ſint, effectus praeſtant in corpore varios; pro varia combinatione globulorum mercurialium cum ſalibus, & prouti magis minuſve mucrones ſalium vis ignis retudit, ſuperaccenſis ſpiritibus ardentibus ſimilibuſque artificiis; itaque etſi ornata ſplendidis nominibus, *Arcanorum*, *Panacearum*, *Pulverum Principum &c.* nihil tamen praecipui habent, quod non aeque ſperare liceat ab aliis maxime vulgaribus & ſolitis chemicis operationibus.

Apta inde argumentatio eſt, excitandi ſalivationem tutiſſimum modum eſſe datis intus medicamentis; damna enim, ſi qua ab his metuere velis, metuenda magis ſunt ab externo uſu mercurii, tum quia, quemadmodum dixi, globuli mercuriales intime adunati ſalibus, in compluribus, ut intus ſumi poſſint, praeparatis mercurialibus, horum ſalium irritatione facile omneſque reiiciuntur per organa ſecretoria, donec plane eorum pondere ſanguis ſe liberavit, quum e contrario in unctionibus mercurialibus numquam poſſis non dubitare, an non in interſtitiis fibrarum, aut oſſium cellulis reſiduae aliquae ſint ponderoſae particulae; tum quia, ſi computes copiam mercurii intus ſumti doſibus ad ſalivationem neceſſariis, atque ejus pondus ingeſtum, dum unctione res geritur, hoc illo multo majus eſſe invenietur, ut incommoda ab utroque modo timenda in eadem ratione eſſe par ſit.

Externus ergo argenti vivi uſus commendabilis maxime eſt in corpore, cujus integrae ſunt vires, aut ſicubi ulcera tumoreſque *linimenta &c.* ſibi poſtulant, aut penitiore corporis purgatione opus eſt. Atque etiam tum praeſtat certe non niſi parvam quotidie copiam unguentis addere, neque ſputationem maximam ciere; ſed integras ſervare reliquas ſecretiones, maxime urinae & ſudoris copioſo potu tenuis liquidi; medicamentis etiam alvum laxantibus, ſi his locus ſit: notum enim eſt, ſaepe curationem abſolvi non ulcerato a mercurio ore. Saltem per aliquod tempus remedium hoc ſufficiet, ut colligere recentes vires aeger poſſit, quibus ſuſtineat, ſi opus forte fuerit, ſeveriorem, medicationem.

Obſervari velim, adhibitum primum mercurium fuiſſe in unguentis & emplaſtris ut horum malis effectibus pleraque praejudicia & imputata mercurio crimina debeantur. Ab *Arabibus* (*a*) enim didicerunt, qui primi auſi ſunt luem veneream hoc medicamento ſanare, qui Arabes quum mercurialia unguenta contra *lepram*, & *ſcabiem* commendarint, occaſionem *Italicis* Medicis dederunt tentandi, quid efficerent contra foetidatem cutis a novo & horrendo contagio: neque parci linimentorum; per duodecim, quindecim, interdum per plus quam triginta dies continuos illa affricabant. (*b*) Ut mirum non ſit in ſymptomata ſaepe pervicaciſſima incidiſſe ſeveritate ſua, & mercurium interdum, ut ipſorum aliqui affirmant (*c*), in adroſis aegrorum oſſibus inveniſſe, quos non minus forte medici, quam malum una ipſum afflixerunt.

Complures in hanc rem hiſtoriae exſtant; neque vivorum deſunt exempla, quibus ex tumore, aut ſuppuratione, aut cauſtico medicamento aperto *mercurius* effluit; quin relatum legitur, ex aperta vena cum ſanguine nonnullas mercurii drachmas manaſſe. (*d*)

Examinatis *mercurii* qualitatibus & viribus, addam examen naturae alius *mineralis veneni*, neque ſtructura ſua, neque agendi modo multum diverſi, *Arſenici*.

Confuſa ſunt, quae auctores de hac minera dicunt. Fit id, quia veterum *arſenicum* non diſtinguunt ab eo, quod nunc arſenicum dicitur. Exacte ergo utrumque deſcribam, non ſolum uſus recentiſſimis hiſtoriae naturalis auctoribus, nam quae *Agricola*, *Matthiolus*, *Schroeder*, ipſeque *Wepferus*, auctorum

(a) Vid. Joan. Baptiſt. Montan. tract. de morb. Gallic. inter auct. De morb. Gall. p 482. & Fallop. de morb. Gall. cap. LXXVI. (b) Nicol. Maſſa de morb. Gall. tract. IV. cap. 2.

(c) Argentum vivum accepi ex oſſe cujusdam corrupto, quem perunctum ab empyricis plus decies ferebant, non ſemel emanaviſſe. Anton. Gall. in lib. De ligno ſancto non permiſcendo.

Non ſemel in ſepulchris argentum vivum in mortuorum capitibus reperi. Anton. Muſa Braſavolus in tract. De morb. Gall.

(d) Vid. Ephemerid. Germanic. Dec. 3. ann. 5. Obſerv. 172.

rum his de rebus adhuc optimi, quum primum hic liber ederetur, habent de arſenico, omnia falſa ſunt, ſed potiſſimum experimentis, quae mecum communicavit doctiſſimus *Hampe*, excellens in chemica arte, medicus Sereniſſimae Walliae Principis.

Arſenicum Graecorum, Ἀρσενικόν, ſive Ἀῤῥενικὸν, id fuit, quod *Latini auripigmentum* dicunt, Angli *Orpiment*.

Invenitur in Graecia, & Vngaria in propriis venis, numquam cuiquam alii minerae mixtum. Componitur ex foliolis, & lamellis, continetque multum ſulphuris, quod, quia inflammabile eſt, apparet, & quia *mercurio ſublimato* mixtum veram *cinnabarim* efficit. Solum fuſum, & formatum in maſſam *Sandaraca* dicitur. *Regulum* quidem praebet ex omni parte ſimilem *regulo* veri arſenici, vim tamen non habet admodum venenatam. *Hoffmannus* (*a*) largam ejus copiam cani dedit, cui nihil nocuit. Ratio eſt, quia metallicae partes ſulphuri, non ſali adunatae ſunt, certe hujus minime portioni.

Ita compoſita haec materia utilior pictoribus, quam medicis eſt, & colore praeſtringens induxit Medicos, qui ſibi transformari metalla poſſe finxerunt, ut hoc ſubjectum crederent magni operis, ita enim dicunt auri confectionem. Spem, quam deperibant, alebant abſurdi aliqui aenigmatici verſus *Sibyllinorum Oraculorum* (*b*). Quod aenigma etſi docti aliqui viri conati ſint explicare de *Graeca* voce Ἀρσενικὸν, ſatis tamen nemo eorum felix fuit, ut omnino quadrarent numeri, in verſibus expreſſi, cum numeris, quos continent literae vocem iſtam efficientes (*c*). Quidquid autem hujus ſit, id certum eſt, ſpem ab hac minera conceptam non eſſe recentiorem *Caligulae* temporibus, multo adeo antiquiorem, quam pleraeque iſtarum precario, & inepte excogitatarum ſententiarum, quibus ſacrum *oraculorum* nomen datum fuit: iſtum enim avarum Caeſarem *Plinius* (*d*) narrat, juſſiſſe magnam auripigmenti copiam fundi, excoquique aurum, effectum etiam aliquid eſſe, ſed, ut ſolet talia experimenta facientibus contingere, non fuiſſe par ſumtui lucrum.

Nunc quod vocamus *Arſenicum* triplex eſt, album, flavum, rubrum. Omnia ſunt factitia, omnino, ut videtur, veteribus ignota. Parantur hoc modo.

Schneebergae in *Miſnia* magna copia invenitur peculiare minerae genus *cobalt* dicunt, griſeae, ponderoſae. Tota, & calcinata in fornacibus ad hanc ipſam rem ſtructis, album fumum emittit, qui colligitur in ſupremo longo convergente fumario, inſtar pulveris, coloris cinerei, ſubtilitatis florum. Hic pulvis addita cinerum clavellatorum juſta copia ſublimatus praebet arſenicum album cryſtallinum (*e*).

Reſtans terra metallica vitreae naturae, cum jaſta portione calcinatorum ſilicum, & cinerum clavellatorum fuſa dat *Smaltam* dictam. Continentur *Cobalto* tres circiter partes *Arſenici*, una hujus terrae.

Recens ſublimatum, & perfecte purum arſenicum ſplendens, album, tranſparens eſt non diſſimile metallico vitro: in aere commutato albo ſplendente in lacteum colorem penitus opacum fit. Non ardet in igne, ſed totum in fumum abit, nulla relicta terra, odorem ſpargens alliatum. Praebet ſemimetallicum regulum, ſublimatione & praecipitatione. Ille foliaceus eſt, levis, ſpongioſus, praecipitatus eſt ponderoſus, ipſe etiam texturae foliaceae, ſimilis *biſmutho*.

T Pa-

(a) Obſerv. Phyſico chym. I. Obſ. I.

(b) Ἐννέα γράμματα ἔχω, τετρα σύλλαβος εἰμὶ, νόει πο,
Αἱ τροῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάτη,
Ἡ λοιπὴ δε τὰ λοιπα, καὶ εἰσὶν ἄφωτα τὰ πέντε,
Τȣ παντὸς δ' ἀριθμȣ ἑκατόνταδες εἰσὶ δις ὀκτώ,
Καὶ τρεῖς τρὶς δεκαδες, καὶ δις τρία. Lib. I.
Sunt elementa novem mihi, ſum tetraſyllabus autem:
(Percipe me) primae tres ſyllabae efficiuntur
Ex binis omnes elementis: cetera reſtant
In reliquis: quorum ſunt hecatontades octo,
Et ter tres decades, cum ſex.

(c) Vid. Fabric. Bibl. Graec. v. XII. p. 696.

(d) Natur. Hiſt. Lib. XXXIII. c. 4.

(e) Vid. Kunkel. annotat. ad Nerii Art. Vitriar. Germ. & Philoſoph. Tranſact. No. 293.

Parari hic poſterior *regulus* poteſt ſine ferro ſolo *fluxu nigro*, aut nitro & tartaro, quemadmodum regules *antimonii*: ad quam quidem rem cauto chemico opus eſt.

Arſenicum album totum aqua ſolvitur. Parte ejus una cum aquae diſtillatae, aut pluviae quindecim ſufficienter cocta ſalina triangularia plana poſt evaporationem reſtant, quae coeunt in *octaedras* cryſtallos: inque his autin pulverem comminutis, aut coctione ſolutis metallici globuli inſtar mercurialium aperte microſcopio videntur. Confirmatur hac obſervatione, quod *Kunchelius* dixit, magnam *Arſenici* partem *mercurium* eſſe, (*a*) ut fieri *Arſenicum* poſſit *Sal metallicus volatilis*.

Arſenicum flavum paratur albo ſublimato cum addita decima parte *ſulphuris*. Non aeque ac album pellucet, ſed ſplendidum eſt, ſimileque metallico alicui vitro.

Rubrum a *flavo* differt ſola majori addita ſulphuris copia, & ſpecie cobalti rubra, quem *Kupfer-Nickel* dicunt.

His compoſitae mineralis hujus materiae facile intelligimus modum inferendae mortis. Manifeſto idem ille eſt, qui *mercurio ſublimato corroſivo*, cujus quemadmodum cryſtalli componuntur ſale, & globulis mercurialibus unitis, ita etiam arſenici metallicae particulae, quae regulum componunt, vim, & ſoliditatem ſalinae parti addunt, ut vulnerare ventriculum & inteſtina poſſint, quemadmodum *ſublimati*, ipſum etiam ſphacelum efficere.

Extra controverſiam hoc ponunt experimenta complura *Wepferi* (*b*), quorum unum memoraſſe noſtro ſcopo ſufficit.

Canis comeſto lardo cum *arſenico* albo proximo die mortuus eſt. Aperti inventa eſt pars ſuperior ventriculi rubra, & inflammata; tunicae tenuiores ſolito; fundus oppletus foetido muco, & lardi fruſtis: inteſtina tenuia corroſa, & pervia tribus foraminibus, quorum ulcerum duo facile admittebant fabam: in cavitate *abdominis* flavus ichor repertus eſt ſanguine tinctus.

Itaque ſubit mirari, quid potuerit inducere auctores, ut juberent adeo corroſivum pharmacon ſuper os ſtomachi geſtari, *amuletum* contra peſtem: licet perſuaſos eſſe de harum nugarum periculo, eum *Lionardo di Capoa* (*c*) narret, infantem occiſum violento vomitu, & purgatione a levi vulnere, quod in capite pecten fecerat intinctus oleo, in quo *arſenicum* infuſum erat: facile enim, ſicubi poros calor & exercitium aperuerunt, noxia aliqua *effluvia* in ipſum inſinuari locum poſſunt. *Crato* (*d*) etiam ulcus pectoris ab hoc amuleto obſervavit; *Verzaſcha* (*e*) violentos dolores & lipothymicos inſultus; *Diemerbroeckius* (*f*) atque *Hodges* (*g*) ipſam mortem.

Vt dicam, quod res eſt. Videtur haec conſuetudo originem ab errore in vocibus duxiſſe. Forte *Arabicorum* medicorum aliquis commendavit *durſini* in ſaeculo geſtatum praeſervativum, quum peſtis graſſatur. Hoc ipſis *cinnamomum* eſt: *Latini* autem interpretes, quum in verſione ſua eamdem vocem retinuiſſent, quod ſolent, legens aliquis, nec intelligens deceptuſque ſimilitudine ſoni, ſubſtituit forte *de arſenico*, ut ſi *darſini* eſſet quod *zarnieh*.

Potuit errorem propagaſſe primi auctoris auctoritas: neque defuerunt, qui rem percogitantes ſuae philoſophiae conſentaneum invenerunt, attrahere arſenici mineram *effluvia arſenicalia* ex aere, & concentrare quaſi, tutum corpus, ut imbui nequeat, praeſtare; iſta enim effluvia peſtilentialium morborum communem cauſſam eſſe ſibi fingebant.

Poſtquam ita ſigillatim de binis his venenis diſſerui, non credo opus eſſe immorari alii ulli veneno ex regno minerali.

Omnibus cum his bonis analogia quaedam eſt, omnia plus minuſve nocent, pro diverſa vi, quae ſalibus a metallicis particulis adfertur. Itaque quemadmodum, ut dixi, virulentiſſima quaeque miteſcunt retuſis mucronibus ſalinarum cryſtallorum; ita viciſſim innocentiſſima quaevis mineralia corroſiva fiunt adunata ſalibus: quod videre eſt in praeparatis ex *argento*, *antimonio*, *ferro &c.*

Commonefior hoc loco faciendae obſervationis, quae mihi videtur utilis, & jucunda. Obſervatur plumbi fumum nocere iis, qui ei fundendo conſtanter operam dant, quemadmodum *plumbariis*, & *globorum ſclopetariorum fuſoribus &c.* Doctiſſimus aliquis medicus,

(a) Chymical Philoſophy confirm'd by experimentz, chap. XI. in Pyrotechnical diſcourſes. Lond. 1705. 8. (b) Cicut. aquat. hiſt. p. 274. & ſeq.
(c) Incertezza de' medicamenti, p. 82. (d) Epiſt. 168. (e) Obſerv. *66*.
(f) De Peſte, Hiſtor. 99. annotat. (g) De Peſte Londin. p. 239.

dicus, amicus meus, nuper mihi narrabat, a magno in hac arte viro ſibi affirmatum eſſe, experientia edoctum ſe, minime tanta vehementia malum iſtud adeſſe fuſioni recentis plumbi, quam vetuſtioris: eſſe ſibi operas miniſterio complurium annorum in tractando novo plumbo nihil quidquam ſanitatis detrimenti paſſos. Recte hoc diſcrimen imputabat corroſivae qualitati, quae plumbo aeri diu expoſito a ſalibus in aere obvolitantibus ſubnaſceretur.

Fumi enim minerarum non, niſi partes ſunt minutim diviſae corporum ſuorum, ſuarum ergo minerarum effectus producunt periculoſiores etiam, quia aegrius ab illis cavetur, & facilior ipſis aditus in corpus patet, in pulmones cum ſpiritu, in ventriculum cum *ſaliva:* ne dicam in naribus ipſos ſpiritus animales affici certe non leviter.

Quondam ab ingenioſo Chemico datum poſſidebam pellucidum liquorem, ponderoſum, in aperto tamen aere omnem avolantem, coerceri neſcium, ita autem corroſivum, ut vitreum obturamentum lagenae, qua continebatur, non longo tempore ita eroderetur, ut extraxi amplius non poſſet. Fumus rariſſimus poſita aliquantum a lagena diſtante candela, a calore eo ducebatur, ut venenatus ei, qui ſederet forte prope candelam, eſſet, praeterea nemini. Quomodo componatur *ſtygius* hic ſpiritus, equidem novi; ſed praeſtat non edoceri mortales letiferas has artes. Sufficit noſtro ſcopo monuiſſe, ſales fuiſſe unitos metallicis corporibus.

DE PLANTIS VENENATIS.

TRanſeo a *mineralibus* ad *plantas* venenatas. Celebratiſſimae ſunt *Cicuta*, & *Aconitum*. *Cicutae* duae ſunt ſpecies, vulgaris, & *aquatica*, *Raiio* dicta *Cicutaria paluſtris tenuifolia*.

Quid *Cicuta veterum* fuerit, adeo ad necandum maxime *Athenis* celebris, ignoramus: probabile eſt, non *ſimplex*, ſed *compoſitum* pharmacum fuiſſe. Hiſtoria nobilis mortis *Socratis*, narrata a diſcipulo *Platone*, (*a*) ſiquidem non otnatius quam vere, videtur apertum facere, fuiſſe miſcelam anodynorum ſuccorum cum aliis corroſivis. *Theophraſtus* (*b*) *Thraſyam* ait, magnum medicum, compoſuiſſe pharmacum, quod mortem ſine dolore conciliaret, ex ſuccis cicutae, & *papaveris*, parva copia rem gerens.

Tale forte extractum vitam cum iis ſymptomatibus tollere aptum fuerit, cum quibus magnus hic Philoſophus ea exceſſit, nempe oculis fixis, cruribus ſtupidis, & ſenſu caſſis, tum frigore perfuſis, ſenſim vitales partes occupante.

Ad hoc credendum perſuadet me, quod relatum legitur de antiquo *Maſſilienſi* populo, aſſervari ipſis in publico venenum ſolitum fuiſſe, concedique a magiſtratu ejus praebium iis, qui moriendi cauſſas afferrent. Allatus enim ille mos ex *Graecia* eſt, quod *Valerius maximus* (*c*) obſervat, maxime ex inſula *Coo*, in qua ipſe vidit nobilem feminam poſt nonaginta annorum felicem vitam, veniam mortis hoc pharmaco ſibi conſciſcendae obtinere, ne diutius vivens, alteram forte fortunam experiretur.

Cicuta autem *aquatica* in frigidioribus certe noſtris regionibus multo, quam altera violentior eſt. *Wepferus* ſingulari doctiſſimo libro letiferos ejus effectus deſcripſit, quos in pueris obſervavit a comeſta per errorem radice. Nempe enormem dolorem, & aeſtum ſtomachi; terribiles convulſiones cum perdito ſenſuum uſu; diſtortos oculos; fluentem ex auribus ſanguinem; maxillas clauſas vi non ſuperanda; vomendi conatus, neque tamen ejectum quidquam; frequentes ſingultus; ventriculum vehementer diſtentum, & tumens maxime os; finita denique morte tragoedia, perpetuum ex ore fluxum viridis ſalivae.

Eadem narrat *Stalpartus Vander Wiel* in duobus hominibus *Hagae Comitis* eadem radice occiſis (*d*).

In cane occiſo veneno hoc experimenti capiendi cauſſa, apertus ventriculus conſtrictus inventus fuit, utroque orificio clauſo; inter-

(a) Phaedon. ſub finem. (b) Hiſtor. Plant. lib. IX. c. 17.
(c) Lib. II. c. 6. §. 8. Vid. Aelian. Var. Hiſt. L. III. c. 37. (d) Obſervat. Cent. I. Obſ. 43.

terior rubens ſuperficies paſſim cum lividis maculis.

Apparet itaque, quia igneis, acribus, corroſivis partibus componitur planta haec, rarefactis ventriculi ſuccis, laeſis nervis, terribiles has turbas, quas deſcripſi, excitare.

Ad ſenſum enim violentae irritationis, & doloris mens feſtinanter ſuperventa ad locum affectum nerveum fluidum magna copia mittit, ingrati ſenſus cauſſam avverruncatura, quod, niſi nimius ſtimulus ſit, contractis ventriculi, & muſculorum abdominis fibris, excitato vomitu fit. At ubi jam non tolerari amplius dolens vellicatio poteſt, nimis officio fortiter functae fibrae ſpaſmis diſtractae occludunt os ventriculi, ita ut retentum noxium corpus non poſſit non male agendo pergere. Mox mali vi per totum nervoſum ſyſtema didita, corpus totum male habet; vaſa ſanguifera eſtracta, ruptaque a violentis convulſionibus ſanguinem fundunt per aures, nares, *&c.*

Haec univerſalis muſculorum contractio tanta fuit in uno puerorum, quibus adfuit *Wepferus*, ut ipſo in agone urinam ſaltu emitteret quinque ad ſex pedes alto, vim, & violentiam ſpectatoribus ſtupentibus.

Aconiti eadem ratio eſt, qui noſter eſt *Napellus*. Adeo ejus effectus congruunt modo memoratis *Cicutae*, ut ſuperfluum putem repetere experimenta *Wepferi* (a) clara, & talia, quae convincere quemvis poſſint. In univerſum omnes hiſtoriae, quas accuratiſſime hic idem auctor expoſuit, experimentorum in diverſis animalibus factorum cum pluribus vegetabilibus venenis, *Solano*, *nuce vomica*, *cocculis Indicis &c.* evictum dant, communem omnibus nocendi morem eſſe vellicationem, & levem inflammationem ventriculi, affecto etiam nervoſo fluido, apparetque, virulentas plantas, etſi ſingularibus forte aliquibus viribus a ſe invicem diſtinguendas, uniformi modo, & vi necare, maxime gradu a vi mineralium venenorum diſtante.

Neque eſt mirabile, quod ſymptomata a virulenta minerarum, plantarumque vi, etſi ejuſdem generis, & gradu tantum diverſa, adeo differunt. Solidiores enim metallicae partes adroſis ventriculi tunicis, perfecto ſphacelo inducto, ſemel opere defunguntur; plantarum autem debiliores ſales pungendo tantum irritant, ad quem doloris ſenſum in convulſiones conjectum animal, his omnes corporis partes corripientibus, perit.

Itaque mineralia quidem venena *primas vias* non tranſire ſolent, vegetabilia interdum poſſunt. Quemadmodum ea medicamenta, quibus irritandi major aliqua vis eſt, videmus praeſentaneum vomitum ciere, iſta autem vellicatione paullum hebetata, ad inteſtina tranſmitti, & dejectionibus excitatis vim exſerere.

Hinc forte licet conjectura aſſequi, qualia illa venena ſint, quibus narrant quarumdam *Africae*, & *Indiae* regionum incolis occidendi eam peritiam eſſe, ut longiore, brevioreque tempore mortem arceſſere norint. Probabile eſt, eſſe fructus, aut ſuccos inſpiſſatos plantarum corroſivarum, quae inflammatis forte inteſtinis parva ulcuſcula inurunt, quam fatalem denique futuram calamitatem notum eſt tardam eſſe poſſe.

Facilius id credo, quia ingenioſus aliquis Chirurgus, qui in *Guinea* vixit, mihi narravit, antidotum, quo ſanare veneno laeſos *nigritae* ſolent, herbam eſſe plantae ſurſum, deorſumque purgantis. Ita enim adhaerentes forte ventriculo corroſivae veneni particulae deterguntur. Aegre autem credo poſſe, aut compoſitions, aut praebio variato, ad certum tempus, intra quod mors ſequi debeat, pharmacum ſuum accommodare, ad hebdomadam, ad menſem *&c.*, neque inveni, qui poſſet teſtimonium rei geſtae praebere; etſi verſatum aliquem in veneficiis repetita tentamina, & obſervationes inſtruere forte ad conjecturas argumentis poſſint.

Veteres certe ſimile aliquid perhibuerunt de *aconito* ſuo, quod videntur pro arcano, & myſterio habuiſſe; *Theophraſtus* (b) enim diverſimode ait praebitum fuiſſe venenum hoc, prout aut intra binos, treſve menſes, aut intra annum mors decerneretur. Sed narrat tamquam vulgi fabulam, & opinionem, non tamquam hiſtoriam, cui ipſe fidem adhiberet.

Manifeſtum eſt, curationem generalem venenorum in ventriculum receptorum in eo poſitam eſſe, ut quantocyus vomitu rejician-

(a) Pag. 176. ſq. (b) Hiſt. Plant. Lib. IX. c. 16.

ciantur, membranae auvem a pungente acrimonia defendantur. Priori indicationi ſatisfaciunt largi hauſtus calidi lactis cum oleo amygdalarum dulcium, donec vomitus ceſſant: ad alerum autem ſcopum obtinendum in mineralibus venenis, vegetabilium enim effectus, poſtquam vomitu rejecta fuere, copioſa dilutione demulcentium pinguium liquidorum delentur, opera opus eſt, & mihi placet hic modus. Invenimus, vires horum venenorum eſſe ab adunatis metallis particulis, & ſalinis cryſtallis, quibus adeo ſeparatis vis deſtruitur. Separationem autem hanc, ut *Kunckelius* animadvertit, efficiet hauſtum lixivium ſalis tartari aqua ſoluti, qui ſal uniendo ſe corroſivo cryſtallino ſali poſt aliquam efferveſcentiam, eum necabit, ut loqui amant chemici, nempe direptus a conſortio metallicorum globulorum effectu deſtituetur.

Idem auctor memorabile experimentum huic curationi favens narrat, quod hoc eſt. Pueri caput ad pellendam ſcabiem oblinebatur unguento compoſito ex *ung. pomato*, & *ſublimato corroſivo*; mox tumor cum dolore, & inflammatione maxima natus, tantus, ut oculi, naſuſque laterent. In tanto periculo, quum moriturum omnes crederent, feliciter accedens doctus Chemicus, conſilium dedit, totum curpus fomentandi forti lixivio, quod paucarum horarum ſpatio omnia adeo terribilia ſymptomata abegit.

Quod extrinſecus applicatum effecit hoc lixivium, credibile eſt etiam intra ventriculum certe aliquo gradu effecturum, atque adeo futurum antidotum violentiſſimorum venenorum, quae novimus.

TENTAMEN V.

DE OPIO.

VEteres experimento edocti *Opium* ſaepe non magna copia ſumtum necare, adnumerarunt venenis, & primum inter ea locum tribuerunt, quae a ſtupefaciendi vi *narcotica* dixerunt.

Id certum eſt, & quotidianus uſus comprobat, parva doſi datum Opium ex optimis remediis eſſe. Tractare autem controverſum locum, quomodo ex venenis medicamenta fiant, operae pretium non eſt; neque enim eſt dubium, interdum medicamenta venenata fieri. Quidquid denique de illa controverſia ſentiamus, utilis ut quod maxime eſſe poteſt intellectus actionis adeo celebris medicamenti, multumque ad certum reddendum ejus uſum variis in morbis affert, recte antea de ejus viribus, & agendi modo edoctum eſſe.

Itaque, praeter alia praecognita, oportet, quia praecipua hujus medicamenti vis *hypnotica* eſt, exacte finire, quid ſomnus ſit, aut potius, ne confuſioni, & circa verba litigationi ullus locus reſtet; quid differat animale corpus, quum dormit, & quum vigilat. Hiſtoriam, modumque praeparandi, & reliqua *de Opio*, credo, lectoribus meis cognita eſſe.

Primum itaque nemo eſt, qui neſciat, in ſomno ab omni actione ceſſari. Dum vigilamus, aut loquimur, aut diſcurrimus, modo hoc, modo illud membrum movemus, in naturali autem, & quietiſſimo ſomno horum omnium nihil ſit: vigiles multos damus motus, ad quos opus eſt contractione voluntaria muſculorum noſtrorum; in ſopitis autem ii tantum contrahuntur, quorum quaſi involuntaria eſt actio, ſive ad quos movendos, quum ſemper, conſtanterque ſpiritus mens miſerit, ſolo jam habitu nullis praeviis ratiociniis mittit; quales partes cor ſunt, & pectus.

Relaxantur eo tempore, & detenduntur omnes motrices fibrae membrorum; ſaltem in quietum ſitum, & eum ſtatum reponuntur, ut omnes antagoniſtae muſculi *aequilibratis* viribus non ſe alter alterum ſuperent. Sane ex ſomni potiſſimis ſcopis hic videtur eſſe, ut quas partes labor intendiſſet, eae tonum priſtinum, vireſque recuperarent: ipſi etiam, quum ad ſomnum nos componimus, eo id corporis ſitu facimus, qui maxime fatigatis membris commodus eſt, aptuſque ad illum, quem dixi ſcopum.

Porro manifeſtum eſt, non ſolum organa

cor-

corporis in ſomno quieſcere, & eorum motum cohiberi, ſed & facultatis cogitandi exercitium remitti, hoc eſt, evitari enim ſtudio cavillationis anſam, ceſſari ab iis cogitationibus, quibus vigiles occupamur, quibus immoramur, in quibus tota eſt mens. Somnia enim cogitationes quidem ſunt, ſed imperfectae, & nexu carentes, & imagines aut adeo debiles, languidaeque ſunt, ut cum optimo ſomno, ut interdum fit, adſint, aut ſicubi vivaciores, & fortiores fiunt, tum vero omnes interruptum, & turbatum ſomnum dicunt.

Sequitur, ut motus fluidi arterioſi, *ceteris paribus* ſedatior, magis regularis, & uniformis ſit ſomni, quam vigilarum tempore: nam praeterquam quod varie in vigilantibus ab animi pathematibus mutatur, ipſa muſculorum officia ſua exſequentium contractio variis modis incitat ſanguinis flumen, in ſomno autem cordis, & muſculorum pectoris conſtantior, & aequalior motus, temperatiore continuo impulſu promovet.

Inde etiam fit, ut liquoris nervoſi in organa influxus, & ad cerebrum refluxus aut nullus in ſomno ſit, aut turpidiſſimus, hoc eſt, aut nihil aut parum moveatur iſtud liquidum. Muſcularium enim motuum, & ſenſationum cauſſa huc illucve amandatur, quae jam vix ullae ſunt. Interim autem ex allato ad cerebrum ſanguine pergit hic ſuccus ſecerni aptus derivari in ſuos canales, tubuſoſque, quo facto accumulati reconduntur quaſi ſpiritus, ad futura vigilarum officia, & neceſſitates depromendi.

Paucis, tempus vigiliarum conſiderandum eſt tamquam tempus, quo deteritur, & deſtituitur animalis fabrica; tempus autem ſomni tamquam ejus reparatio, & ſuppetiarum applicatio; non ſolum quod nervoſum liquidum, quod modo dixi, attinet, ſed & reliquas omnes ſolidas, fluidaſque partes. Agendo enim elateres, & organa neceſſe eſt debilitari paullatim, motuſque ſemper aliquid a tractilibus fibris abradit, avellitque, non compenſandum, niſi detenſae quieſcant. Praeterea regulare, & continuum ſanguinis fumen, quale in ſomno eſſe dixi, ad nutritionem, hoc eſt, appoſitionem partium ad vaſa, multo eſt accommodatius; quam feſtinatum, & inaequaliter incitatum, avulſurum potius eſt, quam proluiturum particulas.

Haec cum ita ſint, manifeſtum eſt, quod in illum ſtatum, quem deſcripſi, fluida, & muſcnlares corporis partes diſponit, ſoporem inducturum. Tum, ſicubi aliquid ſe opponii huic tranquillitati, quod hoc impedimentum aufert, effecturum ſomnum; quippe reducto animalis oeconomiae naturali, & integro ſtatu, cujus ea lex eſt, ut ſomnus, vigiliaeque mutuo ſe ſequantur.

Itaque apparet, neceſſe eſſe, ut ad ſomnum inclinent continuata exercitia, quippe conſumentia nervoſum ſuccum. Et minuunt influxum hujus ſucci in organa motus, & movent mentem, ut non pergat illos eo amandare, ob dolorem, & moleſtiam ſemper comites nimiae tenſionis partium, cupiat adeo aut relaxari, aut ad quietem reponi.

Somnolentia a ventriculo repleto copioſis cibis, potuque, aliam ob cauſſam oritur, adeo congrua effectibus opiatorum medicamentorum, ut mereatur ſigillatim conſiderari.

Fames, vacuo praeſens ventriculo doloris ſenſus eſt; eo ablato ſatietas jucundus ſenſus eſt. Omnem autem dolorem *ſtimulum* partis affectae eſſe notum eſt, eumque ſtimulum ob contractionem dolentium membranarum majus iſtuc ſolito flumen nervoſi ſucci concitare. Viciſſim voluptas ſive in quacumque parte jucundus ſenſus cum leni unduiatione eſt, & facillimo refluxu nervoſi liquoris ad cerebrum. Eſt hoc quoddam mentis avocamentum, cui vacans ceſſat ad motus organa amandare ſpiritus: hoc eſt, relexatio muſcularium fibrarum, & diſpoſitio nervoſi fluidi ea eſt, quam dixi ad ſomnum neceſſariam eſſe.

Haec eſt ratio torpedinis iſtius membrorum, de qua queruntur, qui a lauto convivio veniunt.

Cui mirum videtur, tantam in mentem vim eſſe voluptati in ſtomacho, is cogitet, velim, quam e contrario violenti effectus originem ducant a moleſto, & injucundo ſenſu in eodem loco; in quam non agoniam totam machinam conjiciant grana duo, aut tria *croci metallorum*; quanta facilitate, quam ſolito majore *impetu* miſſus ruat nervoſus liquor in muſculos ventriculi, & *abdominis*, ad deturbandum hoſtem, ad obfuſcandum ingratiſſimum ſenſum.

Quae dixi ſequi poſt jucundum in hac par-

parte ſenſum, non niſi contraria ſunt eorum, quae videmus a contrario ſenſu doloris induci. Sane voluptas, & dolor magni duo elateres ſunt, magni in oeconomia animali uſus. Mutando varia cauſſa ſunt effectuum multorum, quos qui mechaniſmum non vident, ſtupent. Oportet autem iſtas cauſſas potentiſſimas in ventriculo eſſe, cui providenti naturae conſilio adeo acutus ſenſus datus eſt, ut ob eam rationem ſedem animae aliqui philoſophi crederent.

Praeterea etiam animadverto, ſtomachum diſtentum cibis premere deſcendentem truncum *aortae*, pleniora adeo ut ſint ſuperiora vaſa efficere: quo facto oppleto cerebro, derivatione ſpirituum in nervos imminuta in agendo pigritia, & ſomnolentia ſequitur. Hinc illae ſuffuſiones faciei, rubores *&c.* poſt ſumtum copioſum cibum, aut potum, apertiores illis, quibus laxa vaſa ſunt, qualia potiſſimum exhauſtis, & hecticis ſunt.

Ita ne opus quidem eſt novo chylo in vaſa infuſo, ad explicandum amorem ſomni a pleno ventriculo; etſi etiam deſtenſioni ab illo faciendae ſua pars in effectu, de quo loquimur, tribuenda ſit. Affuſio autem illa chyli non ſtatim, ſed interdum poſt binas demum tresve horas a capto cibo fit, oportet itaque celerem illam ſomnolentiam, quemadmodum momentaneam refocillationem a convivio, velociori alicui mutationi deberi.

Accedo propius ad ipſum *Opium*. Chemica analyſi examinatae ſex unciae dederunt alcalini volatilis ſpiritus non abſimili ſpiritui cornu cervi, duas uncias; foetidi olei quinque drachmas, ſcrupulum unum, quindecim grana; carbonis ſale orbi duas uncias, duas drachmas, ſcrupulum unum, quatuor grana.

Vires ergo *Opium* habet a volatili *alcalino* ſale intime mixto, & unito oleoſo ſulphureo corpori: quas conſiderabo primum, quid ſtomacho, deinde poſtquam ſuperarunt *primas vias*, quid arterioſo ſanguini faciant.

Gratum in ſtomacho ſenſum, & diſtenſionem membranarum ejus cauſſam eſſe ſomnolentiae, ad quam comeſti cibi inclinant, modo obſervavi. Altero mens occupatur, altero corpus occupatur. Voluptas enim a negotiis ſuis velut avocat mentem, ut non cogitet, non curet objecta externa, hoc eſt, ut ad quietem vergat. Plena autem cerebri vaſa minuunt, & impediunt aliquo modo dirivationem nervoſi fluidi in organa, *&c.*

Opium autem qui moderata copia, neque longiore uſu adſueti ſumſerunt, ſolent ita voluptatis ſenſu quaſi abripi, ut in caelum ſibi videanttr poſiti, qui ipſis loquendi mos eſt. Non quidem ſemper dormiunt, quia gratae imagines animae repraeſentatae fortiores, quemdmodum ſomnia, totam ad ſe imaginationis vim convertunt, atque ita quietem impediunt, ſed fruuntur tanta cum indolentia tranquillitate, ut nulla alia felicitas hujus exſtaſeos gratiſſimum ſenſum aequiparare poſſe videatur.

Videmus ergo, ab hoc medicamento oriri, ſed gradu majore differentes omnes effectus, quos obſervavi ſequi gratum in ventriculo moderate repleto ſenſum. Non aliae ullae res aptiores ſunt ad perfundendum ſenſiles membranas grato ſenſu, quam quae volatilium partium ſunt, quarum agilitatem temperant, & deliniunt conjunctae lubricae, oleoſaeque, quae volatilia corpora rarefactis paullum ſuccis ventriculi, titillata grate nervoſa tunica, jucundam plenitudinem efficiunt, & ut menti acceptae, jucundaeque ideae miniſtrentur.

Hinc facile perſpicitur, quo mechaniſmo reliqua, quae Opium bene facit, fiant, lenimen dolorum, ſufflaminatio evacuationum immoderatarum *&c.* Nempe non ſolum ab ingrato ſenſu excitatus jucundus mentem avocat, ſed, quum in omni dolore tenſio partis ſit, effecta ab opio relaxatione fibrarum vis *ſtimuli* eluſa perit.

Pariter ſecretiones praeter modum plerumque oriuntur ab organorum ſuorum irritatione, ut hac ſublata ipſae etiam ceſſaturae ſunt. Incraſſandi etiam hujus medicamenti vis in hoc poſita eſt, quod imminuto ſenſu vellicationis membranarum, pulmonum & inteſtinorum *&c.* aliqua jam copia reponi acris humor poteſt, nec ſtatim nimis moleſtus avellitur, ejiciturque, eadem enim ratio eſt, ſiquidem ad ſenſum animus non advertitur, ut ſi nulla plane irritatio loci dolentis eſſet.

Omnes, mixtis ſanguini opiatis particulis, effectus augeri par eſt. Rarefit ſanguis, diſtendit maxime cerebri vaſa, atque ita preſſis parvis *tubulis* ſive viis, per quas fluido nervoſo iter eſt, minus etiam hic in iſtos locos adfluit.

Haec

Haec eſt cauſſa difficultatis ſpirandi, quam aliquamdiu ſentiunt, qui hoc medicamentum ſumſerunt; neque enim poſt hoc ſymptoma non eſſe rarefacto in pulmonibus ſanguine.

Apparet ergo, modum agendi *Opio* eſſe analogum actioni aliorum volatilium ſpirituum, niſi quod parvae opii portioni aeque magna vis eſt, quam reliquorum plerorumque multo majori copiae.

Manifeſtum id eſt in iis, qui aſſueverunt ſumdis largisdoſibus, qui tantus *Turcis*, & *Perſis* mos eſt, ut non raro videas, qui drachmam unam, aut etiam binas una edant. Sequitur profundiſſima ebrietas, ut quum de aliquo, ut dicendi mos eſt (*a*), dicunt "hic homo comedit opium", eodem id ſenſu, dicant, quo nos, "hic homo nimium vini ingurgitavit.

Diſcunt etiam tantam copiam opii ferre, quemadmodum noſtri bibones ſpiritus ardentis (brandevini) menſuras, habitu, quo gaudent, gradatim comparato, initio a parvis hauſtibus facto, ingeminatis, donec deſiderarum terminum aſſecuti ſunt. Quemadmodum *Athenienſem* feminam *Galenus* (*b*) narrat uſu gradato didiciſſe ferre *cicutae* non parvam copiam. Quod eo magis ad noſtrum ſcopum aptum eſt exemplum, quia etiam *Nic. Fontanus* (*c*) aliquem narrat ſibi notum, qui a peſte convaleſcens, ſomno quum egeret, felici eventu per aliquod tempus *cicuta* veſcebatur; deinde relapſus in febrem, omiſſo ſui remedii uſu, tentavit repetitis Opii doſibus quietem arceſſere, nihil efficientis, natura jam fortiori alteranti medicamento adſueta, ut denuo ad auxilium advocanda *cicuta* fuerit, quod etiam tulit.

Affatim omnia mea ratiocinia confirmat *Proſper Alpinus* (*d*), narrans inter *Aegyptios*, qui *Opio* adſueti ſunt, &, ſicubi forte deficit, languent, quemdmodum noſtri potatores remoti a cadis ſuis, reficere ſe, & reſtituere ſibi ſolitam indolentiam, & voluptatem, magnis hauſtibus *cretici* vini, cui igniculos addunt infuſo pipere, ſimilibusque fortibus aromatibus.

Ad noſtram quoque rem eſt obſervaſſe, in *maniacis*, quod frequenter experiri eſt, quadruplicatam ſolitam *Opii* doſin vix efficere quidquam, quod ſentiri poſſit. Horum autem hominum ſemper animus alta attentione verſatur circa quaſdam imagines amoris, irae *&c.*, ut minus facilem ſe praebeat inde dimoturis jucundis ſpeciebus, ad quas alio tempore adverſurus ſe erat, & in quibus excitandis maxime illud medicamentum valet. Praeterea *maniaci* prodigium eſt videre, ut ferant injurias frigoris, famis *&c.* & quantae ipſis muſculares vires ſint: quae argumento ſunt, craſſum ipſis ſanguinem eſſe, cujus fortiter cohaereant globuli, non adeo facile ſejungendi, & rarefaciendi ſpirituoſae opii parti, quam in reliquis corporibus fieri aſſolet.

Multa ex hac theoria utilia praxi medicae conſectaria deduci poſſent, obvia quidem illa ei, qui animalem oeconomiam edoctus ſit.

Neque tamen temperare mihi puſſum, quin duo inde monita depromam. Primum, multos medicos, quia non intelligunt, quomodo nobile hoc medicamentum, quum immoderatas ſecretiones cohibet, id faciat, ad abſonas methodos perduci & dare opium conſilio adſtringendi evacuationes, quarum nulli ſpaſmi, aut dolorem facientes irritationes cauſſa ſunt, quemadmodum in *diarrhoea* colliquativa febrium hecticarum; quibus in caſibus manifeſtum eſt non ſolum ſcopum non poſſe obtineri, ſed & ultro damnum inferri, relaxatis fibris, exaeſtuatiſque, & rarefactis fluidis alias jam nimis tenuibus, & attritis.

Viciſſim facile eſt videre, eadem ſua vi, qua ſolvit ſpaſmos nervorum, & medetur inde oriundis excretionibus nimiis, etiam feliciter juvaturum opium naturales excretiones, male interruptas a violentis contractionibus. Ita in *nephriticis* doloribus urinam opiata cient, cui fabulum, calculique iter occludunt, & in *uterinis* affectibus juvant naturam in pellendo *menſes*, *foetum*, *lochia*.

Concludo, apertum eſſe, ut nocivum reddatur, & in venenum mutetur *Opium*, non niſi magna ejus copia opus eſſe, qua data, oportet inflammari ventriculum, & ſanguinem eo uſque rarefieri, ut non redeat vaſis nimium tenſis tonus ſuus, quo

facto,

(a) Vid. Belon. Voyag. lib. III. c. 15.

(b) Simpl. Medicam. Facult. lib. III. c. 18.

(c) Reſponſ. & Curat. Medic. p. 162.

(d) Medicin. Aegypt. lib. IV. c. 1.

facto apoplectica ſymptomata *&c.* ſequentur.

Vt hoc mihi conſtaret, vi in parvi canis ventriculum circiter dimidiam drachmam *opii* fervida aqua ſoluti ingeſſi. Cito rejecit vomitu cum multa ſpumida ſaliva, at repetito expetimento, ſupino ſervato capite, verberibus etiam coegi tres quatuorve doſes, inter ſingulas interjecto quadrantis circiter horae intervallo, retinere. Poſtquam binae prope drachmae, ut coniiciebam, ingeſtae erant, obſervavi canem per horam: tum coepit ſopiri, mox autem cum convulſionibus excitatus toto corpore intremuit, caput continue concuſſit, anhelus, & laborioſe reſpiravit, perdidit uſum pedum primo poſteriorum, tum anteriorum, obrigeſcentium inſtar ligneorum. Ita jacenti, & ſtertenti, ut accelerarem vitae finem, amplius infudi ſoluti opii, ſed ſubito flexilioribus redditis pedibus, exſpiravit.

Aperui ventriculum, inveni diſtentiſſimum, nihil autem intus niſi paullum aquae cum *opio*, fruſta ſpumeſcentis muci ei aquae innatantia; omnem interiorem parietem quaſi deterſo, & eloto omni muco puriſſimum, paſſim cum rubore quemadmodum incipientis inflammationis. Pylorus erat contractus. Vaſa cerebri erant pleniſſima, & ex ſuperiore ejus parte, inciſo *ſinu longitudinali*, extraxi concreti ſanguinis grumum, quod non eſt infrequens in apoplecticis cadaveribus; extravaſatum autem *ſerum* neque in ventriculis, neque in ulla membranarum vidi.

Curationem dati nimii opii quod attinet, praeter evacuationem per vomitum, venae ſectio, & veſicatoria, medicamenta acida, ſaleſque lixiviales commoda remedia ſunt. Relaxatas fibras contrahunt, & vi diuretica vaſa deplent. Maxime inſolito cum ſucceſſu praebui repetito miſcelam *ſalis abſinthii* cum *ſucco limonum*. Haec eſt ratio, quam cogitans *Helmontius* paravit *laudanum cydoniatum*, *Starkeyus pacificas* ſuas pilulas. Vinum generoſum, quod veteres *antidotum* dederunt, non alio modo poteſt prodeſſe, niſi quod tenaces *reſinoſas opii* partes ſolvit, adhaerentes tunicis ventriculi, ut expelli aliis auxiliis, excitato nempe motu muſcularium fibrarum, poſſint.

Appendicem ad hanc diſputationem hiſtoricam addo alius veneni, multum ab omnibus, quae deſcripſi, diverſi, maxime autem affinis *narcoticis* dictis.

Dico *ſimplicem aquam* deſtillatam foliorum *Lauroceraſi*, Aliquot anni ſunt, quod primum in *Hibernia* malignitas ejus obſervata fuit, ubi ob ſaporem miſceri ſpiritibus ardentibus ſolebat.

Parva ejus copia pota ſubito occidit duas feminas. Hoc miratus, neque enim umquam noxia haec planta credita fuit, doctus aliquis medicus complura experimenta in canibus tentavit, quorum deinde pleraque Londini repetita fuere eodem letali eventu. (*a*)

Hinc, maxime autem ex obſervationibus, quas mihi impertiit Cl. *Nicholls* in lectionibus anatomicis factas, paucis deſcribam, quid appareat in animalibus inſolitae huic morti datis.

Omnibus mox tremere, & convelli membra coeperunt, ſtatim poſt *paralytica*, ut nulla punctura, laeſiove motum amplius excitare poſſet.

In diſſectis nulla intus membranarum inflammatio conſpicienda erat. Quod maxime memorabile fuit, erant venae pleniſſimae, & diſtantiſſimae ſanguine adeo fluido, ut etiam lympha in ſuis vaſis ſanguine tincta conſpiceretur.

Eadem aqua clyſmate in inteſtina ingeſta paucis minutis eadem effecit.

Vt evidentior forte redderetur modus agendi hujus veneni, *Nichollſius* paravit aquam fortiorem, cohobationem, quam dicunt chemici, hoc eſt, repetita deſtillatione de novis foliis. Effecit drachmam circiter ponderoſi olei, colore, qui eſt oleo olivarum, fundum petentis in vaſe, in quo tres aquae menſurae erant, at conquaſſatione penitus aquae juncti.

Hujus aquae unciae duae mediae magnitudinis canem in ipſo peroeſophagum tranſitu, non integro dimidio temporis minuto necarunt.

Nullum aliud evidentius argumentum eſt con-

(a) Vid. Philoſ. Tranſact. No. 419. an. 420.

confirmandis, quae per totum librum dixi, praecipuam venenis in nervos vim eſſe, quam haec innocua viſa aqua. Quod ſimplex hic liquor, cujus nullae praecipuae qualitates ſentiuntur, in ipſo aditu ad ventriculum, immo injectus in externa inteſtina necat momento, neque ſigna inflammationis, aut corroſionis exſtant, ejus nulla alia ratio dari poteſt, quam quod ipſi extemplo ſpiritus animales afficiuntur.

Si conjectura, quam in Introductione propoſui de natura nervoſi fluidi, probetur, fiunt iſta ab hoc veneno, *quia elaſtica materia*, pars nervei fluidi, in membranis *repellitur* ab agilibus quibusdam hujus aquae particulis, quod ipſi in *electricis* experimentis videmus contingere a compluribus corporibus ad ejus contactum admiſſis, quo facto nervis primum membranarum, quae tanguntus, deinde omnium organorum nervis vis ſua perit. Hinc fit, quod animalia, quae hac morte pereunt, pereunt univerſali paralyſi poſt vehementes convulſiones, quodque ſubito ſufflaminato ſanguinis circuitu ſanguis in venis perfecte fluidus perſtat.

Plura in hanc rem dicam tantamine proximo. Hoc loco ſolum addo, letiferam vim hujus veneni videri reconditam in *gravi* iſto *oleo*, cujus nimis magna portione imbuta eſt, atque *Nicholls* expertus eſt, decem guttas *rubri olei*, odoris, & ſaporis, quemadmodum illud alterum, ejus, qui referret nucleos fructuum, eodem modo ab *amygdalis amaris* deſtillati, expreſſo antea dulci oleo, mixtas pariter unciae aquae vulgaris intra ſemihoram necaſſe canem.

Haec cogitantes, atque egregie confirmatum iri ſententiam meam, ſi, applicatis talibus, quae ad membranas ſpiritus revocarent, horum irritate vi contraria repulſioni liquoris, contingeret reviviſcere moribundum animal, dedimus parvo cani unciam circiter *aquae Lauroceraſi*. Mox correptus eſt violentis convulſionibus, citoque omnium membrorum uſus interceptus fuit. Quum in eo eſſe videretur, ut exſpiraret, ad nares applicuimus phialam repletam ſpiritu ſalis ammoniaci fortiore, atque ejus paullum in ventriculum adegimus. Momento vim canis ſenſit, & continuato aliquamdiu ejus uſu recuperavit vim movendi membra, poſt binas horas ſatis firmiter inceſſit, & deinde omnino habuit bene.

Naturam *veneni antidotum* docet, neque dubito, quin potens etiam futurum ſit contra reliqua hujus generis venena, quae ſine inflammatione ſtupefaciunt, & cohibent motum fluidi nervoſi.

Moneo hoc, quia notum eſt, nucleos complurium fructuum, maxime *ceraſorum nigrorum* deſtillatam inde aquam imbuere ſapore, & odore non diſſimili ei, quem praebent lauroceraſi folia, & amygdalae amarae, quae aqua, fortiori abſtractione, & nimio oleo gravi recepto eadem ſine dubio mala dabit. Edoctus ſum facta aliqua tentamina oſtendiſſe, rem ita eſſe. Itaque crederem, officinas noſtras rectius ea aqua carere, maxime quum nulla ejus medicata vis comperta ſit, ſoleatque dari infantibus facile commovendis, expoſitiſque convulſionibus, calamitati, quam ab hac ipſa aqua advehi exploratum eſt.

TEN-

TENTAMEN VI.

DE

VENENATIS

EX *TERRA* HALITIBVS, DE *AERE*, *AQVISQVE* VENENATIS.

RESTAT poſt explicatos adhuc varios modos, quibus mortales a venenis laeduntur, addere noxam a venenoſis *vaporibus*, & *halitibus*, aut venenato aere in corpus cum ſpiritu recepto.

Ipſa generatim res nota ſatis eſt, & multis locis multi auctores memorant, at quum ad explicandem modum accedunt, quo ſibi proprio necant, ſolent referre ad aliquod eorum venenorum, quae in ſtomachum adſumta deſtructiva ſunt, narantque nobis, malignos iſtos fumos, aeremque letiferum eſſe, quia imbuti ſint *arſenicalibus*, *mercurialibus*, ſimilibuſque nocivis miaſmatibus ſive particulis, cum ipſis corpus ſubeuntibus, quae particulae valde quippe corroſivae, neceſſe eſſe, ut laedant fluidas, ſolidaſque partes.

Atque certum ſane eſt, illarum mineralium fumos pernicioſos valde eſſe, aeremque ſuis atomis repletum ſpirationi ineptiſſimum reddere; inde autem argumentari, omnes reliquos letales vapores, & maligni aeris ſpecies conſortio talium mineralium atomorum nocere, ille vero error eſt nimis multis amatus: ſatis enim exacte inquirenti conſtabit, poſſe eſſe, & utique eſſe letiferos e terra halitus inficientes aerem, adeo diverſae ab illis omnibus venenis naturae, ut ipſa corpora, unde emittuntur, poſſint planiſſime innocua eſſe etiam in ſtomachum recepta.

Venenatos vapores, & halitus, quos terra ſpirat, uno verbo *Latini* dicunt *Mephitim*. (*a*)

Haec vox, quemadmodum complures aliae *Tuſcae* voces, *Syriacae* originis eſt, a voce, quae ſignificat flare, ſpirare. (*b*) Antiquis temporibus celebres ob halitus tales complures loci erant, maxime *Mephitis Hierapolitana*, cujus *Cicero*, *Galenus*, & qui potiſſimus eſt, quique ipſe viſam exploravit *Strabo*, (*c*) mentionem faciunt.

Talis erat *ſpecus Corycius* in *Cilicia*, *Cubile Typhonis* dictus ob foetidum peſtilentem aerem, qualem efflare credebantur ora Draconum, quos *Typhoni* poetae addunt. Deſcribit *Pomponius Mela*, (*d*) memoriaque ejus non eſt recentior *Homero*, (*e*) *Arima* enim, quo loco eſſe dicit ſpecum, mons *Ciliciae* eſt, obſervante *Euſtathio*.

Neque noſtris temporibus minus frequentes tales fumi ſunt, plerumque quidem reperiundi in cuniculis, foſſis, aliiſque ſubterraneis locis, interdum tamen etiam in ipſa ſuperficie, maxime in regionibus mineralium fertilibus, aut ignem in viſceribus alentibus, quales *Vngaria* ſunt, & *Italia*, ſemper haec, ut *Seneca* (*f*) obſervat, ea de cauſſa inclyta.

Itaque, quum mihi opportunitas fuerit, de celebratiſſima iſtius regionis mephiti complura obſervandi, quam potero plene, qualis ſit, quove modo occidat, narrabo. Quae de ea dicturus ſum, etſi non auſim affirmare de omnibus; videtur tamen plerarumque eadem eſſe ratio, atque ſicubi diverſa apparet, crediderim fieri id, quia ad ſimplicem iſtam dicendam noxam alia acceſſit, quod conjunctum venenum, malignamque qualitatem ſymptoma aliquod extraordinarium, & in occiſis animalibus phaenomenon detegere poſſit.

Celebris haec *Mephitis* (*Moſeta*) memorata, niſi forte in eodem agro proxima ali-

(a) Virgil. Aen. VII. v. 8. Saevamque exhalat opaca mephitim. Vid. Servium ibid.
(b) Scaliger Conject. in Varron. (c) Lib. XIII. (d) De ſitu orbis Lib. I c. 13.
(e) Ἐιν Ἀρίμοις ὅθι φασὶ Τυφώεος ἔμμεναι ἐυνάς Il. β. v. 783.
In Arimnis, ubi dicunt Typhoei eſſe cubilia.
(f) Nat. Quaeſt. l. VI. c. 28.

qua eſt, jam *Plinii* (*a*) temporibus, duobus *Neapoli* miliaribus prope *lacum Agnanum* invenitur, in via *Puteolis*, *Pozzuolo*, ducente, dicta *la Grotta de' Cani*. Nomen habet, quia in canibus frequentiſſime exploratur ejus necandi vis, etſi non magis canibus fatalis, quam ulli alii animali, intra fines vaporis poſito: *Caroluſque octavus*, Galliarum Rex, experimentum in aſino fieri juſſit, *Petrus* autem *de Toledo*, Vice-Rex *Neapolitanus*, iniicere juſſit ſervos duos, capitibus ad terram depreſſis, utroſque mortuos. (*b*)

Parva eſt *ſpelunca* ad radicem parvi collis altitudine octo pedum, longitudine duodecim, latitudine ſex pedum. Ex fundo ſurgit tenuis, ſubtilis, calidus *fumus*, ſatis bene oculo acuto videndus, non parvis paſſim nubibus, ſed flumine continuo latus, omnem imam ſpeluncae ſuperficiem contegens. A vulgaribus etiam vaporibus hoc notabili diſcrimine differt, quod non in aerem diffunditur, ſed poſtquam ſublatus eſt, mox ad terram relabitur; color circa latera cavernae notat altitudinem, quam vapor attingit, qui color ad illum uſque terminum obſcure viridis eſt, ultra illum decem pollicibus elatum terminum, is eſt color, qui ſolet eſſe terrae. Itaque neque ego in ſpelunca ſtans incommodum ullum ſenſi, neque aliud ullum animal, quod capite ex fumo eminet, ullo damno afficitur. At ſi, ut ſolet fieri, canis, aliudve animal vi infra fumum tenetur, aut ſicubi parvum eſt, extollere caput non poteſt, omnem mox motum attonitum perdit, concidit exanime, aut ſyncopticum, membris convulſis, & trementibus, denique nullo ſuperſtite vitae ſigno, niſi debiliſſimo, & vix ſentiendo pulſu arteriarum, & cordis, ipſo etiam ceſſaturo, ſi paullo animal diutius ibi linquatur, quo facto quemadmodum ſi quis perfecte ſuffocatus eſt, conclamata res eſt. Sed mature ablatum animal, & in apertum aerem repoſitum mox ad vitam redit, citius etiam in lacum, qui proximus eſt, abjectum, nempe conſtrictione fibrarum cutis, quemadmodum a balneo frigido fit, ſanguine ad circuitus ſui viam legendam reducto.

Lumen cognitioni naturae hujus fumi accendunt alia quaedam memoranda experimenta in hac *caverna* inſtituta. (*c*) Incenſa fax, & pulvis, reliquaque omnia momento exſtinguuntur, intincta vapori.

Sclopetum ignem nullum excipit. Barometro ita obfirmato, ut totum *ſtagnum* fumus contegat, neque tollitur, neque ſubſidet alter mercurius, quam in aere ambiente.

In brevi quidem, ſed accurata hac hiſtoria hujus *ſpecus* ea maxime memoravi, quibus non ſolum diſtinguuntur *mephiticae* exhalationes a vulgaribus innocentibus fumis, ſed & ſuppeditatur ratio explicandi naturam eorum, & mirabiles effectus.

Non perditurus otium meum in refutandis opinionibus alienis, primum hoc dico, nullum eſſe locum ſuſpicioni ullius eorum venenorum, quae hactenus deſcripſi; ni eſſet, non adeo celeriter ſimul cum eripiuntur animalia ex ſpecu, etiam eriperentur effectibus vaporis; non ita nullum veſtigium reſtaret lipothymiae, & aegritudinis, ſymptomatumque, quae aer corroſivis effluviis imbutus inſpiratus affert; neque haec effluvia non eſſent infectura plus minuſve aerem cavernae ſuperiorem, qui quidem ſemper purus, & reſperationi aptus eſt; neque calamitas, qualis a talibus effluviis arceſſitur, non eſſet datura aliqua ſui ſigna in cadaveribus apertis, quorum tamen neque fluidae, neque ſolidae partes inſoliti quidquam oculis ſubiiciunt, niſi quae ſtatim de ramis dicturus ſum.

Intellecturum, qua in re vis illa letalis poſita ſit, oportet meminiſſe, reſpirationis duplicem eſſe uſum: primum eum, quod, dum tranſit pulmones ſanguis, diſtentis elaſtico aere *veſiculis*, compreſſis adeo arteriis (*d*) comminuitur, atteriturque, ne reſtet partim cohaeſio tanta, quae impeditura eſſet ſecretionem humorum, in ſuis ſingulorum glandulis de ſanguine ſecedentium: alterum, quod aere aliquid advehitur, quicquid illud ſit, ad vitam neceſſarium.

Eſſe aliquam materiam vivificam, ex aere in ſanguinem, dum ſpiratur, tranſeuntem, alio loco (*e*) demonſtravi, inde quod mature eadem aeris portio deſinit idonea reſpirationi eſſe, etſi nulla reliquarum qualitatum privati, quibus inflandis pulmonibus, & agitando ſanguini aptus eſt; deinde experimento Cl. *Halley*, qui in *machina* ſua *urinato-*

(a) Nat. Hiſt. l. II. c. 93. (b) L. di Capoa della moſet. p. 37. (c) Addiſon's Remarks on Haly, p. 230. (d) Vid. Malpigh. De Pulmon. & Bellini Opuſcula.
(e) Sermo de Peſte. Editio nona. p. 45.

natoria ad alititudinem complurium orgyarum aquae immerſus, ſpiranſque aerem denſiorem naturali, invenit tardius ſe ſolito ſpiritum ducere: cujus hanc oportet eſſe rationem, quod, quum uno hauſtu plus quam ordinario aeris duceret, ſanguini adeo plures earum particularum, quibus mixtis opus habet, una adderentur, minus frequens reſpiratio ſufficeret.

Haec quum ita ſint, mercuriique, ut dixi, in barometro altitudinem vapor hic non mutet, neque adeo pondus, & elaſtica vis aeris imminuta multum quidem fit; reſtat argumentari, eſſe vapori talem aliquam vim, qua attractus in pulmones impediat, ne cum ſanguine aer vivificantem illum ſpiritum, ut ſolet, communicet.

Jam negavi, poſſe praeſens eſſe verum venenum. Nihil in terra, unde fumus ſurgit, licet reperire niſi colorem viridantem, ſaporemque ſubacidum, ſimillimum, quod & *L. di Capoa* obſervat, ſapori phlegmatis vitrioli, ut dici apte poſſit unctuoſus vapor, *vitriolici* generis, ſubterraneo aeſtu in altum miſſus.

Certiſſime, ut inflari *pulmonales veſiculae* poſſint, & deinde recipi in ſanguinem ſubtilis ex aere materia, opus eſt integritate influxus liquidi nervoſi; vero itaque ſimillimum eſt, vitriolicis iſtis fumi particulis v*i*m eſſe contrariam, & repellentem elaſticam liquoris nervei materiam, ut eo carentes *fibrillae*, in quas infundi opus erat, relaxatae langueſcant. (*a*)

Neque debet mirum videri, ut adeo ſubito actio ſpirituum animalium turbetur interpoſito ponderoſo fluido, quum e contrario quotidianum ſit videre, momento temporis accelerari, quin reviviſcere motum eorum, applicatis ad nares volatilibus ſalibus; obſervari etiam meretur, *alcalina* omnia eſſe natura ſua *vitriolicae* oppoſita, acidiſque ſpiritibus, ad conflictum cum his, & fermentationem prona.

Vt finiam hanc diſputationis meae partem; ſatis credo ratiocinia mea confirmari eo, quod in ranis in hac ſpecu necatis pulmonales veſiculae, alias etiam in his animalibus plus quam in aliis viſui patentes, & diſtinctae, collapſae inventae ſunt, & aere plane caſſae. (*b*) Qui amplius aliquod argumentum deſiderat, ipſe ſibi artificialem *mephitim* efficiat, ſecundum hanc ſententiam, quod fecit *L. di Capoa* (*c*); *antimonio* enim, *biſmutho*, ſimilive alia minera in ſubtilem pulverem trita, hocque pulvere humectato *aqua forti*, ſive *ſpiritu nitri*, magnus naſcitur calor, cum denſo obſcuro fumo exſtincturo, quemadmodum cavernae vapor, facem & ſuffocaturo, necaturoque animalia, etſi tardius.

Letiferi effectus *ſubterraneorum vaporum* in cuniculis, puteis, ſimilibuſque reconditis locis, fumi etiam carbonum lignariorum incluſi, eamdem reddo rationem; in univerſum enim acidae ſunt exhalationes corporum foſſilium. (*d*) Quemadmodum in animalibus mortuis in caverna deſcripta veſiculae pulmonales inventae fuere flaccidae, quippe non extenſae ab animalibus ſpiritibus, ita in ſecto cadavere hominis necati fumo carbonum ligneorum, quos ex furno piſtoris in profundam cameram aſportabat, quemadmodum narratur in *Actis Regiae ſocietatis ſcientiarum Pariſinae* (*e*), cerebrum apparebat ſiccum, muſculi autem atachiorum, crurumque adeo laxi, ut ſeparati viderentur a partibus ſuis.

Obſervo hoc loco, interdum, quum paucae aquae mixtae ſunt minerales particulae, non ſolum non exſtinguere hos vapores flammam, ſed & inſtar pulveris pyrii arridere, & ardere admota candela. Celebre talis vaporis exemplum exhibent noſtrae *Philoſophicae Tranſactiones* (*f*): experimentum etiam in miſeela olei vitrioli, & limaturae ferri, ratiociniorum meorum veritatem confirmat.

Ita docui, quomodo per nares morti aditus pateat, etſi veri veneni nihil cum ſpiritu hauriatur. Crediderim, non fore difficilem laborem, oſtendere, quomodo noxae minorem gradum comitari effectus poſſint, etſi valde ab his enarratis diverſi vib, revera tamen ejuſdem pernicioſi generis; nempe, quomodo mutatio aeris aliquo modo *mephitici* facti, quod fit nimio calore ſimul, & nimia copia aquearum, aliarumque craſſiorum particularum mixtarum, poſſit cauſſa epidemicorum morborum eſſe, eorum forte potiſſimum, qui maligni ſolent dici ob perverſa ſyptomata.

Me-

(a) Vid. Tentamen V. in fine. (b) L. di Capoa, Moſet. p. 40.
(c) Ibid. pag. 128. (d) Vid. Philoſ. Trans. No. 411. & 429.
(e) Ann. 1710. pag. 17. (f) No. 442.

Memorabile enim eſt, quod *Hippocrates* (*a*) obſervat, ante ortum peſtilentialium febrium tempeſtatem eſſe calidam cum multis pluviis, & auſtris: & *Galenus* (*b*) ipſam peſtem obſervat non alia niſi calida, & humida aeris temperie induci, quae dum durat, maxima etiam vis morbi ſit. Eadem *Lucretii* (*c*) ſententia eſt, qui in pulcherrima deſcriptione peſtis Athenienſis,, morbos hos ait oriri aut ab aere, aut ex terra.,,

Vbi putrorem humida nacta eſt
Intempeſtivis, pluviiſque & ſolibus icta.

Paucis conſtanter univerſae id confirmant epidemicorum morborum hiſtoriae, plus etiam docturae, niſi vana aliqua occultorum venenorum idea, occupatis auctorum mentibus, negligentes feciſſet cauſſarum manifeſtarum.

Evidentiſſima res eſt in iis regionibus, in quibus maxime epidemici morbi matureſcunt: quemadmodum in *India orientali* conſtanter obſervatur, dum eſt ſicca, ſalubrem eſſe tempeſtatem, at ubi ſubito calores pluviae excipiunt, pertinaciſſimas febres incipere minari.

In *Africa* idem obſervatur: narrat enim *Joan. Leo* (*d*), ſi in fervidam aeſtatem *Julio*, & *Auguſto* menſe pluviae incidant, peſtem ſequi, & peſtilentiales febres, quas pauci effugiant, correpti.

Qui perpenderit, quae de reſpirationis uſu dicta ſunt, & propoſitiones *Bellini* probe conſiderarit, horum eventuum facile intelliget rationem.

Magnus *Bellinius* demonſtrator evictum dedit, malignarum, & peſtilentialium febrium viſcidum, & tenacem *lentorem* ſive mucum cauſſam eſſe, qui primum capillaribus arteriis infarciatur, calore deinde ſolutus, fermentatione in ſanguine excitata, in maſſam eum mutet inaequaliter fluidam, & gelatinoſam.

Apertum autem eſt, aerem ſimul calidum, & humidum viribus deſtitui comminuendi in pulmonibus arterioſum ſanguinem, qui adeo ad organa ſecretoria delatus non ſolum humores ſingulis debitos non praebet, ſed & viſcidiores ſui partes circa orificia haerentes linquit paullatim obſtructionibus faciendis accumulandas. Avelli iſtud viſcidum ſolo *impetu* a tergo ſequentis ſanguinis potes, & agitatione a calore, ita vero in circulationis viam reductus hic *mucus* de more fermenti totam maſſam turbabit, mutabitque qualitates ordinarias.

Probe novi ſolere auctoritatem *Hippocratis* obiici a defenſuris ideam latentis in his morbis aerei alicujus veneni: ipſius nempe *divinum quiddam* (*e*) Θεῖον τί in eam ſententiam explicant. *Galenus* autem, Interpretum optimus, nihil tale, quale iſti viri, intellexit, potius explicat de manifeſta aeris temperie infeliciter praevalente, qualem ipſe in Aphoriſmis deſcripſit (*f*), & in qua ipſa dicenda verſor.

Minadous (*g*) itaque pulchre obſervat, numquam *Hippocratem* in totis *Epidemicis* libris mentionem ullius veneni facere tamquam cauſſae malignarum febrium; & quod illud attinet *divini* aliquid, ſapiens ſenex aliis libris (*h*) expreſſis verbis docet,,, nullum a Diis unum morbum eſſe magis,, quam reliqui, quorum unicuique ſua na-,, turalis, & manifeſta cauſſa eſt.

Alienum autem a noſtro ſcopo eſt copioſiorem de hac re eſſe. Solum moneo, decere Medicos cautos eſſe, ne, quod ſaepe faciunt, his in morbis praebeantur nomine *Alexipharmacorum* medicamenta ventriculi, & ſanguinis magnum calorem excitantia. Poſtquam ita *animales ſpiritus* commiſerunt cum iſtis *malignitatibus*, perfidas nimis ſaepe auxiliares copias ſubmittunt ceſſuris, ut credunt, partibus, quo facto excitato novo tumultu turbatur, & impeditur in opere ſuo natura, quae ſemper *criticis* excretionibus vincere hoſtem nititur.

Negari quidem nequit, malignas aliquas febres contagioſas eſſe, verumque contagia venenum eſſe, ſed diſtincta velim originem morbi, & communicationem cum aliis mortalibus. Alia occaſione copioſe de hac re dixi (*i*): hoc loco ſaltem moneo, quando cum alio inficiens febrem communicat, qui ea correptus eſt, ſolere fieri in fine morbi, nempe quum, quemadmodum de *hydrophobia* dicens

(a) Epidem. lib. II. & III. (b) De temperament. l. 1. ca. 4. & Comment. in Epid. I. III.
(c) Lib. VI. v. 1098. (d) Hiſt. Afr. l. 1. c. 1. Vid. Purchas's Pilgrius, l. VI. c. 1. Dapper, Deſciptio Afric. p. 127. (e) Vid. Prognoſt. & Galen. Comment. (f) Sect. III. aph. II.
(g) De febre malign. lib. I. c. 8. (h) De aere, aquis & locis, & de morbo ſacro.
(i) Diſcurſu de Peſte.

dicens obſervavi, fermentans ſanguis magna copia agiles particulas in glandulas ejicit, maxime conſtanter, & copioſos liquores ſecernentes, quales ſunt glandulae in ſuperficie corporis, & ore. Iſtae particulae cum aere hauſtae a pulmonibus ſani hominis, in poros etiam cutis inſinuatae, primum nervoſum fluidum afficiunt, tum ſanguinem, origoque ſunt fermentationi ſimili ei, qua ex ſuo corpore deturbata ipſa erant.

Modus, quo mala alimonia, mala maturati fructus *&c.* malignos, & peſtilentiales morbos gignunt, non multum differt ab hoc, quo inſalubrem aerem dixi eadem mala efficere. Succo enim, quem ſuppeditant ſanguini, corrupto, neceſſe eſt ineptum chylum reddi nutritioni, & ſecretionibus, ut mirum non ſit, praeter reliqua ſolita ſymptomata, acres pupulas, inflammationes, ulcera *&c.* frequentiora febribus ad his cauſſis, quam in reliquis, per totam corporis ſuperficiem erumpere.

Hinc eſt, quod ſaepe *famem peſtis* excipit, atque quod haec calamitas ſoleat incipere inter pauperem plebem, cujus utique malus eſt victus.

Conſtanter etiam obſervatur, in regionibus peſti expoſitiſſimis, *Turcia*, *Africa*, dum maximo numero plebs rapitur, extraneos laute viventes, vitato commercio infectorum, periculo ſe ſubducere.

Tantum dixerim de venenatis halitibus, & aere, deque eorum effectibus, in quaerendo ductus a conſideratione ſpecus de canibus dicti, *grotta de' cani*. Fuerint forte aliae hujus elementi mutationes diverſae ab iis, quas recenſui, aeque autem noxiae, ſed nolo iis immorari, tum quod quae a fumis arſenicalibus, & mineralibus ſunt, referendae ſunt ad praecedens tentamen, tum quod quae a mutatis cognitis aeris qualitatibus ſunt, facile ex iis explicantur, quae hoc tentamine dixi: malo itaque memorare noxas quaſdam aliud fluidi, quod, quemadmodum uſu proximum eſt illi, de quo egi hactenus, ita etiam mutati malignae qualitates, aeque, ut par eſt, periculoſae ſunt, & letiferae.

Aquam dico, cujus adeo non ſolum in potu, ſed & in coquendis carnibus, & pane, perpetuus uſus eſt, ut vehiculum omnium alimentorum dici mereatur. Itaque ſicubi qualitas ipſi aliqua accedit, a ſcopo aliena, non mirum tranſeundum ipſi corpus illam perſentire.

Itaque *Pariſiis*, cujus urbis magna pars aquas ſuas ducit ex *Arcueil*, adeo lapideis particulis plenas, ut tubos ſuos, per quos fluunt, brevi tempore cruſtis occludant, *Liſterus* obſervavit multo plures mortales calculo veſicae laborantes, quam in pleriſque aliis locis. (a)

Fingamus jam craſſiores iſtas particulas, quibus ſaturata aqua eſt, alius alicujus naturae, *metallicas*, *ſalinas &c.* deponentur in corpore circumductae in aliquas partes, ex legibus motus, pro ſui pondere vario, pro canalium varia capacitate, ſimilibuſque circumſtantiis. Ita minerales iſtae particulae, & nitroſi ſales, quibus *alpium* nivales aquae abundant, adeo certo infarciunt, & diſtendunt glandulas gutturis in iis, qui bibunt, ut vix ibi videas aliquem ab iſto incommodo exemtum. (b)

Veteres itaque aquam potui deligebant ponderando, praeferentes quae maxime eſſet levis, ut pote carentem heterogeneis corporibus.

Venenatorum itaque fontium ea eſt noxa, quod admixtas aqua vehit corroſivas particulas, quas oportet dimiſſas alicubi in canalibus corporis a vehiculis ſuis, eadem mala perpetrare, ut ſi receptae eſſent non dilutae. Illud intereſt diſcriminis, quod eo modo ad interiora perducuntur, trajectiſque *primis viis*, in intimis receſſibus malignum ingenium oſtendunt. *Aethioptiae* iſte *fons ruber*, *Plinio* dictus (c), circa quem magna copia minii nativi, cinnabariſque inventa fuit, in cerebro laedendo potiſſimam vim exſeruit, ut *Ovidius* (d) de eo dicat,

Si quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut patitur mirum gravitate ſoporem.

Plura ergo dicere de hoc argumento non opus eſt, omnia enim, quae enumeravi, mineralia venena poſſunt necandi vim ſuam in aquam transfundere, ut exempla ſint *arſenicalium*, *mercurialium*, *&c.* fontium, quae collecta videa. a doctiſſ. *Baccio* (e) & unum maxime memorabile in *Philoſophicis Tranſactionibus* (f)

Operae autem pretium credo, quod ante de

(a) Vid. Liſters Voyage to Paris. (b) Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Juvenal. Satyr. XIII. (c) Lib. XXXI. cap. 2. (d) Metamorph. lib. XV.
(e) De Thermis, lib. VI. (f) Number 8.

de *aere*, hoc loco de aquis etiam obſervare, interdum illis mutationes induci non quidem venenatarum ſtatim nomen meritas, meritas tamen attentionem ob magni interdum momenti effectus.

Noto itaque malam aliquam circa urbem hominum conſuetudinem hac ipſa in re, nempe quod interdum ſtagnantes impuras puteorum aquas coquendae cereviſiae, parandiſque aliis potibus adhibent. Sane interdum talis aqua aptior extrahendis ex polente viribus meracius tingitur, quam innocentior, leniorque fluviorum lympha: ſed ob hanc ipſam rationem, niſi quum neceſſitas cogeret, nullus debebat ejus uſus eſſe, vis enim iſta debetur mineralibus particulis, & aluminoſis ſalibus iſtius aquae.

Noviſſimus aliquis auctor (*a*) inquirens in primas hiſtorias morbi, nobis *Scorbuti* dicti, a *Plinio* (*b*) & *Strabone* (*c*) deſcripti cum promiſcuis nominibus *Stomacaces*, & *Scelotyrbes*; examinanſque fide dignas hiſtorias nuperorum medicorum, qui ipſi in infelicibus iſtis regionibus renatum obſervarunt, *Olai Magni*, *Balduini Ronſei*, *J. Wieri*, *Salomonis Alberti* &c. invenit omni tempore, omnibus locis, originem ejus imputatam inſalubribus ſtagnantibus aquis. Deinde comparatis argilloſis *ſtratis* terrae circa *Londinum*, *Pariſios*, *Amſtelodamum* oſtendit, ubi maxime malae ſunt aquae, ibi maxime hunc morbum matureſcere. Extra dubium poſuit plurima inter ſe nexibus complicatorum ſymptomatum iſtorum quae generale ſcorbuti nomen complectitur, potiſſimum deberi malignitati aquae.

Ipſe etiam *Hippocrates* non ſolum plene detectum ſignavit hunc morbum nomine σπλῆνες μεγάλοι, *Splenes magni*, (*d*) ſed & ſigillatim alio libro obſervat, potum *ſtagnantium putealium aquarum* neceſſario inducere malum habitum *ſplenis*, & *abdominis*. (*e*)

Rationem horum effectuum quaerentibus cogitandum eſt, *argillam* eſſe *mineralem glebam*, atque ut *Liſterus* (*f*) obſervat, craſſiores iſtas particulas, & metallicos ſales, quibus aquae in talibus alveis fluentes abundant, idomabiles eſſe, nec digerendas humano corpori. Non ſolum, ut bene *Liſterus* argumentatur, calculoſas concretiones in renibus, veſica urinaria, articuliſque, & ut *Hippocrates* expertus eſt, tumores *ſplenis* formabunt, ſed & neceſſe eſt rodente vi vellicare ſaepe, & irritare ſenſiles membranas ventriculi, & inteſtinorum, atque adeo impedire coctionem ciborum. Praeterea quum in ſanguinem penetrarunt, non mirum canaliculos, vias inſenſibilis perſpirationis obſtrui, indeque eſt, quod *Sanctorius* docet, „ graves aquas vertere transpirationis materiam in *ichorem*, qui retentus *cachexiam* faciat. (*g*)

Quae inde damna par ſit ſequi nemo eſt, qui non videat: non ſolum dolores artuum, lividas maculas in ſuperficie corporis, ulcera *&c.* ob acrimoniam non excreti humoris; ſed & multas earum nervoſarum calamitatum, qaae *hyſtericae*, & *hypochondriacae.* dici ſolent, originem ex hoc fonte ducere probabile eſt. *Sanctorius* enim, quem dixi, obſervavit, *flatus*, ſine quibus hae paſſiones non ſunt, *nihil aliud eſſe*, *quam rude perſpirabile*. (*h*)

Etſi forte incommode haec ſaepe non ſentiunt, niſi quum jam aetas inclinatur, robuſta, & agilia corpora; docuit me tamen certa experientia mereri medentis attentionem in debilioribus, & ſedentariae vitae aſſuetis, maxime in ſexu ſequiori.

Itaque *Plinius* (*i*) *damnantur*, inquit, *inprimis fontes*, *quorum aquae decoctae craſſis obducunt vaſa cruſtis*. Atque id facere puteales noſtras undas, qui ſemel inſpexit vulgaria pro coquenda thea ahena, neſcire nequit.

Sane in univerſum haec medicinae pars, quae diaetetica eſt, majore antiquis temporibus cura quam nunc excoli ſolita eſt, & hoc ſigillatim argumentum, in quo nunc ſum, tanti habitum eſt momenti, ut *Hippocrates*, qui librum de his rebus ſcripſit (*k*) optimum eorum, qui unquam ſcripti de illis ſunt, non ſolum rationem plurimorum morborum, ſed & temperamentorum, & ſtudiorum, quae integrarum regionum nationibus ſunt, a diverſitate aeris, & aquae deduxerit.

EX-

(a) Dr. J. H. Scelera aquarum: or a ſupplement to Mr Graunt on the bills of mortality.
(b) Lib. XXV. c. 3. (c) Geogr. lib. VI. (d) Fronhet. lib. II. c. 16.
(e) De aere, aquis, & locis, ſub finem. (f) De fontib. med. Angl. p. 2. p. 75. At foſſilia ſive metallica ſalia alia atque alia ſunt, & nobis & pene igni dixeram indomabilia.
(g) Medic. ſtatic. §. 11. Aphor. 6. (h) Ibid. §. 3. Aph. 13. [i] Lib. XXXI. c. 3.
[k] De aere, aqui., & locis.

EXPLICATIO FIGVRARVM

QVAE IN IPSO LIBRO NON HABETVR.

TABVLA 3. *Scolopendra*.

Fig. 1. *aa.* brachia venenati forcipis.

Fig. 2. brachium tale figura amplificata, in quo apparet hiatus *b.*

Fig. 3. Scorpio.

aa. ejus forceps.

b. cauda cum aculeo in fine.

Fig. 4. aculei major figura, ut oſtendi poſſit hiatuum unus, ex quo emittitur venenum. *a.*

Fig. 5. *Tarantula*.

aa. forceps, qui vulnerat.

bb. antennae.

TABVLA 4.

Superior ſuperficies expanſi folii *Lichenis*.

aa. *Peltae*, ſive ſeminales *capſulae* in ora foliorum.

Fig. 2. inferior ſuperficies ejusdem folii cum *peltis*.

Fig. 3. forma folii, quale non expanſum in terra jacet.

CONTENTA.

Introductio. P. 1

TENTAMEN I.

De Vipera. 113

APPENDIX, continens anatomicam deſcriptionem earum viperae, & ſerpentis caudiſoni partium, quibus cum veneno negotium eſt: cum brevi narratione de quibuſdam aliis venenatis animalibus. 121

TENTAMEN II.

De Tarantula. 127

TENTAMEN III.

De Cane rabido. 132

TENTAMEN IV.

De Mineralibus, & Plantis venenatis. 141

TENTAMEN V.

De Opio. 149

TENTAMEN VI.

De venenatis ex terra halitibus, de Aere, Aquisque venenatis. 155

FINIS.




Tab. II. P. 162.



Nic: d'Oraty Sculp.

Tab. III.

Tab. III Pag. 162



Tab. IV. Pag. 162



Nic: d' Orati Scul:

RICHARDI MEAD,

COLL. MED. ET R. S. S. MEDICI REGII

DISSERTATIO

DE

PESTE

AD

EDITIONEM NONAM CORRECTAM ET AVCTAM,

ANNI MDCCXLIV.

EX ANGLICO IN LATINVM

CONVERSA.

ILLVSTRISSISSIMO
IAC. CRAGGS,
ESQ.
EX REGIIS PRINCIPIBVS
STATVS SECRETARIIS.

DOMINE.

COnſilia mea de *Praecavenda Peſte* Tuo juſſu chartae mandata Tibi ſubmiſſe offero. Quum primum mihi, Rege abſente, ſignificaſti, placere excellentiſſimis Curiae Judicialis ſenatoribus, (*Lords Juſtices*) proſpici publicae ſecuritati, quum dirus nunc *Galliam* morbus infeſtet conſiliis in medium afferendis, de defendenda a noſtris oris iſta calamitate; paratiſſimus iſtud oneris in me recepi, etſi ſerius monito parum ad eam rem otii eſſet, ut non niſi *ſumma capita adhibendae cautionis attingere*, neque licuerit *omnem conſiliorum ambitum juſte perſequi*.

Cautionis caput primum quod attinet, de imperanda cuſtodia quadraginta dierum, *Quarantaines*, conſilia mea videbis, ut es, Domine, gnariſſimus hiſtoriae *Europae*, congruere iis, quae in aliis regionibus fieri moris eſt, meis quidem nonnullis conſiliis additis. De altero, quomodo

modo

modo *jam illatum noſtrae Angliae* contagium compeſcendum foret, diverſa quidem mea methodus eſt, tum ab illis, quae priſtinis temporibus inter *nos* in uſu fuerunt, tum quae ſolent eſſe *externis*: ſed perſuaſus ſum rationi conſentaneam inventum iri.

Toto animo opto, ut quae, penes quos reipublicae regimen locatum eſt, ſapienter de illo *priori* conſtituerunt, conſtituentque, efficiant, ut ne de *altero* praeceptis applicandis locus ſit. Ceterum ad utrumque eventum oportet parata eſſe *praeſidia*, quibus *defendamur* contra adeo terribilem *hoſtem*.

Optarim, ut hoc meum breve *Tentamen* teſtimonium inter multa alia exſtet curae, quae Tibi patriae ſemper maxima fuit, tum & ſtudii reverentiaque, quibus quod Te colo honori mihi magno duco.

DOMINE

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

NOV. 25.
1720.

ADDICTVS
R. MEAD.

PRAE-

PRAEFATIO.

SCriptus hic liber conſilio primum, ut quaſi parva tabula delineationem exhiberet methodi, qua contra *Peſtem* patria noſtra munienda eſſet, (*a*) brevibus limitibus circumſcribebatur, dictione conciſa. Quum mox Parliamenti decretum fieret, quod imperabat cuſtodiam quadraginta dierum, *quarantaines*, &c. ſecundum conſilia, quae de ea in hoc libro dedi, uno anno ſepties nihil mutatus prelo ſubiectus fuit. Tum vero viſum eſt *addere* aliqua, oſtendere rationes methodi, deſcribere plenius ipſum morbum, colligere exempla felicis ſucceſſus conſiliorum iſtorum, ſicubi in uſum vocata erant. Annexui etiam breve caput de curatione peſtis, motus, quod videbam, longiſſime multos auctores a ſcopo aberrare, qui cumulum praeſcribunt inutilium, ſaepe etiam nocuorum medicamentorum, quae commendarunt ſpecioſis nominibus *Antidotorum*, *Specificorum*, *Alexipharmacorum*: ſperanſque maximam convenientiam, quam obſervavi huic morbo eſſe & *variolis*, excuſationi mihi futuram ſcribenti de morbo, quem numquam ipſe vidi.

Sane *Variolae* vera *Peſtis* ſunt, ſui quidem generis, nata, quemadmodum omnes eſſe peſtilentiales morbos docui, in eodem fervido *Aegypti* climate, allata in *Aſiam*, *Europamque* tum mercatura, tum maxime *bello* iſto cum *Saracenis*, quod *ſanctum* dicitur, geſto ſub finem undecimi, & initium duodecimi ſaeculi. (*b*) Ab eo inde tempore conſervata iſtius morbi ſemina ſunt, latentia in veſtibus, & domum ſupellectile, atque in omnibus regionibus pullularunt, prouti calida, & humida aeris tempeſtas ſpargendis, & exſerendis viribus faventior eſſet. Pariter *morbilli ſui generis peſtis* ſunt, originemque ex eadem regione ducunt.

Poſtremo nunc hoc meum opuſculum reviſens cauſſam quidem non habui mutandi mentem in ulla potioris momenti re, quae aut ad *arcendum*, aut ad *compeſcendum* contagium pertineret, ſed paſſim nova ratiocinia quaſi novas *lineas* addidi, iterato quemadmodum pictor aliquis *ornamenta* attigi, *colores tabulae* excitavi.

Longa praefatio ultimae editioni praefixa haec fere continet.

Copioſior fui in demonſtrando, *contagioſum* hunc morbum eſſe, quam umquam opus eſſe crediddiſſem, poſtquam multis aetatibus per totam *Europam* experimentorum occaſionem morbus dedit, niſi mihi *Galli* aliqui medici maximam admirationem inieciſſeet, qui eo ipſo tempore conati ſunt oppoſitam opinionem demonſtrare, quo contraria ipſis, & invincibilia argumenta ſub oculis poſita erant. Sigillatim non poſſum non vehementiſſime mirari Ill. *Chicoyneau*, atque reliquos Medicos, qui primi *Obſer-*

(a) Vide Dedicationem. (b) Vid. Huet. de rebus ad eum pertinentibus, p. 23.

ſervationes de Peſte Maſſilienſi dederunt, quum eos video in cogitatis, (*Reflections*) ad has obſervationes poſtea editis narrare exemplum viri, peſte correpti, poſtquam ſepelierat juvenem feminam ea mortuam, ad cujus corpus nemo alius erat, qui auderet accedere; hujus autem viri morbum natum dicere, non quod *infecerit* eum femina, ſed quod vehementiſſime amatae jacturam doleret, atque a *diarrhoea*, quae ante eum tenuerat. (*a*) Non dubito, quin conjunctae hae cauſſae violentiorem morbum reddiderint; forte etiam ad recipiendum *contagium* hominem pararint; rationem autem, cur dicendus ſit non *infectus* fuiſſe, ne fingere quidem mihi poſſum, quum res ipſa doceat fuiſſe. Neque magis vel ſpeciem excuſationis invenio, quum *infectionem* negant alio in exemplo, quod narrant, *nobilis iuvenis feminae peſte* correptae ad repentinum aſpectum *peſtilentialis tumoris* in ancilla rupti, in qua negant, inquam, morbi aliam cauſſam fuiſſe praeter terrorem. (*b*)

Nempe hi viri addixerant ſeſe *Hypotheſi*, *peſtem Maſſiliae* ortam eſſe longo uſu pravae alimoniae, atque hanc ſuam opinionem deperientes nihil evidentiſſima quaevis teſtimonia movebant, quod ſolet uſu venire illis, qui malunt ſuis conjecturis indulgere, quam recta via incedere ductura ad detegendum in natura verum.

Novi, quid dicant, abunde ſuam ſententiam confirmari experimentis, quae Cl. *Deidier* (*c*) fecit cum *bile* hominum *peſte* necatorum, quae aut vulneribus indita in compluribus canibus huic ipſi ſcopo inflictis, aut in venas injecta, inter complura experimenta ne uno quidem excepto, ſymptomata omnia peſtis, etiam *bubones*, & *carbones* produxit. Inter hos canes unus fuit, quem conſtitit trimeſtri ante cupidiſſime voraſſe *carnem* infectorum hominum, *plumaceola* ab ulceribus peſtilentialibus ablata, nullo ſuo damno. Itaque argumentantur (*d*), non *contagione* communicari, ſed in ipſo corpore a corrupta bile ariginem ſumere. Hujus corruptionis ajunt inſalubrem victum cauſſam eſſe, corrupta autem *bile* condenſari, & quaſi coagulari ſanguinem, hancque peſtis cauſſam eſſe, cui quidem concedunt vim addi anni tempeſtate mala, *terrore*, & deſperatione incolarum.

Curioſitatis haec experimenta utique plurimum habent, ſcopo autem, cui in medium afferuntur, plane non ſufficiunt. Ad ſummum id colligi inde poteſt, *canes* non aeque certe facile, quam homines ab hominibus contagium haurire: deinde in corpore peſte correpto *bilem* maxime corruptam eſſe; ut mixta ſanguini canis ſine mora eumdem morbum generet.

Neque

(a) Obſervations ſur la Peſte de Marſeleille, p. 38. 39. 40. (b) Ibid. p. 113.
(c) Vid. Philoſ. Tranſactions No. 370. (d) le Journal des ſcavans, 1722. pag. 279.

Neque autem inde ſequitur, aut in *bile* morbi ſedem eſſe, aut non aeque reliquos corporis humores corruptos eſſe. Equidem nullus dubito, totam ſanguinis maſſam in ſtatu *putrefactionis* eſſe, ut neceſſe ſit omnes inde ſecedentes humores de veneno participare.

Atque ſane poſtea experimentis Cl. *Couzier* (a) conſtitit, non ſolum *ſanguinem*, ſed & *urinam* infecti hominis crurali canis venae infuſam attuliſſe *peſtem*. Auſum affirmare, ſi loco *bilis*, *ſanguinis*, *urinae*, ipſa *ulcerum ſanies* in vulnus cani inflictum indita fuiſſet, perniciem certe aequalem ſecuturum fuiſſe; quod licet colligere ab inſitione variolarum.

Quod illud attinet, quod canis *corruptam carnem*, & *purulentam materiam* aegri devoravit, debebant illi viri meminiſſe, eſſe aliqua venena potentiſſima, ubi ipſi ſanguini miſcentur, quibus in ventriculo nulla plane vis ſit: ut ſunt *ſaliva* canis rabidi, & *venenum* viperae (*b*). Ipſe etiam Cl. *Deidier* aliquot menſibus poſt priora experimenta vidit ipſam peſtiferam *bilem* a cane impune devorari (*c*).

Ita, ni fallor, aequum erat ex illis experimentis argumentari: quum ſanguinem, reliquoſque humores adeo peſtis corrumpat, ut canes, non ita ut ſunt homines expoſiti hauriendo ſolitis viis contagio, corripiantur illato cum parva illorum humorum ex infecto corpore portione, ſanguini affuſa: par eſſe, ut *effluvia* ex infecto corpore, hauſta a ſano, peſtilentia ſint, eidemque morbo generando apta.

Quum affirmo, *Gallicis* iſtis Medicis ſub oculis optima quaevis argumenta fuiſſe, quae poterant convincere de *Infectione*, non id ab his ſolum exemplis confirmatur, quae ab ipſis memoriae prodita ſunt, ſed & ex litteris clariſſimorum *le Moine*, & *Bailly* (*d*), qui narrant, quomodo allata *peſtis* fuerit *Canourguam* in agro *Gevaudan*: tum mirabili experimento de maxima hujus veneni ſubtilitate, quod caſus tulit in loco *Marvejols*, ut hominum in *templum* collectorum ſexaginta una inficeret adveniens homo ex impura domo. *Canourguam Maſſilia* peſtis hoc modo venit. *Mancipium* remex adhibitum Maſſiliae ſepeliendis cadaveribus, aufugiens venit in pagum *St. Laurent de Rivedolt*, milliari uno diſtantem *Correjaco*; ibi conveniens cognatum habitantem *Correjaci* dono ipſi dat ſubuculam, *Waiſtcoat*, & par tibialium Maſſilia allatorum. *Cognatus* hic in ſuum pagum redux intra ſecundum aut tertium diem moritur, ſequuntur mox cum *matre* terni liberi. Venit *filius Canourguae* degens ſepultum familiam; domum redux dat *affini* allatum pallium: repoſito hic in lectum pallio amittit primo die *infantem*, qui cum ipſo cubabat; duobus

(a) Vid. Diſertation ſur la contagion de la peſte a Toulouſe 1724.
(b) Vid. Expoſit. mechan. Venenorum pag. 34. (c) Vid. Philoſ. Tranſ. N. 372.
(d) Vid. Lettre de Meſſieurs *le Moine*, & *Bailly*.

bus poſt diebus uxorem; *ipſe* ſecutus ſeptimo aut octavo. *Cognati* infelicis familiae cum bonis mortuorum idem in ſe latum receperunt.

Omnia haec abunde docent, quam non poſſint excurari *Gallici* iſti Medici, quod ita ſe receptae opinioni, *contagioſam* eſſe *peſtem*, opponunt. Tamen illorum rationem habens copioſior ſui in demonſtranda *contagione*, ne forte hominum, qui ipſi peſtem experti ſunt, opinio in errorem aliquem inducat in re tanti momenti, a qua praeceptorum meorum de cuſtodia quadraginta dierum, & ſingulorum meorum conſiliorum ratio pendet: nam ſi erronea mea opinio eſſet, *cuſtodiarum* & reliquorum *praeſidiorum* utpote inutilium abiicienda eſſent conſilia. Perſuaſiſſimus autem quum ſim argumentis evidentiſſimis doceri *peſtem* eſſe morbum *contagioſum*, omnia mea de *cuſtodia* praecepta nihil mutata retinui, nihil, ſpero, ſuadentia, quod *mercaturae* damno eſſet; parum enim conſilia mea differunt ab iis, quae a longo inde tempore in omnibus *mercatoriis* Italiae *portubus*, aliiſque locis fiunt. Immo ſi negligentiores, quam vicinae gentes, eſſe forte vellemus, metus, credo, noſtri non poſſet non commercio impedimenta obiicere.

Nolo autem longius hoc argumentum exſequi, quum inter ipſos Gallos doctiſſimus aliquis Medicus fortibus ratiociniis, & exemplis indubiis *contagionis* veritatem aſſeruerit (*a*).

Paucis, quo magis argumentum, in quo verſor, perpendo, eo perſuadeor magis, praecepta mea tum de impediendo peſtis in terram aliquam ingreſſu, tum quid faciendum praeſenti, convenientiſſima eſſe ipſius morbi naturae, atque ut in uſum trahantur maxime mereri. Qua autem exſequendis praeceptis, pro diverſo rerum ſtatu, *auctoritate*, & *potentia* conferenda in idoneos viros opus ſit, non meum eſt medici definire. Sine dubio ſemper fas eſt juſtis limitibus eam *auctoritatem* circumſcribi, ne damnum inde aliquod juribus, & libertati populi naſcatur. Quum mihi certe nullus operis alius ſcopus fuerit, quam commodum publicum, & gratiſsimum conſcientiae teſtimonium adjectae ſymbolae ad levandam maximam calamitatum, quibus obnoxium genus humanum eſt, triſte ſane, ſi qua ulla res, foret, videre ullum meorum conſiliorum in eam ſententiam trahi, quae patrocinaretur vi, & crudelitati.

Sed profiteor, nullam me in ſcriptione mea cauſſam videre, cur tale aliquid metuam. Quid enim periculi habeat locata *auctoritas* tempore peſtis idoneis imperiis regendi populum, apud *collegium* virorum conſtituendum *ſanitati curandae*, aut apud alium magiſtratum, cui, quemadmodum omnibus, qui in officio aliquo civili ſunt, ratio reddenda ſit rei geſtae? At hujus quidem rei conſideratio linquenda potius videtur illis, qui rectius natu-

(a) Aſtruc, diſſertation ſur la contagion de la Peſte a Toulouſe, 1724. 8.

turam imperiorum intelligunt. Certus equidem ſum, regulis, quas hoc in libro ſuggeſſi, & aegris majore proſpici humanitate, & totam aliquam regionem potentius defendi a morbo, ne ſerpat impediendo, quam ulla ſit methodorum aut noſtrae aut aliis nationibus antea in uſu eſſe ſolitarum.

Mos *edicto Parliamenti* confirmatus, ſi qua familia *peſte* corripitur, eam occludendi domi ſuae, neque aut exitum, aut ingreſſum concedendi, niſi qui ad officia aegris praeſtanda auctoritate eorum, quorum eſt, conſtituti ſunt, eſt ſane ſeveriſſimus, utpote qui totam familiam periculo ejusdem morbi ſubjiciat, non multum mitior decreto aliquo, quod jubeat, crudeliſſimam mortem obire: quam rem ita eſſe in ipſa diſſertatione docui.

Multa etiam obiici contra methodum poſſunt, quae *Gallis* in uſu fuit. Quod in *noſocomia cogitur aegrorum vis*, nulli bono ſcopo inſervit, potius *contagio juvatur*, & *ſpargitur*, aegrique duriſſimis neceſſitatibus exponuntur. Non illa parva miſeriarum pars eſt, quibus horrendus hic generis humani hoſtis ſtipatur, quod, quum mitiores calamitates in *molleſcentia* pectora aditum *miſericordiae* aperiant, hoc maximum malorum contraria pathemata ciere obſervatur. Sive quod perditi mortales, ſpe impunitatis in tanta omnium rerum confuſione oſtenſa, habenas male morato animo remittunt, alioqui metu poenarum coercendo; ſive quod continuus calamitatum, & miſeriarum conſpectus plane animos hominum pervertit, omnemque humanitatem delet; ſive quaecumque alia cauſſa ſit: certiſſimum eſt, quo tempore crederes unita omnes vi niti in amoliendo publicarum miſeriarum cumulo, omnia contraria videas mutuum neglectum, & barbara facta aliis inaudita temporibus. Hinc eſt, quod *Diemerbroekius* narret, ſaepe ſe commiſſa noſocomia vidiſſe inhumaniſſimis nebulonibus, quorum negligentia magno numero aegri perirent, & qui interdum ſuffocarent ipſi, ſi qui eſſent valde jam debiles, aut nauſeoſis ulceribus afflicti curatu difficilibus. Vt viſi ſint aegri, qui maluerunt ſub dio ſe reponere, leviſſimis ſtrangulis tecti, quam in poteſtatem barbarorum iſtorum venire, quorum noſocomia concredita curae erant. (*a*)

Similia apud Gallos incommoda dat rigidus *vallium* coactus. Nam quum ita plane exitum ab *infectis* locis omnibus negant, ad communem perniciem tum ab ipſo morbo, tum ab iſtorum locorum confuſione, compellunt, quos bona ſua fugae praeſidiis inſtruebant; qua quidem vi *infringi libertatem* ſine dubio clamaturi eſſent liberae regionis incolae, neque ferendum, ita jus negari, quod unicuique a natura datum ſit.

Has itaque difficultates quum cogito, non poteſt non maxime volupe eſſe, quod illis *praecepta* mea pene quin dixerim plane carent, ut tamen juſta morbi ratio habita ſit. Quamprimum aegrotorum nimis magnus eſt

(*a*) Diemerbroek, de Peſte, p. 120.

numerus, meum conſilium eſt, ut in ſua quiſque domo relinquatur, neve immitibus iſtis imperiis ipſi cum integris familiis coerceantur. Poteram forte juſte praecepiſſe, ut, qui *infectam* domum frequentant, aut in ea habitant, quum in publicum procedunt, affixum portare jubeantur *longum pannum* coloris alicujus eorum, qui maxime oculos feriunt, aut aliud *manifeſtum ſignum*, quo moneantur omnes, ut ſibi caveant ab improviſo commercio; quam audio nonnullis in locis hoc rerum ſtatu conſuetudinem eſſe. *Aſportari ex domibus* ſuis *aegros* initio tantum ſuadeo, quum neque illorum incommodorum ullum adfuturum eſt, atque ipſis aegris optabilis illa res fuerit. Inauditum fere eſt, non inter *plebem* initia morbi fuiſſe. Ad eos itaque ſolos praeceptum hoc attinet, quorum anguſta domicilia omni ex parte ferendo morbo incommodiſſima ſunt. Itaque meo conſilio maxime juvantur *pauperes* primi inficiendi, aſportandi ad hoſpitia aptiora quam cujuſque proprium eſt, ſuſtentandi lautius, quam res cujuſque anguſta domi fert. Atque ab hac *aſportatione* abſunt pericula, quae pars eſt ab imperitis in adeo formidabili morbo metui, quum quotidie videamus tuto in *variolis* idem fieri. Eorum malorum, quae paullo ante obſervavi aegros in *noſocomiis* pati ab inhumanitate eorum, quorum curae demandati ſunt, noſtro caſu metuendorum aut nullus, aut vix ullus locus eſt: ſuaſi enim *aſportationem aegrorum* eo tantum tempore, quo nondum *calamitatum* longa *ſeries* progenuit confuſionem rerum omnium, & animorum occaleſcentiam. Potius veriſimile eſt, tractatum iri indulgentiori cura, quia ſufflaminationem morbi, & ſuam quiſque ſecuritatem in eo poſitam eſſe judicabit. Itaque & magno *aegri* beneficio afficiuntur, & majori etiam commoda ſana familiae talis pars, & qui proximi habitant. Nam quum hi pauperes mortales eo vivant, quod in diem labor ipſis ſuus comparavit, quamprimum *peſtis* caput inter ipſos extulerit, tum aegrotae familiae, tum vicini omnes neglecti in periculo ſunt pereundi *inopia*, niſi ipſe citius gliſcens morbus vitae finem facit.

Haec obſervatio, inter *pauperes peſtem* incipere, cauſſa fuit, quod quum primum mihi mea ſententia dicenda eſſet, in praeceptis de *removendis ex domibus ſuis aegris*, nullum eorum diſcrimen feci pro ratione fortunae; quod quidem nunc cavillorum cauſſa feci, docuique, quid fieri tum e re ſit, ſi more quidem plane inſolito contingat opulentam aliquam familiam a peſte in primis initiis infeſtari. Atque hic nullum conſilium dedi, cui non ipſe, ſi res ferat, lubens ſubmiſſurus eſſem: ſane enim mallem cum morbo me ex aedibus meis ſervaturum familiam meam aſportari, quam mecum omnes occluſos perniciei exponi. Hicque modus tractandi aegras familias, & mitiſſimus eſt omnium, qui excogitari poſſunt, ratione habita impediendi in progreſſu morbi, & longiſſime omni ex parte praeferendus illi, qui olim in

noſtra regione in uſu fuit. Nam ex meis conſiliis non opus eſt, niſi initio morbi *paucas aliquas familias removeri*: quum e contrario dum morbus duraret, ſolerent *domus occludi*. Mea, ſpero, methodo effici poterit, ut non niſi decem forte familias peſtis attingat: quin attuli exempla oppreſſae in *una*.

Quod attinet *ducenda circa infectos locos valla*, ejus rei eas regulas dedi, quae neminem ulli durae neceſſitati ſubiiciant: ſuaſi enim, ut unicuique liceat diſcedere ab *infecto* loco, non alia detinendo remora, niſi brevi *cuſtodia* trium circiter hebdomadum in tuto aliquo loco, ut manere in urbe *infecta* nemo cogatur, quem ſuarum rerum ratio non detinet.

Hac quidem in re minus quam in reliquis *generales* regulae meae ſunt, in nimis magnis urbibus applicatu difficiles, quae fuit cauſſa addendi limitantia verba (*a*). Laxitas autem diſciplinae quum omni circum *agro* incommodiſſima ſit, ipſi etiam tali *urbi* laxius cuſtoditae nullo commodo eſt. Nam, ſi qui ab *infecto* aliquo loco diſcedunt, *teſtimonia* ſecum ferant *morae factae*, quarantaines, ſuſpicionis omnem cauſſam ablatura, *iter fieri* ſecurius, & commodius multo, quam ullo alio modo poteſt. Hujus autem ordinis neglectus fecit ultimae *peſtis Londinenſis* tempore, ut difficillimum eſſet inde diſcedere, quum, qui in *provinciis* habitabant, metuerent ſibi ab omnibus *peregrinis*, magno autem ſe in periculo viderent, qui *ex urbe* veniebant, in *hoſpitia* in *via* diverſuri, quippe metuentes, ne forte contagio inficerentur, ab aliis allato indidem venientibus.

Ob eamdem etiam cauſſam factum, ut *ultima* in *Anglia* peſtis, etſi mitior, & *Londini* non ultra annum morata, diffunderet tamen ſeſe per magnam regni partem, per *Cantium*, *Dubrin* uſque, per *Suſſexiam*, *Hampienſem*, *Dorſetenſem* comitatus, *Eſſexiam*, *Suffolciam*, *Norfolciam*, *Cantabrigienſem*, *Northamptonienſem*, *Warvviccenſem*, *Derbienſem* comitatus, quin, ne plura addam, *Novum Caſtrum* uſque. (*b*)

Atque ita, quemadmodum per totum ipſum librum omni accuratione operam dedi, ut *naturae peſtis* convenientia *praecepta* mea eſſent, ita hoc loco, quomodo applicanda commode ad uſum ſint, docui.

Sed tempus eſt mittere argumentum nequaquam ex gratiſſimis.

Finem itaque omnium, quae dicere habeo de hoc argumento, faciat digniſſima lectu *ſcheda*, quae in manus meas venit, quum jam finitus ipſe integer liber eſſet, ſerius adeo quam ut ſuo loco uſus ipſius eſſet, quam ob cauſſam integram hoc loco inſero. Continetur hac *ſcheda* methodus, qua obviam iri *peſti* anno 1712. terras ſuas Germanicas infeſtanti juſſit auguſtiſſimus ſuperior *Rex*. Dedit mihi ſchedam *D. Bacmeiſter*, *Regi Hannoverae* a *Secretis* rerum *Germanicarum*, qui, quae in hanc rem *edicta* fiebant, curabat. Rogavi eum, ut iſtam mihi *narrationem*

Verba haec: *Vbicumque fieri poteſt*. (b) Vide *Nova* annorum 1665., & 1666.

nem concederet, cupidus videndi, quid cum hac *methodo* meis *praeceptis* conveniret, audiveram enim, egregium ſucceſſum fuiſſe. Jucundum mihi eſt videre admodum meis *praeceptis* conformem, atque ita quidem, ut optabatur, obtentum ſcopum, ut impediretur *peſtis* ſerpere ultra parvum numerum urbium, & pagorum, nominatorum in principio ſchedae.

Hannoverae, Febr. 10. N. S. 1722. Annis 1712 & 1713, his in regionibus peſtis graſſabatur locis his.

Vrbes

Luneburg, *Harburg*, bis.
Zell,

Pagi.

Nienfeldt, *Trebel*,
Holdenſtedt, *Brinckem*,
Melle, *Goldenſtedt*,
Bienebuttel, *Fallingboſtel*,
Achem.

In horum pagorum ultimo tres homines labore victum quaerentes, *Hamburgo* fuga ſe eripientes noctu in horreum intrant, in quo mortui proximo mane inveniuntur cum ſignis peſtis: impeditum autem eſt, ne progrederetur peſtis, incenſo horreo.

Primum eorum, quae infecto aliquo pago fiebant, vallum erat circum circa ductum, impediens incolarum cum aliis commercium. Occluſis ſine mora neceſſaria quaevis advehebantur: mittebatur medicus, maxime aliqui chirurgi; paſtor ſacra maxime infectis adminiſtrans; nutrix; veſpillones *&c.*

Omnis res ad duo praecipua capita redibat: 1. ut a ſanis *aegri* removerentur; 2. ut infectae domus probe *repurgarentur*.

Quum primum aliquem morbus corripuit, juſſus eſt ſua domo excedere, intrare *noſodochium*, *Lazaretto*, ad praeſentem uſum exſtructum. Reliqui, qui in eadem domo habitabant, & ſatis bene videbantur habere, jubebantur, ubicumque fieri poterat, noctu exuere ſemet omnibus veſtibus totos nudos, indutiſque aliis, quae ſuppeditabantur, diſcedere in *cuſtodiam* in aſſignata aliqua domo, crematis ante veſtibus, quas depoſuerant. Vt res poſcere videbatur, imperabatur veſtium mutatio, depoſitarum crematio: ut, quum, qui convaluerant, ex *noſodochiis* emiſſi *cuſtodiae* ſubiiciebantur; deinde, quum, oppreſſo jam morbo, feminae, quibus apud aegros miniſteria fuerant, veſpillones, chirurgique in *cuſtodiam* mittebantur. Aeſta-

Aeſtate, tuguria, *barraks*, in uſum vulgi infectis domibus excedentis, ſtruebantur, cremata, quum nullus amplius eorum uſus eſſet.

Quum primum infectam aliquam domum omnes incolae deſeruerant, infixis clavis claudebatur, in excubiis ponebantur, qui, ne quid furto inde auferretur, caverent. In agris, ſi qua parvi pretii erat domus, fierique tuto poterat, *incendio* conſumebatur, publiciſque ſumtibus pretium domino rependebatur. In urbibus autem, ubi periculum toti urbi timendum, vetaret cremari talem domum, mercede conducebantur, qui in atrium aut ante domum afferrent, quicquid invenirent bonorum contagio alendo aptum, ibi cremandum: aut, ſicubi minuendus vicinorum metus erat, iniiciebantur haec bona carris, deſtinatis cadaveribus auferendis, atque ita extra urbem conſumebantur. Primum mos erat alte tantum haec bona defodiendi, complura autem exempla docuerunt, effoſſa infectionem denuo ſparſiſſe: antequam coepta erant rependi pretia domuum, bonorumque igne delendorum, obſervatum eſt, ſaepe dominos partem aliquam ſublatam recondidiſſe, contagium diffundentem: at poſtquam publicis ſumtibus aequa pretia numerabantur, nihil domini celantes omnia igni dedebant.

Aeſtate emiſſa in campos pecora curare jubebantur non infectarum domuum incolae: hieme illis, qui convaleſcebant, antequam infectam domum linquerent, imperabatur, ut occiſa ſua pecora defoderent prope domum foſſis decem pedes altis.

Tantum in priore praefatione.

Aequum eſſe credo addere monitum ad lectorem de *edicto Parliamenti*, cujus in praefatione mentionem feci, ad mea in hoc libro praecepta compoſiti, & conſtituti *Decembris* 8. 1720. Hujus edicti *poſtremae* duae *clauſulae*, de *aſportandis* ex domibus ſuis aegris, & de ducendis circa infectos locos *vallis*, *Octobris* 19. ſequentis anni retractatae ſunt.

Cogitares factum hoc eſſe, quoniam injuſtae, & reprobandae inventae ſunt datae illae regulae, itaque mei ipſius defendendi gratia monendum mihi eſt, non eam eſſe palinodiae cauſſam. Nihil contra ipſa praecepta, tamquam ſi eſſent a ratione abſona, dictum in iſta retractatione eſt, niſi haec verba: *verendum eſſe, ne exſecutio earum regularum gravi moleſtia oneret hujus regni cives*. Contra rem eſſe, docui.

Vera rei geſtae ratio haec eſt. Erant in utraque Parliamenti curia potentes aliqui viri, *aulae adverſi*, qui negarent *adminiſtris regiis* concredendam tantam *auctoritatem* eſſe, qua abuti poſſent; metum eſſe, ne, quibus forte non faveret aula, deturbarent ex domibus ſuis, cuſtodiaque occluderent, miniſtrorum ſuorum ope, cauſſari infectas illas aedes eſſe. Qui quidem ut erat vanus, & ſine cauſſa metus, tanti tamen ab illis

viris

viris ſtudio excitati hominum clamores fuere, ut magnus aliquis ſtatus adminiſter mallet cedendo adverſariis gratum facere. Itaque, etſi, qui in inferiore curia primum ſe *movebant* poſtulando retractationem iſtarum clauſularum, reiicerentur, tamen qui in ſuperiore curia eadem conati ſunt, hac conſentiente ſcopum obtinuerunt.

Publici ne an privati ſpiritus potior vis fuerit, quae ad hoc obſequium perduxit, non attinet dicere. Tales *conſiliorum perturbationes* par eſt dari in ea republica, in qua *ſpiritu publico* potiora *partium ſtudia* ſunt. Probe commemini doctum aliquem primarium clericum nunc mortuum, zelo utique fervidum magis *politico*, quam *chriſtiano*, atque ex illis, qui maximos ſtrepitus dabant, quum ageretur de lege *de cuſtodia quadraginta dierum*, *the Quarantaine bill*, aliquando familiariter mecum loquentem ingenue fateri, praecepta quidem ſatis ſibi bona videri, decreviſſe autem ſe, amicoſque ſuos, uti hac opportunitate oſtendendi *aulicis* inimicitias ſuas.

Ceterum cum his non parum ad iſta efficienda contulit finis tum *peſti Maſſilienſi* imponi coeptus, & impeditus ejus per provincias progreſſus. Quos bonos effectus, non poſſum non obſervare, fuiſſe ejuſdem methodi, quam moderationem quidem ego ſuaſi. Nemo enim ignorat limites denique contagio poſitos a Gubernatore Galliae valla praeſidiis militum munita: qua ſua ſapientia non ſolum proprias terras, ſed & alias tutas praeſtitit a morbo, qui ſiquis umquam alias in *Europam* allatus, videtur vehemens fuiſſe.

At enim, etiam ſi ſeveriora talia imperia eſſent, deceret unumquemque cogitare, membrum ſe eſſe ſocietatis publicae, cujus legibus quum fruatur plurimis commodis, par eſſe, ut de ſuo jure aliquid commodis publicis cedat, ut ne iniquo animo ferat, quae fieri e re publica eſſe ſtatuitur, etſi, ut res fert, incommodum forte ipſi aliquod, & detrimentum creatura.

Salus Populi ſuprema Lex eſt. Conqueratur ne de accepta injuria, cujus in altum diſiicienda domus jubetur ad ponendos limites flammae omni circa regioni periculum intentanti, ſi cogitet, vicinorum quemvis ita ex periculo evadentium, idem ipſius cauſſa damnum paſſurum fuiſſe, ſi mutata vice alter alterius in domo habitaſſet.

Re autem vera nulla plane crudelitatis, potius verae miſericordiae ſigna dant praecepta iſthaec, quum iis quidem limitibus, quos circumſcripſi, perſuaſiſſimus ſum, qui maturo judicio perpenderit, quae hujus morbi natura eſt, facile perſpecturum eſſe, non ſolum optimas has regulas eſſe, ſed ſolas, quae cum ſpe obtinendi ſcopi proponi poſſint. Itaque non dubito, ſi contingat calamitatem hanc, quam Deus avertat, in noſtram regionem afferri, ipſam populi vocem efflagitaturam auxilio talia: etſi interdum videas eorum mentes occupatas mala aliqua *libertatis* imagine, etiam optimis rectoribus, habenarum impatientes.

PARS

PARS I.

DE

PESTE GENERATIM.

CAP. I.

DE

ORIGINE ET NATVRA PESTIS.

QVum ſcopus hujus Diſſertationis ſit in medium afferre conſilia, qua optime ratione natio noſtra contra *Peſtem* defendatur, quumque ideo de conſideranda mihi ſit natura *Contagii Peſtilentialis*, quantum quidem opus eſt ad reddendam ratione praeceptorum, quae daturus ſum; antequam ad ſingula conſilia devenio, quaeram de cauſſis, ex quibus *peſtis* oritur, & quibus ſe modis contagio diffundat.

Remotiſſima antiquitas peſtem, quemadmodum complures alios morbos, tamquam poenam conſiderabat, *judicio divino* deſtinatam ſceleribus mortalium, contra quam opem quaerebat ſolis ſacrificiis, & luſtrationibus caelites iratos placaturis (*a*).

Quantumvis multa dici forte poſſent a defenſuro hanc opinionem, quippe quum ſacrae nos hiſtoriae doceant, interdum vindictae divinae inſtrumentum peſtem fuiſſe; certum tamen eſt, occupatis animis longius has meditationes progreſſas cauſſam magni mali fuiſſe, quippe quae impediverunt, ne ad quaerendas naturales cauſſas animi ſe appellerent, potiuſque ſupini ſe ſubmitterent malis, contra quae plurima auctor naturae, cujus infinita eſt bonitas, & ſapientia, praeſidia paravit.

Itaque, poſtquam ſeriore aetate medica ars coepta eſt imponi, tamquam fundamento domus, naturalium rerum ſcientiae, *Hippocrates* ſtrenue obniſus eſt opinioni huic, *eſſe aliquos morbos divinae originis, atque proxime caelitus immitti*, affirmavitque, *nullum morbum magis a Diis eſſe, quam ſint reliqui, omnes ab illis eſſe, neque tamen non deberi ſuis unumquemque propriis naturalibus cauſſis: divina eſſe ſolem, frigus, ventos; quorum mutationes, & in corpora humana vires probe conſiderare medicum deceat* (*b*).

Haec generatim dicta credendus eſt magnus medicinae auctor intellecta voluiſſe non magis de ullo reliquorum morborum, quam de Peſte; quae ipſius ſententia qualis quamque juſta ſit, apertum aliquo modo fiet, quum ad quaerendas cauſſas hujus morbi venero.

Ante hanc autem quaeſtionem convenit prius removeri eorum opinionem, qui niſi violentiae gradu non differre *peſtem a febri vulgari* dixerunt. At manifeſtum eſt, ſi, quod omnes concedunt, *variolae*, & *morbilli* ſpecie ab omnibus aliis morbis diſtincti ſunt, propter ſua ſibi privata ſymptomata, concedendum etiam, ob partes cauſſas eſſe, non minus quam illi morbi, peſtem ab ordinariis febribus diſtingui indole ſua, quum ſymptomatum diſcriminantium ſuus ipſi complexus adſit, aequa neceſſitate, quam ſua *variolis*, & *morbillis* exanthemata; qui bini morbi, quemadmodum in praefatione obſervavi, ſui generis *peſtes* re vera ſunt.

Quemadmodum in *variolis puſtulis* in cute excitatis corpus exoneratur, ita in *peſte* noxii humores, aut in *tumores* glandularum eiiciuntur, in *parotides*, *bubones*, ſimileſque, aut in *carbunculos* in quacumque corporis parte pronatos. Haec adeo hujus morbi ſpeci-

(a) Celſus de Medic. in Praefat. morbos ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam. (b) Libr. de Morbo ſacro, & libr. de aere, locis, & aquis.

cifica ſigna certa ſunt, ut alterutrum ſemper adſit: niſi forte, nimis malignus morbus quum eſt, aut nimis fractae vires, aeger ante occumbit, quam tempus eſt aliis depoſitionis, nempe morbida materia, quae emittenda per *tumores* externos erat, in correptis viſceribus gangraenas excitante.

Hinc fit, ut utique contingat, neque *tumores* glandularum, neque *carbones* apparere; quemadmodum mala interdum *variolarum* ſpecies teneris in corporibus ante *eruptionem* puſtularum fatum concitat, aut *diarhoea*, ant *haemorhragia*, aut alio modo eorum, quae ſolet ſuperans malignitas inducere.

Medici *Galli* quinque *claſſium*, in quas, pro gradu mali, aegros *Maſſilientes* diſpeſcebant, omnes comitatas obſervarunt *bubonibus*, & *carbonibus*, excepta *prima*, cujus claſſis aegri tanta vi corripiebantur, ut aut paucis horis exſpirarent, aut intra primum ſecundumque, ut maxime ſero, diem, oppreſſi anxietate, & lypothymiis, in quas coniiciebat primis ſtatim morbi impetus, quippe ſtatim *viſceris* alicujus gangraena incenſa, quod in ſectis cadaveribus apparebat (*a*). Haec *Gallicorum* Medicorum obſervatio, cui quae in priorum temporum peſtibus auctores obſervaveruut, conſentanea ſunt, aperte demonſtrat, adeo illas proruptiones non eſſe effectus ſolius majoris morbi *violentiae*, quam eſt reliquis febribus, ut non abſint niſi, quum plane efferus morbns eſt, alias autem praeſto ſint conſtanter etiam mitiſſimo morbo, at non ante interdum ſigna recepti contagii in ſe aegri obſervent, quam jam *tumor* appareat: qua de re praeter Gallicos iſtos medicos etiam alii magnae fidei ſcriptores certiores nos reddunt. Vt prona ſit concluſio, aeque has *eruptiones* pathognomonicum ſignum hujus morbi eſſe, quam ſunt, quibus *variolae*, & *morbilli* agnoſcuntur, & diſtinguuntur: quibus etiam morbis, quemadmodum aegri illi *primae claſſis* peſte correptorum ſaepe obſervantur e v ta abripi aegri nimia febris vehementia, antequam *puſtulis* prodire datur.

Magnae hoc calamitatis cauſſa fuit, quod ita peſtis morti aegros dabat, antequam ullae ſe *proruptiones* monſtrarent. Miſſi ad examinanda mortuorum corpora Medici, & Chirurgi, quum non inveniret pathognomonica ſigna, retulerunt Magiſtratui, non eſſe *Peſtem*; atque in hac ſua opinione perſtiterunt, donec ipſorum aliquis cum familiae parte infectione periret. Haec horum virorum affirmatio impedivit neceſſariis cautiones (*b*).

Atque hoc potiſſimum diſcrimen ſaparat veram *peſtem a febribus* iſtis ſolito malignioribus, quae neceſſario inductae mala aeris tempeſtate, quam deinde docebo cum *peſte* ſemper eſſe, hanc praecedere ſolent. Nam quum hae febres in aegris, qui convaleſcunt, nihil cum tumoribus in glandulis, aut carbonibus, eiiciant, quae docui veram etſi leviſſimam *peſtem* characteriſtica ſigna comitari, ſane nulla idonea cauſſa eſt colligendi, eſſe eas febres leviorem tantum peſtis gradum. Potius omnia, quae apparent, docent, diverſae naturae eſſe, non ſolere, quemadmodum eſt *peſtis*, *contagioſas* eſſe, quae huic neceſſario foedere jungi, ſed ſaepe ſe oſtentare, *peſte* nulla vera loquente.

Viciſſim nolim credi *peſtis* nomen omni *febri* dare, cum qua ſimilia illi prorumpunt: nam, quemadmodum non quaevis *puſtula* in cute efflorefcens indicat *variolas*, neque quivis in inguine tumor *venereus bubo* eſt; ita ſine *peſte carbones*, & praeter *peſtem* alias febres licet invenire, quibus critici ſunt *tumores*, & abſceſſus, ſaepe in ipſis *parotidibus* aliiſve glandulis. Sane ſolent tamen aliquantulum differre tumores hi *peſtilentiales*, & febrium reliquarum, maxime tempore, intra quod in conſpectum prodeunt, in peſte enim citius quam in febribus illis ſe oſtendunt: ſed ſemper hoc potiſſimum diſcrimen his morbis, eſt, quod peſtis cum contagio eſt, reliqui morbi non item, certe non notabiliter.

Ita ducor ad alium hujus morbi characterem, quo a febribus ordinariis diſtinguitur, ad *contagionem* individuum comitem. Obſervata antiquiſſimis temporibus fuit. Deſcriptionis *peſtis Athenienſis*, a *Thucidide* exaratae, juſta haec pars eſt (*c*); *Lucretiuſque*, qui

(a) Obſervat, & Reflex. touchant la nature, &c. de la Peſte de Marſeilles, p. 47. & ſuiv.

(b) Journal de la Contagion à Marſeilles, p. 6.

(c) Lib. 2. Ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου, θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνῃσκον καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπόλ-

qui hanc *Thucydideam* deſcriptionem pene totam in latinum (*a*) convertit, multus etiam in hac re eſt. *Ariſtotelis* (*b*) inrer alia hoc eſt *Problema*, qui fiat, ut ad aegros accedentes *peſtis inficiat*. *Galeni* (*c*) etiam dilucida hanc in rem verba ſunt: *ὅτι συνδιατρίβειν τοῖς λοιμώττουσιν ἐπισφαλὲς, ἀπολαῦσαι γὰρ κίνδυνος ὥσπερ ψώρας τινὸς* &c. *periculoſum eſſe cum illis commercium, qui peſte laborant, timendum eſſe, ne quemadmodum ſcabies recipiatur*, &c. Atque hodie omnibns adeo haec tres evidens eſt, ut ex toto humano genere, cujus communis haec eſt opinio, excipiendi illi pauci homines ſint, quos ſignat, & delectat ſingularis ipſis contraria omnibus opinio. Neque ſane non eſt mirum, eſſe, qui obviam veritatem neget, ſatis vel ſolo eo more morbi demonſtratam, quod ſicubi incolarum domus ejusdem unum aliquem adeptus eſt, mox maximam partem familiae corripit. Omnique tempore id in peſte memorabile adeo viſum eſt, ut, qui probe rem conſideret, ei non credam ullum dubium ſupereſſe, aut opus eſſe poſſe fortioribus argumentis, ut credat contagioſum morbum eſſe. Parem ob rationem ab omnibus dicuntur *contagioſi* morbi *variolae*, *morbillique*; quippe quum obſervetur, ſicubi alteruter morbus in familiam aliquam irrepſit, ſolere ex ordine manus injicere pleriſque ex ea familia, qui non olim eas experti fuerint, utique ſi libere, & ſecurius cum aegro agant. Eodem igitur argumento conficitur peſtem etiam contagioſam eſſe. Fruſtra ſunt, qui contendunt, eam ſolam *peſti* occaſionem eſſe, quod plus ſolito obnoxios inſalubritati aeris, aut quaecumque epidemica morbi cauſſa fuerit, terror reddat, & deſperatio, quum in morbum procidentes vident ejuſdem domus incolas; quae ſi vera ratio eſſet; *infantes*, quos aetas ſolicitudinibus eripit, oporteret felicius quam reliquos effugere morbum, contra quam experientia docet.

Verum eſt, intactos aliquos a morbo dimiſſos, qui conſtanter adeſſent aegris. Hoc autem nullum contra ſequentiam, quam ſuſtineo, argumentum eſt: neque enim difficilius intelligitur, qui fiat, ut naturae ſuae ſingulari beneficio contagio aliqui reſiſtant, quam ut noxium impune jugiter aerem ſpirent. Meretur hic locum *Diemerbroekii* mirabilis aliqua hiſtoria, qui, familiae ejuſdem hominum partem, quae aufugerat, in urbem aliquam peſti intactam, adverſa valetudine correptam ſibi obſervatam narrat, mox quum relicta familiae pars in urbe infecta in morbum incidiſſet: quod ita contingere non pluit niſi ope commercii litterarii inter aegros, ſanoſque. (*d*) Ejuſdem generis eſt, quod *Evagrio* de *Peſte* memoratur, valde, ut fatetur, mirabile ipſi viſum, multos, qui infectis urbibus exceſſerant, peſtem aſſecutam

ἀπόλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσαντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. In primis hujus loci verbis, ita huc poſitis, ut habent omnes editiones, certe error eſt, nullus enim ſenſus idoneus eſt verbis *θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι*. Locus *Ariſtotelis*, mox citandus, docet, corrigi hunc errorem poſſe, ablato ab *ἑτέρου*, commate, & poſito poſt *θεραπείας*. *Ariſtoteli* enim ſolum poſitum *προσαναπίμπλημι* ſignificat *inficere*. Ita emendati loci ſenſus hic eſt: *Mutuis miniſteriis contagio hauſto repleti homines, quemadmodum ovium greges occidebant. Hic morbi malus mos ſtragis potiſſima cauſſa fuit. Sive enim a veritis accedere neceſſariis linquerentur deſtituti aegri, peribant paſſim totae familiae opis egenae: ſive eſſent, qui ferrent opem, maxime quos virtutis & honeſtatis ſenſus ad officia excitabat, inficiebant aegri juvaturos*.

Senſum, quem verbi *ἀναπίμπλημι* eſſe dico, egregie confirmat *Livii* locus, qui contagionem peſtis ſive febris caſtrenſis, vexantis exercitum *Cartaginenſium*, & *Romanorum* in obſidione *Syracuſarum* iis verbis deſcribit, quae doceant, ante oculos *Thucydideum* locum fuiſſe, *aut neglecti*, inquit, *deſertique, qui incidiſſent, mererentur; aut aſſidentes, curanteſque eadem vi morbi repletos ſecum traherent*. Lib. XXV. c. 26. (a) L. 6. v. 1234.

— nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex aliis alios avidi contagia morbi. Et v. 1241.
Qui fuerant autem praeſto, contagibus ibant.

(b) Sect. I. *Διὰ τί ποτε ὁ λοιμὸς μόνη τῶν νόσων μάλιστα τοὺς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις προσαναπίμπλησι;*

(c) *περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, βιβ. α. de differentiis febrium*. (d) De Peſte, IV. annot. 6.

eſſe ipſis in refugiis, immunibus, qui manſerant domi. (*a*) Sed alienum eſt cumulare argumenta rei indubiae, que innumera praeſto ſunt, & aliqua occaſio addet per proxima libri capita, quum ſigillatim viae dicentur, quibus contagium diditur. Hoc itaque loco non addo niſi hoc, ſolum hanc veritatem fontem eſſe, unde hauriendae explicationes non difficiles omnium ſymptomatum, quae hunc morbum comitantur, non alia ex origine deducendorum. Sumitur inde ratio, cur, quum primum in aliquem locum pedem *peſtis* infert, etſi parciſſimus aegrotorum numerus ſit, in his fere crudeliſſima maximam vim exerceat peſſimis quibuſvis cum ſymptomatibus. At contraria omnia oportebat fieri, ſi non allatum *contagium*, ſed cauſſa aliqua alia morbum produceret, nata ipſo illo loco, quo aegri ſunt, & pedetentim ſuccreſcens: non ſolum parvum eſſe ſub initiis aegrotorum numerum, ſed & valetudinem multo quam deinceps leviorem, quum auctae morbi cauſſae ad malignitatis acumen proceſſerunt. Rationem pariter idem axioma ſuppeditat, cur multi intra occupata morbo moenia tutos ſe praeſtiterint, clauſa nempe porta vitantes commercium eorum, a quibus ſuſpicio erat maculatum iri contagio. Quum poſtremo *Angliam peſtis* inviſeret, & per Cantabrigiam civitatem dominaretur, *Collegia* Vniverſitatis immunia preſtitit haec providentia. *Romae* etiam, quam annis 1656, & 1657. peſtis vexabat, *monachi*, *monachaeque* eodem modo a coenobiis ſuis eam arcuerunt (*b*): qua in re negligentius cuſtoditae *Neapolitanae Religioſorum domus* pejus etiam habitae fuere (*c*) Quin in nullos *Romae carceres* (*d*) intravit peſtis, quos quidem ſpurcities ſua debebat recipiendae aptiſſimos feciſſe. Prolixitatem reformidans non addo niſi unum adhuc exemplum. Planiſſime credo applicari alia ratione non poſſe, qui factum, ut poſtrema peſtis in urbe *Londinenſi*, quae ſub finem anni 1664. caput extulit in Parochia *St. Giles's in the Fields*, ſupita quieſceret *a feſto nativitatis Chriſti* uſque ad medium *Febrarium* menſem, deinde in eadem denuo parochia prorumperet; poſt inducias denique alias ſatis longas uſque ad *Aprilem* tertium ſe oſtenderet. (*e*)

Pergo ad concluſionem, qui examinaturus ſit hiſtorias omnes peſtium conſcriptas cum aliqua accuratione, pauciſſimas inventurum eſſe, quae non conſpirent in his eſſentialibus ſignis, quibus *peſtis* diſtinguitur ab aliis *febribus*. Fateor tria quatuorve exempla in contrarium inveniri forte poſſe; forte memorabiliſſimum omnium hiſtoria noſtri regni ſuggerit. (*f*) Adeo autem hujus generis exemple rara ſunt, ut ſemper ſalva maneat concluſio, ſolere *peſtem* unum eſſe eumdemque morbum.

Proximum eſt, ut oſtendere coner, eamdem ſemper peſtis originem eſſe, afferri ad nos ex *Africa*, quae nobis regio alios duos contagioſos morbos immiſit, *variolas*, & *morbillos*. In omnibus quidem regionibus *morbi epidemici* praeter morem periculoſi frequentes orti fuere in *carceribus*; *urbium oppugnationibus*, *caſtris* &c. quos *peſtilentiales* multi auctores dixerunt vocis ſenſu dilatato: *peſtem* autem veram ſignis ſuis, quae ante deſcripſi, ſtipatam, ex una ſe regione in aliam diffundentem, febrem credo eſſe *Africanam*, natam in *Aethiopia*, aut *Aegypto*, ejuſque contagium cum mercibus per totum mundum diditum.

Obſervavit *Plinius*, migrare ſemper *peſtem* ab *auſtralibus* mundi regionibus in *occidentis* plagam, hoc eſt, in *Europam* (*g*). Omnibus etiam temporibus accuratiſſimae quaevis hiſtoriae, ubicumque graſſatus fuerit, derivant ex *Africa*. *Thucydides* (*h*) in pulcherrima deſcriptione celebris *peſtis Athenienſis* ait, ortam in ſuperiori *Aethiopia*, delatamque in *Aegyptum*, inde primum in *Perſiam*, denique in *Graeciam* perveniſſe.

Per omnem hiſtoriam non alia aeque horrenda narratio eſt de *peſte*, quam ejus, quae *Conſtantinopoli* prorupit tempore Imperatoris *Juſtiniani* A. D. 543. Dicitur ſparſiſſe contagium per totum orbem, & duraſſe quinquaginta duobus annis. Pulchre rem narrat *Evagrius* (*i*), doctius etiam *Procopius* (*k*) obſervat autem uterque, genitum morbum fuiſſe aut in *Aethiopia*, aut *Aegypto*.

Con-

(a) Evagrii Hiſtor. Eccleſ. l. IV. c. 19. (b) Gaſtaldi de evertenda & profliganda Peſte, p. 117.
(c) Ibid. pag. 118. (d) Ibid. p. 117. (e) Vide Bills of mortality for the Year 1665.
(f) Sudor anglicus. (g) Nat. Hiſt. l. VII. c. 150. (h) Hiſtor. I. II.
(i) Hiſtor. Eccleſiaſt. l. IV. c. 29. (k) De Bello Perſico, l. II. c. 22.

Conſentiunt narrationes recentiorum peregrinatorum, & mercatorum de *Turcia*, qui omnes docent, omnes ex *Africa* iſtuc afferri *peſtes*, quae Turciam depopulantur: adeo ut *Smyrnae*, aliiſque in locis ejus littoris ſaepe ipſa navis, quae affert, cognita ſit. Atque poſtremis temporibus, quibus conſtans noſtrae nationi commercium cum *Turcia* fuit, apertum ſemper fuit, inde allatas eſſe in has *Europae* regiones omnes *peſtes*.

Extra controverſiam poſitum eſt, poſtremam in *Galliam peſtem* ex *Turcia* pariter advenîſſe, quod ſequentibus paginis data opera docebo. *Peſti*, quae anno 1709. *Dantiſci* in conſpectum prodiens, inde profecta adorta eſt *Hamburgum*, *Hafniam*, aliaſque *Septentrionis* urbes, via fuit *Conſtantinopoli* per *Poloniam*. Poſtrema etiam *Londinenſis* peſtis, ſi vera ſunt, quae *Hodges* dicit, ejuſdem originis eſt, allata ad nos ex *Belgio*, ad *Batavos* ex *Turcia* cum *lana-xylina*. (*a*)

Maxima hominum ſtrages recentioribus ſaeculis fuit medio decimo quarto; quum aliam poſt aliam regionem *Peſtis* per quinque annos dominata occuparet (*b*). Anno 1346. faeviebat in *Aegypto*, *Turcia*, *Graecia*, *Syria*, & *India Orientali*; anno 1347. aliquae naves ex Oriente advexerunt in *Siciliam*, *Piſas*, *Genuam* &c. anno 1348. perrexit in *Sabaudiam*, *Provinciam*, *Delfinatum*, *Caſtiliam*, &c. anno 1349. patiebatur *Anglia*, *Scotia*, *Hiberniae*, *Flandria*; anno proximo *Germania*, *Hungaria*, *Dania*: in quaecumque autem loca venit, ea ita devaſtavit, ut dimidio incolarum numero privatus orbis dicatur (*c*). In regionum harum primis quum *Africa* fuerit, non dubito originem ipſam morbo dediſſe; neque *Chinam*, quod *Villani* in hiſtoria illorum temporum refert narratum a navigatoribus *Genuenſibus*, qui ex iſtis oris venientes dicebant, originem fuiſſe *magnum globeum igneum*, qui aut ex terra proruperit, aut ex caelo delapſus ſit. (*d*) Adeo autem haec narratio improbabilis eſt, ut nullam mereatur fidem, quum nullum exſtet exemplum *peſtis* primitus in ea regione natae.

Obſervatu digniſſimum eſt, plus minuſve unamquamque *Europae* regionum malum hoc paſſam eſſe, prouti commercium ipſi cum *Africa* minus, frequentiuſve eſſet, aut cum iis verſus *Orientem* ſitarum, quibus cum *Africa* erat. Obiter moneo, multum hanc obſervationem conferre ad ſolvendam non facilem quaeſtionem, de multiplicatione hominum in regionibus ſeptentrionalibus copioſiore antiquis temporibus, quam noſtris; quum enim plane nullum adhuc commercium *Africae* jungeret, a tyrannide etiam *peſtium*, quam deinceps experti ſunt, immunes fuere.

Maſſilienſes ab ipſis urbis ſuae per *Phocenſes* poſitis fundamentis, cetebres mercatura ſua fecit, & ſatis longae navigationes verſus auſtrum ad *Africana* littora (*e*); eaedem etiam omni tempore periculo a peſte expoſuerunt. Gallicus (*f*) auctor, qui ſcripſit Hiſtoriam nuperae peſtis Maſſilienſis, numerat vicies obortam in hac urbe peſtem; etſi egregio loco ſita inter ſaluberrimas & amoeniſſimas *Galliae* urbes numeretur, multo quam aliae minus frequentata epidemicis morbis. Quae etiam ſi non memurata eſſent, mirus eorum mos, antiquis dictus (*g*), purgandi ſe ab hoc morbo, poterat teſtimonio eſſe. Mos hic eſt: pauper aliquis homo ſe offerebat alendum per integrum annum delicate, ſumtibus publicis: ſub ejus finem per urbem ducebatur indutus ſacris veſtibus, ornatuſque herbis, omnium ut per vias incedebat imprecationibus onerandus, ut in ipſum civitati minantia mala conveniant, denique in mare projiciebatur. (*h*)

Con-

(a) Vid. Hodges de Peſte. (b) Vid. Iſtorie di Matteo Villani, l. I. c. 2.
(c) Mezeran Hiſt. de France, Tom. I. p. 798. (d) Villani, loco citato.
(e) Vid. Huet. Hiſtoire du Commerce des Ancies, p. 88.
(f) Relation Hiſtorique de toue ce qui s'eſt paſsè à Marſeille pendant la derniere Peſte.
(g) Vid. Serv. Comment. in Virgil. Aeneid. L. III. v. 57.
(h) Erat hoc *expiatorii ſacrificii* genus, quemadmodum inter Judaeos *expiatorius hircus* Levit. XVI., miſerique ita morti devoti pro peccatis reliquorum obeundae, dicebantur καθάρματα, *piacula*. Vid. Ariſtophan. in Plut. verſ. 454. & in Equit. verſ. 1133. & Scholiaſt. ibid. addit. *Suidas*, quum proiiceretur homo in aquam, addi verba ſolita, περίψημα ἡμῶν γενȣ͂, *ſis nobis purgamentum*. Obiter obſervo, Apoſtolum *Paullum*, 1.

Co-

Conſentit meae obſervationi de mercatura *Procopius* in Hiſtoria, quam citavi, obſervans, ſemper a *maritimis* locis in *interiores provincias* peſtis iter fuiſſe: idque conſtans experientia confirmavit.

Poſtquam oſtendi; hunc morbum ſpecie ab aliis omnibus diſtingui, & origenem ex ſola *Africa* trahere; proximo loco diſpicienda eſt cauſſa, cur haec ſola regio, non item aliae, hoc malo fertilis ſit. Itaque conſideranda ſunt, quae ſibi propria haec regio habet, ea enim probabiliter credi poſſunt idonea producendo morbo. Quare breviter, quantum ad ſcopum meum opus eſt, narrabo. quis ſtatus ſit urbis *Grand Cairo* in *Aegypto*, & *Aethiopiae*, magnorum *peſtis* ſeminariorum, narrant enim peregrinatores, magis quam reliquam *Africam* has duas regiones infeſtari.

Grand Cairo urbs abundat vaſto incolarum numero, quorum longe maxima pars pauperes ſordidam vitam agunt; plateae anguſtae ſunt: poſita eſt in arenoſa planitie ad radicem montis, qui quum ventos detineat aerem temperaturos, hujus ſuffocans eſt *calor*. Mediam tranſit magnus *canalis*, quem exundans *Nilus* aquis ſuis replet, paullatim deinde, decreſcente amne, ſiccandum. Huc omnes omnia ſordium genera, cadavera, *&c.* conjiciunt, unde ortus foetor, & limus modis non ferendis offendunt. (*a*) Quae quum ita ſint, conſtanter omnibus annis peſtis incolas evadit, non ante compeſcenda, quam exundantes *Nili* aquae ſordium hos cumulos eluunt, adjuvantibus etiam ventis frigidioribus eodem tempore ſpirare ſolitis, quibus aer purus redditur.

In *Aethiopia*, immenſa illa *Locuſtarum* agmina, quae interdum famem producunt, conſumtis omnibus fructibus, niſi a ventis omnes in mare aſportentur, novam regioni calamitatem inducere obſervantur mortui putreſcentes, *peſte* incenſa (*b*); putredinem enim auget enormis *intemperies caeli* harum regionum, quas certo anni tempore violentiſſimae *pluviae* per tres aut quatuor continuos menſes inundant. (*c*) Sigillatim obſervatum lego, tum ſolere impetum *peſtem* facere, quum in fervidos *Julii*, & *Auguſti* (*d*) calores pluviae incidunt, ſive *Lucretii* verbis, quum terra eſt

Intempeſtivis pluviisque, & ſolibus icta. (*e*)

Comparantem porro hanc de *intemperie caeli Aethiopici* obſervationem cum medicorum *Arabicorum* (*f*) in vicinia iſtarum regionum viventium, effato, induci *peſtem intempeſtivis humoribus*, caloribus cum ventis nullis, crediderim plene edoceri cauſſam hujus morbi. Equidem ex collatis omnibus his obſervationibus colligo, oriri a perpetuo in his regionibus *putredinis* fomite, auctae pravo aeris ſtatu, quem deſcripſi, maxime a *putreſcentibus* animalium partibus.

Manifeſtum eſt, facile animalium partes mutari in aptiſſimum hujus morbi fomitem, quod in unoquoque aegro videri poteſt, ejus enim omnes humores corrupti *inficiunt* alios. Probabile eſt, in ſtatum his humoribus ſimilem converti putredine, & male tempeſtate, in fervida caloribus *Africa* poſſe volatiles partes, quibus animalia abundant: nam etiam ſub frigidiore noſtro caelo videre eas eſt *acrimonia* majore praeditas, quam plerumque eſt putreſcentium corporum, majuſque periculum poſitis intra ſphaeram ſuarum virium intentare; quemadmodum in perniciosa iſta, & prope venenata ſanie corruptorum cadaverum, quorum alio loco exemplum memoratu digniſſimum dedi (*g*), & dare plurima poſſem, maxime *corporum hydropicorum*, & *tumorum cancroſorum*. Immo etiam periculoſos morbos videmus noſtro ſub *Septentrione* natos a putredine animali, etſi malignitate verae *peſti* cedentes; ſaepe enim mor-

Corinth. IV. 13. in animo ſine dubio habentem impium illum morem, uti utroque verborum horum, de ſe ipſo plurali numero haec dicentem, ὡς περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα; ſunt enim ex optimis MStis, quae loco ὡς περικαθάρματα, habent ὥσπερ, aut ὡσπερει καθάρματα; hoc eſt, *habiti ſumus pro miſeris non dignis niſi ut ſacrificia pro publico offerantur, & ex vivorum numero auferantur ſatiſdaturi pro peccatis totius populi.*

(a) Vid. Le Brun Voyage au Levant, c. 38.
(b) Vid. Ludolf Hiſtor. Aethiop. l. I. c. 13. & D. Auguſtin. de Civ. Dei, l. III. c. ult.
(c) Vid. Ludolf. Hiſt. Aethiop. lib. I. c. 5. & Comment. (d) J. Leo Hiſt. Afric. lib. I.
(e) Lib. VI. v. 1110. (f) Rhas. & Avicenn. (g) Expoſ. Venenor.

mortales febres oriuntur locis, in quae magna hominum vis arcte compellitur, quemadmodum in urbium *obſidionibus*, *carceribus*, & *caſtris*.

Forte non alienum eſt obſervaſſe hoc loco, antiquos *Aegyptios* adeo bene intellexiſſe, quantum mortuorum animalium putredo adferat ad generandam *peſtem*, ut etiam divinis honoribus colerent *Ibin* avem, quod maximo beneficio afficeret ſerpentum vim devorando, quos non magis morſu vivos nocere obſervabant, quam foetore mortuos. (*a*)

In noſtra autem *Europa* numquam eo *putredinis* vis procedit, ut verum *peſtem* gignere valeat: atque diſcimus ab *Arabibus* medicis, etiam in climite fervidiſſimo *aeris* definito ſtatus opus eſſe, ſive ad efficiendam tantam corruptionem corporum iſtorum, ſive ad addendam ſaltem vim *effluviis* putrefactione ex iſtis corporibus emiſſis, dum in corpora hominum agunt. Vtrumque autem expectari poteſt a ſenſibilius qualitatibus iſtis aeris, quas paullo ante deſcripſi, vi ſua per aliquot tempus utentibus.

Adeo mihi videtur ſententia haec de origine peſtis rationi conſentanea, ut non poſſim ſatis mirari auctores, qui potius quam conſiderarent has manifeſtas cauſſas, circumſpicere maluerunt *occultas qualitates*, quemadmodum malignum *caelitus influxum*; *arſenicalia*, *bituminoſa* aut alia mineralia *effluvia*, aliaſque ſimiles incertas, vanaſque cauſſas.

Quae quidem quum dico, non plane nego latentioribus aliquibus *aeris* vitii, quam ſunt nimius *calor*, nimia *humiditas*, ſuam culpam in augendo, & juvando contagio *peſtis*, poſtquam quidem nata ſemel eſt: potius neceſſe interdum credo, ut aliquid lateat talis monſtri; nam alius contagioſus morbus, *variolae*, ſolitus ſpargi, & propagari manifeſtis illis *aeris* noxis, quas prolixe deſcripſi, interdum tamen inter nos obſervatur furere violentiſſimus tempeſtate plane oppoſita, nempe hieme aere gelido ſiccoque. Longe autem differunt origo morbo alicui data, & nato denique addita vis. Etiam ſi concesſerim, talem aliquam occultam *aeris* mutationem ipſa primordia morbi juvare, tamen illi auctores reprehendendi ſunt, quod audent determinare, quae ſit *ſpecifica natura* harum ſecretarum mutationum, quibus detegendis omnis aditus negatur: quippe quum nullo ſe ſenſibus modo oſtendant, qui pateat examini noſtro, neque etiam dum agunt *peſtem* producendo, ullo ſingulari effectu vel tantillum *ſpecificam naturam* commonſtrent.

Solum quod ſcimus hoc eſt, eam eſſe cauſſae *peſtis* naturam, quaecumque demum ipſa cauſſa ſit, ut recepta in corpus ſanguini, humoribuſque eas mutationes inducat, quibuſcum morbus adeſt, repente cum humorum aliqua parte ea rodente vi communicata, quae aut internas *inflammationes*, & *gangraenas* incendat, aut prodrudat *carbones*, & *bubones*; quorum porro *pus* aliis eumdem morbum infert; quod quidem quomodo fiat, proximo capite diſputaturus ſum.

CAP. II.

De cauſſis peſtem ſpargentibus.

Accuratius ad ipſam ſuam originem *peſtem* perſecutus ſum, ut omnes objectiones removerem, quae obſtare mihi apud lectores poſſent dicturo de cauſſis, quibus inter nos excitatur, & propagatur. Fit id *contagione*. Qui quanta vis contagio ſit, non agnoſcunt, qui non intelligunt, quam ſubtile ſit, & per quam vaſta ſpatia *infectione* circumferri poſſit, ſoli *aeris* malignitati, ubicumque oritur, culpam tribuunt; alii autem contra putarunt, qui contagioſi morbi naturam conſideret, plane ei opus non eſſe reſpicere ad influxum *aeris*. At decebat *contagionem* morbi indivulſum comitem, & *aeris* temperiem contagionem juvaturam, una ante oculos habuiſſe, quum utrumque ad vim juſtam morbo addendam neceſſarium ſit. Scopus itaque hujus capitis eſt aequilibratis his cauſſis ſuos limites ponendi, ſuos unicuique effectus aſſignandi.

Itaque cauſſas omnes peſtem ſpargentes refero ad aliquam harum ſummarum trium claſſium, *aegros*, *merces ex locis infectis*, *aeris* denique *corruptum ſtatum*.

Com-

(a) Ciceronis de nat. Deor. I. I. §. 36. de his avibus loquentis haec verba ſunt: *Avertunt peſtem ab Aegypto, quum volucres angues ex vaſtitate Libyae vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt; ex quo fit, ut illae nec morſu vivae noceant, nec odore mortuae.*

Complures ſunt morbi ab aegris ad alios transferendi, modo quidem non in omnibus eodem. *Hydrophobia* non communicatur, niſi mixtis morbidis aegri animalis humoribus cum ſanguine ſani proximi via, *morſu* aut alia ſimili; *ſcabies* transferetur *ſolo contactu*, *lues venerea* non niſi *intimiore*; *variolae* autem, *morbilli*, & ipſa *peſtis* hauriuntur ſolo *propiore acceſſu ad aegrum*: his enim poſterioribus tribus morbis obnoxii fiunt, qui ſolum eodem hoſpitio utuntur, & commercio cum aegris.

Docent autem experimenta in praefatione memorata, de illata *canibus* peſte, infuſis *bile*, *ſanguine*, *urina* infectorum in eorum venas, totam penitus hoc morbo corrumpi, & putrefieri animalium fluidorum maſſam. Itaque facile eſt cogitare, quomodo *effluvia*, aut vapores horum liquorum imbuere ambientem aerem poſſint. Quod tum maxime fiet, quum maxima eſt fermentatio humorum, hoc eſt, quum ad ſummum febris pervenit: quemadmodum fermentantes liquores obſervamus in fine inteſtini hujus motus ejicere magnam vim ſubtilium, & agilium partium. Excretionem illam par eſt potiſſimam eſſe in glandulis corporis, quarum copioſiſſimae, & augmenti facile capaces ſecretiones ſunt, quemadmodum glandularum oris, & cutis. Inde ergo a volantibus *peſtiferis atomis* gravidus fit aer: qui in ſani hominis corpus recepti, de more *fermenti*, in ſimiles agitationes, & turbas fluida conjicient.

Recipiuntur in corpus duabus viis, aut cum *ſpiritu*, aut per *cutem*; potiſſimum quidem cum ſpiritu.

Mihi certiſſimum videtur, in *reſpirando* ſemper aliquas ex aere partes in ſanguinem immitti: cujus argumentum eſt, quod eadem aeris portio, cui quidem nulla deceſſerit earum qualitatum, quae aptum faciunt inflandis pulmonibus, & agitando ſanguini, qui ſolent dici ejus uſus, non diu idonea reſpirationi obſervetur. Quod confirmavit doctiſſ. *Halleius* docens mo, quum infra aquam altitudine complurium orgyarum, in *machina* ſua *urinatoria* eſſet, ſpirans denſiorem naturali aerem, obſervaſſe ſe tardiores ſolito ſpirationes ſuas: quo etiam ultra probabilitatem adducitur opinio mea, *reſpirationis* primariam utilitatem eam eſſe, quod ad ſanguinem ex aere ſubtiles aliquae partes advehuntur; ut *Halleio* ideo minus frequens reſpiratio ſufficeret, quia majori aeris copia uno hauſtu recepta, plures una in ſanguinem admittebantur tales ſubtiles partes.

Per *cutis* autem innumeros poros cum dontinuo flumine *inſenſibilis perſpirationis* materia, ſudorque emittantur, facillima cogitari poteſt eadem via eſſe admittendis ſubtilibus corpuſculis in intima penetralia. Facilem autem eſſe, aperte docent *unguenta*, & *balnea calida*, quae agunt, dum ſubtiliſſimae, & agiliſſimae particulae in ſanguinem ſe inſinuant.

Vulgo *ſanguis* tantum creditur affici ab iſtis *effluviis*. Mea autem opinio eſt, alii alicui *fluido*, maxime initio, aequam niſi, & majorem partem in hoc negotio eſſe: *liquidum nervorum dico*, qui ſolent *ſpiritus animales* dici. Quod quum proximum inſtrumentum omnis motus, ſenſuſque ſit, multumque in glandularum ſecretione, quin in ipſa circulatione ſanguinis poſſit; neceſſe eſt ubicumque multum immutatur, pericula plurima ſequi. Impoſſibile eſt adeo brevi tempore totam ſanguinis maſſam corrumpi, quo interdum letalia ſe ſymptomata efferunt. *Primae* iſtius *claſſis* aegri, cujus memini initio hus diſſertationis, potiſſimum *bajuli*, qui infectarum mercium ſarcinas in *noſodochio Maſſilienſis* aperiebant, ipſo primo contagii impetu occidebant, quaſi repentino ictu perculſi, mox correpti rigoribus, tremoribus, cardialgia, vomitibus, vertigine, & capitis ſtupore, cum languore, & anxietate univerſali, pulſu debili, & inaequali: morte interdum paucis horis ſecuta. Effectus adeo repentinos oportet eſſe potentium corpuſculorum, inſinuantium ſemet, & mutantium aliud quoddam ſubtile, & agile in corpore fluidum: qualis ſine bubio *nervoſus ſuccus* eſt.

Sperari non poteſt, datum nobis iri explicare modum, quo iſthaec fiant. Nimis parum cognita eſt univerſi fabrica, legeſque *attractionum*, *repulſionum*, *cohaeſionum*, quae mutuae ſunt minutiſſimis materie ſegmentis, quam ut liceat vias explicare mutuarum affectionum, maxime intra corpora animata, omnium naturae operum maxime delicata, & complicata. Probabilis tamen conjectura, ni fallor, in prono eſt. Magnus noſter Philoſophus, cujus ſtupenda inventa ſpem

ſpem etiam acutiſſimorum ſuperarunt, demonſtravit, eſſe diffuſum per univerſum *ſubtile* aliquod *elaſticum* fluidum agile potenſque. Hanc credit eſſe cauſſam *Refractionis*, & *Reflexionis* radiorum lucis; ope *vibrationum* hujus fluidi calorem corporibus a luce infundi; corporum, quum facile omnia permeet, plurimos in ſe mutuos effectus producere. (*a*)

Improbabile autem non eſt credere, *Animales ſpiritus* tenuem eſſe liquorem ſecretum in cerebro, inde derivatum in nervos, aptum admittendae, intimae ſibi jungendae hujus *elaſtici fluidi* copiae: quo demum connubio vitalis ſubſtantia naſcatur maximarum virium. Talem aliquem liquorem neceſſe eſt facile mutandum eſſe aliis agilibus corporibus diverſae naturae, mixtis, & ad mutuos contactus commiſſis: quemadmodum *chemicos ſpiritus* videmus ſtatim commiſſos ad fermentationem ruere, & in plane diverſae naturae miſcelam coire.

Si ergo concedatur, *effluvia*, & *exhalationes* ex corrupta humorum corporis peſte laborantis maſſa volatiles igneas particulas eſſe, viribus donatas, quibus ipſa corpora, unde emittuntur; difficile non eſt cogitare, quomodo recepta a *nervoſo fluido* ſani hominis eos inteſtinos motus excitare poſſint, quibus particeps nervoſum fluidum faciant ſuarum qualitatum, & ineptum ſcopis oeeonomiae animalis. Sed de his quidem plura alio loco.

Hic unus modus eſt, quo nata *peſtis* ſpargitur, & augetur: altera autem ſummarum cauſſarum, quas conſtitui, *merces ex infectis locis* venientes, calamitatem multo extendit latius. Ope prioris cauſſae peſtis ſerpit ab *homine* uno ad *proximum*; ex *domo* in *domum*, etiam ex *urbe* in *urbem*, ſed a diſtantiam non magnam, haec autem cauſſa transfert eam in remotiſſimas regiones. Ab his ſibi potiſſimum metuunt mercatoriae per *Europam* urbes, & ſecuritati ſolent proſpicere imperando *cuſtodiam*. Qui quum adeo ab univerſis receptus mos ſit, magno argumento eſt pro *infectione* per *merces*; neque enim cogitandum eſt, conſpiruturas in hunc morem fuiſſe tot gentes ſine idoneis conſilii ſui rationibus. Praeter hoc autem argumentum non deſunt ſingularia exempla illati damni cum mercibus ex infectis ad alia loca allatis. Horum aliqua deinde locus erit memorandi, hoc loco contentus ero attuliſſe tria ſaltem. *Primum* ſit adventus *Peſtis Romam* anno 1658. adductae, ut affirmatur, *Neapoli* veſtibus, aliiſque mercibus, primo ad *portum Neptuni*, hinc ad vicinum caſtellum *St. Laurentii*, denique poſt aliquam ibi moram, *Romam* (*b*). *Alterum* exemplum deſumtum eſt ex narratione de ortu peſtis *Maſſilienſis*, (*c*) cui eo certius fidere licet, quod multa cum accuratione conſcripta eſt. Apparet inde clariſſime, ex *Oriente*, *Levante*, allatam fuiſſe cum mercibus. Primus enim aegrorum nauta fuit ex navi aſportante *merces*: proximi, qui merces curabant in *cuſtodiam* datas; paullo poſt *Chirurgus*, quem magiſtratus *Maſſilienſis* miſerat ad examinanda corpora mortuorum.

Haec hiſtoria probe conſiderata ſufficere, ni fallor, poteſt, ad tollenda omnia dubia, quae oriri alicui de hac indole *mercium contagio* hoſpitium praebentium oriri forte poſſet; evidentia enim ea adeſt, quam juſte quidem vel increduliſſimus deſiderare poſſit. Forte fuit *Maſſiliae* febris aliqua valde maligna, qualis vulgo dicuntur *peſtilentiales*, ante adventum harum mercium, nulla autem talis febris meretur *peſtis* vetae nomen, quod ante oſtendi, potius provide diſtinguendae ſunt peſtis vera, & *peſtilentiales* hae *febres* vitaturo omnes ratiociniorum de his rebus errores.

Talis, inquam, inſolitae malignitatis febris fuerit forte Maſſiliae ante adventum mercium. Forte invenire detur unum, alterumque exemplum *febris* cum *eruptionibus*, ſimilibus iis, quae in *peſte* ſunt: quin ipſe *Londini* interdum vidi. Difficile autem eſt ſibi imaginari, ante tempus allatarum mercium praeſentem jam *peſtem* fuiſſe: integrae enim ſex hebdomades interiectae fuere a morte nautae, quae primum terrorem, omniumque animos ad attentionem concivit, uſque dum magiſtratui referrentur novae in urbe mortes. Atque inauditum mihi videtur, poſtquam ſemel peſtis prorupiſſet, tam longas inducias tempore calido dediſſe.

Tertium exemplum eſt Peſtis, quae hoc ipſo anno pene totam depopulata eſt *Meſſinam*. Digna fide narratio pubblicata Londini (*d*) docet, *Genuenſem* navem ex Orien-

(a) Newton's Optics, Qu. 18. to. 24. (b) Caſtaldi, de Peſte p. 116.
(c) Journal de ce qui s'eſt paſſe à Marſeillas, &c. (d) Vid. the London Gazette, Jul. 23. 1743.

te Meſſinam appellantem, cum compertum eſſet, nautarum unum, qui tetigiſſet ciſtas *veſtibus ex lana, xylina* plenas, emtas *Patris* in *Peloponneſo*, in itinere *peſte* periiſſe, in *cuſtodiam* datam fuiſſe, interim autem elanculum *veſtes* iſtas in terram exportatas fuiſſe. Quum & patronus navis, & nautae aliqui morerentur, incendio conſumtam fuiſſe. Aliquo tempore latuiſſe eas merces, poſtea in publico venditas fuiſſe, eoque mox facto in ea urbis parte, in qua apertae ſarcinae erant, morbum prorupiſſe, deinde per totam urbem dominantem.

Non alienum eſſe credo, pro confirmando meo argumento afferre hiſtoriam ab homine indubiae fidei mihi relatam, de ſimili mercium culpa ſparſis *variolis*; qui ſaepe morbus ex noſtris regionibus ad *utraſque Indias*, peſtis illis, adfertur, ex *Orientali* porro *India* allatus fuit ad *Caput bonae ſpei*, hoc modo. Anno 1718. appulit eo navis ex India veniens. In itinere tres infantes laboraverant *variolis*. Spurca lintea, quae uſu ipſis fuerant, recondebantur ciſta. Appulſa nave promebantur haec lintea, & dabantur lavanda quibuſdam indigenarum, qui miſeri homines ſtatim inter tractandum *variolis* corripiebantur, quae inde ſparſae multis miliaribus in interiorem regionem pene eam incolis nudatam vaſtaverunt.

Explicare, quomodo *merces* in ſinu gerere poſſint ſemina *contagionis*, adeo ſemper ardua res viſa fuit, ut fuerint, [a] qui ſibi imaginarentur, *infectionis* inſtrumenta *inſecta* eſſe, quorum *ova* facile per omnia loca circumferrentur, & *hauſta* morbum facerent. Qua quidem *hypotheſi*, nullis planes obſervationibus niſa, egregie, ni fallor, carere poſſumus. Si, ut conjectura mea eſt, *materia contagii* agilibus partibus componatur, generatis potiſſimum corruptione animalium; difficile non eſt intelligere, quomodo repoſita conſervari poſſit in mollibus poroſis corporibus, arcte compreſſis.

Nemo eſt, qui ignoret, quam longo tempore *ſuffumigatae* res odorem retineant, involutae idoneis tegminibus: atque digna obſervatu res eſt, fortiſſima ſuffumigiorum eſſe, quemadmodum contagii materia, *animales ſuccos*, ut *Moſchus*, *Zibethum* &c. conſervandis etiam ea fere aptiſſima corpora eſſe, quae ſunt recipiendo, & communicando contagio, quemadmodum *pelles*, *plumae ſericum*, *pili*, *lana*, *goſſypium*, *linum* &c. quorum etiam pleraque de *animalibus* ſunt.

Nihil aptius eſt ad formandam ideam *infectionis*, modique, quam *odorifera* corpora. Horum aliqua mirabiliter animales ſpiritus recreant; alia momento deprimunt: Aequum itaque eſt credere, quod ex his corporibus emiſſae particulae faciunt, poſſe etiam a peſtiferis corporibus fieri; ut nihil ſit *contagio*, niſi effectus volatilis laedentis materiae odoratu in corpus attractae.

Tertium ſpargendi *contagii* cauſſam dixi eſſe corruptum ſtatum *aeris*. Etſi *aeris* bona temperies ſit, tamen proximos aegri inficiunt, *peſtemque* videmus inter nautas ejuſdem navis perſiſtere, poſtquam longe jam ab aere remoti ſunt, in quo primum morbum traxerunt. Talis memorabilis caſus narratur accidiſse in peſte *Genuenſi* anno 1656. Vndecim ſe homines mari committebaut navigio, quod *Felucca* dicitur, peſtem vitaturi, *Provinciam* Galliae petentes; ſed unus ex eorum numero *peſte* aegrotare incipiens paullo poſt quam navem conſcenderant, mox infecit reliquos; itaque quum hi correpti unus poſt alterum perirent, nullibi admittebantur coacti relegere viam, qua venerant: quamque redux *Genuenſem* portum intraret navigium, ex omnium numero non erat ſuperſtes niſi unus (*b*).

Late autem hoc caſu malum non ſolet ſpargi, cito diſperſis, & diſperditis contagioſis particulis. Corrupto autem aere, quum hae contagioſae particulae incidunt in illas ſubtiles partes, quas haec corruptio aeris parat, his unitae multo redduntur agiliores, & potentiores, durabiliores etiam; ut materia formetur inficiens, aptaque transferendo malo ad multo longiorem diſtantiam ab aegro corpore, ex quo emittitur.

In univerſum aptiorem eſſe ſpargendo contagio *calidum aerem*, quam frigidum, dubitare non poteſt, qui conſiderarit, quam omnia *effluviorum* genera longius calido aere diffundantur, quam oppoſito. Certe illam aeris temperiem, quum ad calorem accedit intempeſtiva humiditas, nullique ſpirant venti, quae quibuſdam in regionibus origo *peſtis* eſt, par eſt in omnibus natam iuvare. *Hippocrates* enim ita deſcribit *peſtilentialem ſtatum*

(a) Kircher, Langius &c. (b) Teulon traite de la Peſte.

tum aeris in ſua regione, quemadmodum *Arabes* tempeſtates in *Africa*, quibus *peſtis* oritur. (*a*) *Mercurialis* affirmat, eamdem temperiem *aeris*, cum ſuo tempore *Patavii Peſtis* graſſaretur, fuiſſe: (*b*) *Gaſſenduſque* idem in *Peſte Dinienſi* obſervavit (*c*). Atque etiam facile eſt oſtendere, quomodo *aer*, malis ſuis qualitatibus, de quibus ultimo capite dixi, faveat morbis contagioſis, obnoxium illis corpus parando.

Sane etiam aliae noxiae *aeris* qualitates reſpiciendae ſunt, non ſolum calor: interdum enim ſopitur *peſtis* in ipſis calidae tempeſtatis incrementis, aere quidem alio modo emendato. *Smyrnae*, quotannis eo afferri ſolita a navibus conſtanter etiam ſolet ceſſare circa 24 Junii, quo tempore ſiccus aer, ſerenumque caelum eſt: diſſipatis noxiis vaporibus, quae per *verem* regioni incommodant. Attamen caloris ſemper tantum eſt momentum, ut ſi cum aliqua navi adveniat menſibus hiemalibus, *Novembri*, *Decembri*, *Januario*, *Februario*, numquam ſerpat peſtis, at ſi jam proceſſit annus uſque ad *Aprilem*, ulteriuſque, tum non ante tempus deſinit, quod dixi.

Etiam in noſtris regionibus valet, quod paullo ante dixi, latentium aeris corruptionum magnam partem eſſe in ſpargenda Peſte, quod poſtrema *Londimenſis peſtis* docet evidenter, cujus ſemina, quum primum adventaſſet, circumſcriptaque quum eſſet unius alteriuſque domus finibus, perdurarunt per duram gelidam *hiemem*, malignas autem vires, quum *veris* calor accedebat, monſtrarunt: hieme autem ſecuta ita compeſcebantur, ut nullum ſui veſtigium relinquerent, etſi menſe adhuc *Decembri* plus quam dimidius numerus *Parochiarum* urbis infectae eſſent.

Corrupto ſine dubio aeris ſtatu opus eſt his contagioſis atomis, ut omnis ipſis vis ſua conſtet: ni eſſet, difficile foret dicere, cur, poſtquam locum aliquem occupavit peſtis, ante cedat quam omnibus necatis incolis, cujus facilis redditur ratio, emendatae qualitates *aeris*, & reſtituta ejus ſalubritas, diſſipata, & ſuppreſſa malignitate.

Viciſſim videmus etiam, corruptiſſimum aerem non ſolere infectionem ad longam diſtantiam ſpargere: ſed ex una in aliam urbem peſtem circumferri ab hominibus, & mercibus infectis: & innumerabilia ſunt exempla urbium, in quibus magnam hominum ſtragem edidit peſtis, proximis urbibus, & pagis immunibus. Inde fit, ut ex una in aliam urbem peſtis pergat viis valde perplexis. *Thuanus* (*d*) narrat, *Peſtem* quondam in *Italia* primo anno *Tridenti*, & *Veronae* fuiſſe, altero *Venetias*, & *Patavium* veniſſe, omiſſa *Vincentia* in medio poſita, inſequente tamen anno etiam hanc tetigiſſe: manifeſto argumento, non ab aere tranſportatam fuiſſe *Verona Patavium*, *Venetiaſque*; oportebat enim obvia quaevis infectum aerem tetigiſſe. Simile nuper exemplum *Gallia* praebuit, quum ex *Provincia* in compluribus miliaribus diſtantem agrum *Gevaudan* impetum Peſtis faceret. Mos certe *Peſtis* maxime vehementioris eſt, in proxima circum infectum aliquem loca erumpere: quod fit, quia ſemper aliquid commercii continuare urbes coguntur cum agro ad victum neceſſaria ſuppeditante, quo in commercio etiam cautiſſimos interdum ſubtile venenum eludit; interdum etiam, quia ex infectis locis in vicinum plurimi ſecedunt.

Fateor, demonſtrari non poſſe, numquam, ſi vel maxime ulla in urbe peſtis furat, tantum futurum aegrotorum numerum, ut emiſſorum contagioſorum *atomorum* ſatis magna copia onerent *aerem*, quae in vicinam urbem, aut pagum a vento aliquo afferri poſſit, non ante quam eo pervenerit, nimis diſpergenda, quam ut amplius efficiendo malo ſufficiat; neque eſt infrequens, ita certe aerem repleri *atomis* his nocivis, ut in infecta urbe ipſa nullus angulus tutus reſtet: adeo ut, quum ad ſummum tyrannis morbi pervenit, omnes ſine diſcrimine inficiantur, aeque qui ab aegris abſunt, quam proximi: etſi initio optimum contra *peſtem* praeſidium ſit, vitare omne cum aegris commercium. At credo, raro evenire, ut tanta effluviorum vis ſit: quemadmodum fumum vide-

Aa 2 mus,

(a) *Hippocr.* Epidem. I. III. Deſcriptionem hanc *Hippocraticam* ſtatus aeris, qui eſt cum vera peſte, contrariam eſſe nonnullorum opinioni, *Galenus* teſtatur in comment. in hunc locum, lib. de temperam. primo c. 4. & lib. de differentiis Febr. I. 1. c. 4.

(b) Vid. *Mercurial.* Praelect. de Peſtilent. (c) Notit. Eccl. Dinienſis.

(d) Hiſtor. Lib. LXII.

ſous, quo conſtanter *Lodinenſis* aer praegnans eſt, maxime hieme, non diffundi per multa miliaria, etſi longiſſime copioſiorem quamvis *effluvia* generanda a peſte, etiam diriſſima.

Vt finem dicendi de *aere* faciam, quum hujus maligne qualitates in noſtris *ſeptentrionalibus* regionibus non ſufficiant excitandae *peſti* ſolae, nullo contagio foris allato, patet, erroneam eſſe vulgarem quidem opinionem, etiam magni nominis viris probatam (*a*), neceſſario *peſtem* intra triginta, aut quadraginta annos ſemel ſupervenire: quae opinio non ratione, non experimentis defenditur, ut aequum ſit vanum populo metum excuti. Quum numquam inter nos peſtis natales ſint, ſemperque fortuna foris afferatur, impoſſibile eſt adventus ejus certas periodos eſſe. Neque, quod tres, quatuorve poſtremae peſtes noſtrarum regionum his circiter intervallis diſtabant, argumentum juſtum eſt, neque hic annorum numerus ſatis magnus eſt, ut conſtitui regula poſſit. Atque videmus pene jam octoginta annis ab omni tali calamitate immunem Angliam.

Tantum abeſt, ut noſtri climatis *aer* umquam verae *peſtis* origo ſit, ut non videatur umquam producere illos leviores contagioſos morbos, *variolas*, & *morbillos*. Inauditi enim hi morbi *Europae* erant ante *Maurorum* in *Hiſpaniam* adventum: poſtea autem, quod in Praefatione monui, propagati hi morbi, & per omnes nationes diditi fuere potiſſimum bellis cum *Saracenis*.

Tantum porro abeſt, ut neceſſarii periodici iſti reditus *peſtis* ſint, ut potius, etſi ſaepius in nos impetus facti ſunt, tamen exempla ſint *contagiorum* peſſimorum, quum trans mare ad nos advenerunt, miteſcentium, quippe frigidiore noſtro *aere* minus apto ab illis mutari.

Morbus ille *Sudorificus*, cujus ſupra mentionem inieci, *ſudor Anglicus* dici ſolitus. & *Febris Ephemera Britannica*, in noſtra regione originem habuiſſe creditus, extraneus probabiliter videtur fuiſſe: & peſtis non quidem vulgaris cum tumoribus glandularum, vera tamen, ex eadem cauſſa, mutata tantum facie, debilitata vehementia a noſtri climatis ſalubritate. Conveniebat enim ei cum vulgari *peſte* compluribus *ſymptomatibus*, *maxima debilitate*, & *inquietudine*, *interno aeſtu* &c. quorum ſymptomatum numquam alio in morbo tanta vehementia deſcribitur, niſi in vera *Peſte*: atque, quod momentum potiſſimum eſt, etiam contagioſus morbus fuit.

Primum coepit ſentiri hic morbus anno 1485, in exercitu, cum quo Rex *Henricus* VII. ex *Gallia* redux in *Wallia* (*b*) appulit: atque a nonnullis putatur allatus eſſe a celebri oppugnatione *Rhodi*, ſuſcepta a *Turcis* annis tribus, quatuorve ante, quod colligi poteſt ex iis, quae aliquo in loco libri ſui de hoc morbo *Kejes* (*c*) ait. Praeterea iterationum hujus morbi poſt illud tempus, annis 1506, 1517, 1528, & 1551, illam anni 1528 probabilius ſuſpicio eſt originem debuiſſe *peſti* vulgari, tum in *Italia* furenti (*d*), quam quidem invenio diu Hiſtorici noſtratis conjecturam fuiſſe (*e*): reliquas probabile eſt ortas eſſe infectione a *Turcis*; niſi forte credere velis, cauſſam fuiſſe reſidua a prioribus impetibus ſemina, quae antequam plane deſtruerentur, rediens forte idonea aeris temperies ad agendum reſuſcitavit: Veniſſe *illato contagio* hunc morbum, etiam id probabile facit, quod certa teſtimonia ſunt, non noſtrae inſulae privatum fuiſſe, ſed ſtragem in *Germania*, aliiſque regionibus ediſſe. (*f*)

Dico hunc morbum *peſtem* minoris vehementiae: nam, quod millenos vitio medelae rapuit, id quidem teſtimonio eſt, malignum fuiſſe, quin ideo quidem maligniorem dicendum ipſa vera *peſte*, pauci enim uecatorum primo impetui ſuperſtites ultra diem fuere; at, quod cum *profuſis ſudoribus* aegros ſalvos intra viginti quatuor horas linquebat, ubicumque hujus excretionis adjuvandae diligens cura habebatur, id docet, *ſuperventam potius naturam fuiſſe*, *quam adverſus remedia pertinacem morbum*, quae docti, & ſapientis alicujus Hiſtorici verba ſunt, qui eorum eam dedit rationem, *quod*, *quibus cardiacis temperatis calidum corpus conſervatum fuerat*, *ſo-*

liti

(a) Sydenham de Peſte. (b) Vid. Cajum, de Febr. Ephemer. Britan. and Lord. *Bacon's* Hiſtory of Hemy VII. (c) Pag. 162. Edit. Lovan.
(d) Vid. Rondinelli Contagio in Firenze, & Summonte Hiſtor. di Napoli.
(e) Lord. *Herbert's* Hiſtory of Hemy VIII. (f) Thuani Hiſtor. l. 5.

liti eſſent convaleſcere (*a*). *Sudores* autem naturalem hujus morbi *criſin*, memorabile eſt a maximis Medicis medelarum etiam *peſtis* vulgaris optimam obſervatam eſſe, atque tempeſtivi ſi ſint, interdum eliminari morbum ſine externis *tumoribus*. Praeterea ſapiens quidam obſervator docet, poſt fractam a ſe morbi vim *ſudore* artificiali, naturalem ſine medicamentis eflusum fuiſſe maximo cum levamine. (*b*)

Neque poſſum non obſervare, confirmaturus ſententiam meam, idem apud nos febris genus anno 1713. menſe *Septembri* fuiſſe, dictamque *febrem Dunkerkenſem*, ut quae inde cum militibus noſtris advecta eſſet. Hujus febris origo ſine dubio fuit peſtis, quae paucis annis ante *Dantiſci* orta aliquo tempore *Septentrionis* urbes circumivit. Apud nos initium hujus febris dolor capitis fuit, finis largi ſudores, poſt unius diei domi moram: at *Dunkerkae* alia ſymptomata comitabantur, *Vomitus*, *Diarrhoea* &c.

Redeo e diverticulo ad ſcopum meum: manifeſte, credo, patere ex omnibus, quae dixi, *peſtem* eſſe verum venenum, genitum in auſtralibus orbis regionibus cum mercibus in alias regiones adferri, maxime in *Turciam*, ubi circuitu quaſi quodam ab hominibus ad merces haeret endemium, praecipue ob ſtupidam earum gentium negligentiam: ubi cumque faventior *infectioni aer* eſt, ibi vi maxima furere; tum potiſſimum ab aegris cum ſanis communicari: ab hominibus emiſſam *contagioſam materiam* mercibus ſe inſinuare mollibus, ſpongioſis, harum compactas ſarcinas in alias regiones allatas, evalutaſque emittere, quae continent ſemina *contagii*, producique morbum, ſi aptus *aer* vim addat, alioqui diſſipari ſine noxa: denique non ſolere contagium ab *aere* ad remotiora ſpargi, ſi omne cum infectis locis mutuum commercium ſollicite impediatur.

PARS II.

QVOMODO PESTI OBVIAM EVNDVM SIT.

CAP. I.

DE ARCENDO CONTAGIO EX ALIIS REGIONIBVS AFFERENDO.

QVam eſt volupe ſcire, non eſſe noſtrarum regionum indigenam *Peſtem*, tam id decet forti nobis hortamento eſſe ad adhibendam omnem diligentiam in indagando modos, qui immunes ab ea nos praeſtent.

Duplex eſt cautio: *ut impediatur ejus adventus in inſulam noſtram*; deinde ſi contingeret hanc nobis accidere calamitatem, ut *ſerpere impediatur*.

Fit illud prius more dudum conſtituto, imperandi navibus venientibus ex *infectis* locis perdurandam *cuſtodiam*, *quarantaine*: de qua credo hac fere regulas obſervatu neceſſarias eſſe.

Prope noſtris portubus *noſocomia* exſtrui convenit locis aptis, parvis in inſulis, ſi opportunitas haec ſit, receptura homines, merceſque, allatos ex locis de *contagio* ſuſpectis. Imperare hominibus moram in ipſis navibus non ſufficit, cujus is ſolus uſus eſt, ut conſtet, an aliqui moriantur. Nam contagium in veſtibus, in quas ſemel ſe inſinuavit, tamdiu haerere poteſt, ut aeque, quin fortius etiam, ſi pergat intra navem morbus, contagium cum hominibus in fine quadraginta die-

(a) Lord *Verulam's* Hiſtory of *Henry* VII. (b) Vid. *Sydenham*, de Peſte, An. 1665.

dierum in littus emiſſis accepere poſſit, quam in ipſo initio: niſi forte quoties aliquis moritur, nova *cuſtodia* imperanda eſt; quarum forte cuſtodiarum finis non fuerit, niſi cum in internecione naturam omnium.

Si qua in nave morbus *contagioſus fuit*; ſani depoſitis veſtibus, abiiciendis in mare, probe loti, & deterſi induti novas veſtes, morentur in noſodochio triginta, aut quadraginta diebus. Idque ideo, quia, qui e morbo ipſi quidem convaluerunt, diu tamen ſecum retinere *contagioſa corpuſcula* poſſunt: quemadmodum *variolas* ſaepe videmus ſanis adferri ab iis, qui paucis ante diebus ipſis evaſerant.

Si qui adſunt *aegri*, ſervandi ſunt in domibus ſeparatis a *ſanis*, atque aliquantum poſtquam bene habent, ipſi etiam loti, & deterſi, novis in veſtibus, demerſis aut defoſſis omnibus, quas per morbum geſtarant, deducendi in *ſanorum* hoſpitia ſunt, moraturi ibi triginta aut quadraginta diebus.

Sigillatim cautus ſuadeo, ut veſtes aegrotorum in nihilum redigantur, quippe in quibus hoſpitatur *quinta Eſſentia contagii*. Ingenioſiſſimus auctor (*a*) pulcherrimae deſcriptionis *Peſtis Florentinae* anno 1348, narrat ſe vidiſſe duos porcos, in platea inventos *pannos*, detractos pauperi mortuo, dentibus in diverſum ducentes, admotiſque naribus follicantes, convulſus occidere intra non integram horam. Doctiſſimus *Fracaſtorius* narrat, quum ſuo tempore *Veronae Peſtis* eſſet, viginti quinque deinceps homines mortuos, infectos una eademque *pellicea* veſte (*b*). Simile *Foreſtus* exemplum ſuppeditat ſeptem infantum mortuorum, quum colluſiſſent in veſtibus *Alkmariam*, *Hollandiae Septentrionalis* urbem, ex domo infecta *Zealandiae* allatis (*c*). Solebat Dn. *Williams*, Capellanus Exc. *Roberti Sutton*, qeum hic legatus *Conſtantinopoli* eſſet, referre hiſtoriam ſimilem a *Baſſa* aliquo ſibi narratam: in expeditione aliqua adverſus *Poloniae* fines, *Janizarorum*, qui imperio hujus *Baſſae* parebant, unum aliquem *Peſte* mortuum; hujus pulchram tunicam emtam vix induiſſe alium *Janizarum*, quum & ipſe corriperetur, mortuus deinde: quae calamitas in quinque porro *Janizaros* cecidit, qui omnes veſtem geſtarant. Haec Dn. *VVilliams* ille *Baſſa* narrabat ideo, quod ſe haec praeſentia exempla permoviſſent, ut juberet cremari veſtem: ea nempe mente narrabat, ut videret *VVilliams*, eſſe inter *Turcas*, qui rationi liberi obſecuti, non ita quemadmodum vulgus, ſerviliter vincti adhaerant doctrinae *Mahometi* de Fato.

Si nullus in nave morbus fuerit, non video, cur imperanda nautis cuſtodia ſit. Ejus loco laventur ipſi, veſtes autem in noſodochio aeri exponantur, tamquam merces, per hebdomadem.

Maximus autem metus ab illis *mercibus* eſt, quae idoneae ſunt retinendae inſectioni, ut, *goſſypium*, *cannabis*, *linum*, *charta* aut *libri*, *ſericum* omnis generis, *linimenta*, *lana*, *plumae*, *pili*, omnis generis *pelles*. Domus hic continendis parandae diſtent aliquantum a noſodochio; ſarcinaeque proprio, & idoneo loco aperiendae, & quam licet aperto aeri per quadraginta dies exponendae.

Forte nimium aliquibus hoc tempus videbitur, ſed quum ignoretur accuratum tempus, quo ſpongioſum corporum pori a contagioſis corpuſculis purgentur, nulla his in rebus nimia accuratio eſſe poteſt. Sane hoc tempus conſuetudine vulgo recepta conſtitutum decurtandum non eſt; niſi excogitetur modus explorandi, quo tempore ceſſent infecta corpora ſpirare noxia effluvia. Forte detegi id poterit prope illis admovendo tenera *animalia*, maxime *aviculas*: obſervatum enim eſt, infeſtatis a Peſte regionibus aves aufugiſſe, quae autem in domibus ſervabantur, periiſſe. (*d*) Itaque ſi experimentum doceat, aves initio cuſtodiae inter merces emiſſas contagione corripi, poterit ſatis probe explorari, quando repurgatae eae merces ſint, repetito cum avibus experimento, obſervatoque an nihil amplius damni patiantur. Interim fateor, valde mihi hanc rem arridere, maxime miſerto operarum, qui tractaturi eas merces vitam ſuam periculo committunt. Probe quidem ſcio, eſſe animalibus peſtes ſuas privatas, quibus non afficiuntur omnia indiſcriminatis, ſed in una aliqua *ſpecie* ſubſiſtentes, qualis eſt inde ab aliquot annis morbus *bovilli* generis, neque multa alia animalia, neque homines inficiens; ob-

(a) Boccaccio Decameron. Giornat. prim.
(b) De contagione l. III. c. 7.
(c) Obſervat. l. IV. Schol. ad obſerv. 22.
(d) Diemerbroeck, de Peſte, l. 1. c. 4.

obſervatio autem conſtans eſt, veram *peſtem* hominum perniciem animalibus omnis generis attuliſſe.

Non poſſum egregie huc quadrantem omittere hiſtoriam memoratu digniſſimam, nuper mihi narratam ab homine indubiae fidei. Res haec eſt. Anno 1726. navis Anglica receptas tempore peſtis *Cairi* merces attulit *Alexandriam*. Quum aperto in aere duae ſarcinae lanae aperirentur, duo *Turcae* operam locantes extemplo exſpirarunt, aves autem aliquot ſorte praetervolantes mortuae ceciderunt.

Non autem, quia exacte non eſt cognitum tempus ad purificationem neceſſarium, nullus eſt uſus *Cuſtodiarum*. Saltem hic eſt modus explorandi imbutae ne contagio merces ſint; vix enim fieri poteſt, ut eorum, qui jubentur tractare eas, ne unus quidem damni quidquam patiatur, ſiquidem ſunt infectae. Infectae autem ſi reperiuntur eſſe, abolendae ſunt.

Concedent, ni fallor, omnes, diſsolutas ſarcinas eſſe oportere, quae in domum ipſis aſſignatam deportantur, alioqui nihil efficietur omni cura. Conſtans hic mos eſt in omnibus *portubus Italiae*. In portu quidem *Liburno* eſſe apparet e narratione nuper publicata, quales ibi cuſtodiae imperentur: *Venetiis* autem eſſe, obſervo e ſcripto aliquo fide digniſſimo, continente, quid ſoleat fieri in ea urbe, in qua imponi *cuſtodiae* ſolitae ſunt inde ab anno 1484. quo primum tempore, ut ex hiſtoriarum monumentis colligere eſt, in *Europa* haea conſuetudo coepit. *Venetiis* itaque ſarcinae *goſſypii*, *pilorum camelinorum*, aut *caſtorinorum*, ſimiliumque ab imo ad ſummum dilacerantur, atque a *bajulis* inſertis quotidie nudis brachiis, foraminibus pertunduntur, ut ad ſingulas partes liber acceſſus aeri pateat. Numquam talem cautionem negligendam eſſe aparte docet calamitas, quae anno 1695. accidit Inſulae *Bermudas*. Narravit mihi doctiſſ. *Halley*, ſaccum *goſſypio* repletum ad littus furtim allatum jacuiſſe in domo horum hominum, qui attulerant, ſupra menſem, ſine eorum damno: at poſtea inter incolas diſtributum ſparſiſſe *contagium* tantum, ut vix ſepeliendis mortuis vivi ſufficerent. Habet hanc hiſtoriam *Halleyus* a *Capitaneo Tucher*, *Bermudenſi*, fratre D. *Tucker*, quondam ſecundarii ſecretarii curiae ſecretariorum, Secretarys officie.

Quin quum experientia docuerit, omnium mercium, quae contagium concipiunt, *goſſypium*, periculoſſiſſimam eſſe, *Turciaque* fere perpetuum *Seminarium Peſtis* ſit; mihi aequum, juſtumque videtur, ut omni tempore omne, quod inde affertur, goſſypium in cuſtodiam detur: poteſt enim hauſiſſe contagium, quum colligeretur in ſarcinas, etſi damni inde nihil nautae perceperint. Neque tempus, quod intercedit in itinere, donec ad nos affertur, ſatis ſinit eſſe ſecuros, certoſque, an veneno repurgatum ſit. Inventum certe fuit tempus iſtud, quod in itinere ex *Turcia Maſſiliam* navigando conſumitur, non ſuffeciſſe mercibus ab omni contagione immunibus praeſtandis. Quod non ſolum e poſtremo exemplo patet, ſed & obſervatum eſt in *libello ſupplici* delegatorum e curia conſiliariorum mercaturae *Maſſilienſi*. (*a*) *Maſſiliae* ſoli portuum *Galliae* licet admittere merces *Orientis*, propter commodum apparatum *cuſtodiis* ſervandis, quum aliquot parvae inſulae prope ſitae ſint. Eamdem veniam ſibi optantes *portus Gallici* in *Oceano occidentali*, offerebant anno 1701. libellum ſupplicem *Collegio Regio Conſiliariorum commercii*, continentem votorum ſuorum rationes. Huic *delegati Maſſilienſes* reſpondent libello, de quo loquor, in quo copioſe exponunt commoda *Maſſiliae*, cuſtodiam quadraginta dierum quod attinet, atque, ut, quanti ea momenti ſint, doceant, expreſſis verbis teſtantur, ſaepe ibi inventos eſſe mortuos peſte, qui tractabant *merces cuſtoditas*. Itaque ſi, dum ex *Turcia Maſſiliam* traiicerentur, merces contagium retinuerunt, audacior; quam ut in re tanti momenti probari poſſit, opinio ea eſt, neceſſe eſſe, ut donec ad nos pertingunt, ad quos paullo longius iter eſt, plane omne contagium evolarit. Praeterea ſunt aliqua exempla retenti a mercibus contagii per complures annos. Sigillatim *Alex. Benedictus* (*b*) accurate narrat culcittas phumeas repoſitas ſeptem annis ob ſuſpicionem contagii, mala tamen poſt tantum tempus produ-

ctas

(a) Memorials praeſen: ed by the Deputies of the Council of Trade, in *France*, to the Royal Council, p. 44. and. 45.

(b) Alex. Benedict. de Peſte, cap. 3.

ctas dediſſe. (*a*) Atque *Theodorus Mayerno* refert, veſtes aliquas conſpurcatas ſanguine, & pure ex ulceribus peſtilentialibus, inter *tabulas*, & murum domus alicujus *Pariſienſis* injeciſſe peſtem operario aliquot annis poſteas exrahenti, quo facto ſtatim per totam urbem didita fuit.

Quod adeo prae reliquis periculoſum *goſſypium* eſt, fit, quoniam aptiſſimum eſt imbibendis cujuſcumque generis *effluviis*; quod olim ſingulari experimento exploravi, quum goſſypii aliquid per diem prope carnis putreſcentis fruſtum ex amputato membro in cucurbitam ponerem, ita quidem, ut contingere ſe non poſſent: adeoque vehementer imbuebatur *goſſypium*, ut inditum accurate clauſae pyxidi nauſeoſum foetorem retineret ultra decem menſes, retenturum forte in annos uſque. Non dubito, ſi loco *putrefactae carnis* animalis ſani, imbutum fuiſſet goſſypium vapore puris ex homine peſte decumbente, communicaturum ipſum morbum fuiſſe. Simile etiam utroque caſu experimentum futurum ſine dubio erat, ſi loco *goſſypii* inditum vitro fuiſſet *ſericum*, *lana*, *pili*; animalia enim corpora aptiſſima ſunt attrahendis volatilibus particulis ſecedentibus ex ejusdem naturae corporibus.

Quemadmodum proſpiciendum de neceſſarii omnibus eſt ſanis, aegriſque in *cuſtodiam* miſſis: ita etiam ut accuratiſſima ſit cuſtodia curandum, poenaeque ſeveriſimae contra imperia facturis proponendae. Si qua navis venit e loco, quo, quum vela daret, peſtis vehementior furebat; conſilium tutiſſimum eſt in altum demergere omnes merces, quin ipſam navem: maxime ſi quis in ea mortuus hoc morbo fuerit.

Porro haec ne negligatur cautio, periculi rem plenam eſſe, cum loco, in quo accedente hieme contagio ceſſat, cito nimis redintegratam commercium: docuerunt enim exempla, ſuppreſſum quidem morbum fuiſſe frigore hiemali, neque tamen ejus deleta ſemina, ſed tantum in agendo impedita, donec redux vernus calor novam vitam, vireſque adderet. Ita in magna *peſte Genuenſi* octoginta retro annis, durante per duorum annorum partes, prima aeſtate peribant circiter decies mille, inſequente hieme vix ullus, aeſtate autem proxima numerus ſexaginta millibus non minor. Pariter poſtrema *Londinenſis peſtis* apparuit in fine anni 1664, deinde ſopita per hiemem frigore continuo trium fere menſium, adeo ut nullo ſe plane modo conſpiciendam daret, uſque ad ver ſecutum. (*b*) E talibus itaque locis allatae merces, & latens forte contagium continentes, metus eſt, ne eo loco, in quem afferuntur, damnadent, quae daturae erant relictae loco priſtino.

Ante omnia neceſſe eſt ſeveriſſime puniri, qui *clam* merces *advehunt*; a quo ego ſcelere plus metuo damni, quam ullo alio modo.

Haec mihi videntur potiſſima capita eſſe, ad quae reſpiciendum fit nobis defenſuris a noſtra regione contagionem exterarum. Quomodo haec praecepta in uſum trahenda ſint, quomodo *naves explorandae*, *noſocomia extruenda*, omitto diſpicienda idoneis ad hanc rem conſtituendis viris, qui juvandi a peritis medicis ſunt.

CAP. II.

Quomodo jam admiſſa Peſtis impedienda ne ſerpat.

PRoximum eſt conſiderare, quid faciendum ſit, ſi errore admiſſo in cura publica, aut negligentia eorum, quorum ſunt officia, aut alio quocumque modo, locus datus fuerit calamitati in nos incidendi.

Non aliud malum eſt, contra quod magis quam contra peſtem valeat illa praecipua regula, *principiis obſta*; infeliciter tamen accidit, ut conſilia priſtinorum temporum viderentur quaſi ſcopum habuiſſe, plane huic regulam iſtam in uſum trahendi adverſam.

Quum ſemper peſtis uno aliquo ſolo loco prorumpat, patet, magiſtratum decere, id curare, ut aperto commodo propoſito, id videntes infectae domus incolae non magis celare cupiant calamitatem ſuam, quam quum domum ignis corripuit, tardantur advocare auxiliu vicinos: contra quam publice uſitata methodo fit, quae ſemper ſeverae *diſciplinae* quin *poenae* ſimilior fuit, quam *miſericordis curae*; quo non poteſt non effici, ut *infecti*, quam

(a) In libello continente conſilia contra Peſtem, oblato Regi, & Conſiliariis ejus a *Theod. Mayerne* anno 1631. Mſ. (b) Hodges, de Peſte.

quamdiu poſſunt, malum celent.

Huc fere redibant *imperia* his temporibus dari ſolita (*a*); quum primum compertum eſſet, domum aliquam infectam eſſe, accurate, obſerabatur, cum *magna rubra cruce*, verbiſque his, *Domine miſerere noſtri*, inſcriptis januae: opponebantur excubitores nocte dieque impedituri aut exituros aut ingreſſuros, exceptis *medicis*, *chirurgis*, *pharmacopolis*, *nutricibus*, *inſpectoribus* &c. quibus data a magiſtratu venia eſſet: atque ita pergebatur minimum per menſem, donec aut mortua tota familia, aut ſani omnes eſſent.

Vix cogitari poteſt triſtior miſeriarum complexus, quam hic: tota infelix familia detenta a neceſſariorum commercio, & correpta quidem morbo, qui ſi quis alius ſolatium, & opem flagitat; dedita mala forte moratae nutricis arbitrio, qualibus ſaepe vexari aegri inveniuntur; nihil vident, nihil audiunt, niſi quomodo tyrannidem inter ipſos ſuam dirus morbus exerceat: ſpes vitae exigua reſtat ſuperſtitibus, eaque conjuncta anxietati, crudelique optioni, utrum praeſtet mori, an trahere flebilem vitam poſt jacturam optimorum amicorum, & neceſſariorum.

Si verum eſt, *terrore*, *deſperatione*, & *animi quacumque dejectione* aptum corpus reddi recipiendo contagio, & huic magnam vim addi, in quo omnes medici conſentiunt; ſane quo alio modo potentius morbus quaſi conſilio juvari poſſit neſcio.

Non alia ratione *crudelitas* haec defenditur niſi hac, fieri illa omnia boni publici cauſſa, atque eo modo impediri *contagionem*. At probe re conſiderata alia omnia invenientur: nam quamdiu contagium ita continetur in domo aliqua nutriendum, & augendum continuo ex ordine plures comprehendens, non poteſt non aer adeo tingi copioſe, ut quamprimum emittitur, per viciniam contagionem ſpargat. Obſeratae hunc in modum domus totidem ſunt *ſeminaria contagii* ſerius ocius evagaturi: nam mora menſtrua, aut longior poſt ultimi aegri mortem, nihilo prodeſt plus, quam ſi *merces* in *ſarcinis* convolutae ſinuntur jacere; ex his enim quaſi *Pandorae pyxidibus* quamprimum licet, venenum evolabit.

Methodum hanc, ortam nempe, quia vera natura *contagii* ignorabatur, non dubito cauſſam fuiſſe, quod, ſemper quum adhiberetur, diu adeo *Peſtis* duraret: neque dubito, in aliis etiam regionibus malos ejus effectus fuiſſe.

Itaque non miror ſaepe contra crudelitatem hanc ortas querelas, atque reformidatam ſemper fuiſſe hanc *obſerationem*, ut quae maxime. Itaque quamdiu poſſunt, morbum miſeri celant, augendum inde & ſpargendum latiſſime: occluſi autem fuerunt qui e *cuſtodia* ſe liberaturi exilirent e feneſtris, *&c.* aut corrumperent cuſtodes, interdum etiam occiderent. Itaque ſaepe noctu per plateas curſitantes inveniuntur, horrendum *clamantes*, & *deſperabundi*, & tamquam *emotae mentis*, aut ob violentiam febris, aut ob maximum terrorem, in quem conjeciſſe par eſt quotidianum ſpectaculum mortium cariſſimorum neceſſariorum.

Miſero hoc rerum ſtatu multi aufugiebant, aut ad amicos in agris, aut ſibi exſtruebant tuguria, aut tentoria in apertis campis, aut conſcendebant naves in Thameſi nantes. Pauci etiam ſemet ſervabant arcendo a domibus ſuis omne cum vicinis commercium (*b*).

Atque obſervo ſicubi populi clamores nimis fortes efflagitarent *aegris* indulgentiam aliquam, obſervatum fuiſſe vehementer imminutum morbum. Peſtis anno 1636. maxima cum vehementia initium fuit; ſed quum a Rege venia omnibus data eſſet linguendi domus ſuas, obſervatum eſt, *non viceſimum quemque ſanorum*, *qui receſſerant*, *in morbum incidiſſe*, *non aegrorum decimum quemque mortuum eſſe* (*c*). Quod ſolum exemplum, etiamſi alia non eſſent, debebat moviſſe omnes poſt ea tempora magiſtratus, ut remitterent arctas illas obſidiones. At praeter aliud exemplum imminutae vehementiae, poſtquam deſitum erat obſerare domus, praebet *peſtis* praecedens anno 1625. Annus quidem multum jam proceſſerat, ut adventus inſtans hiemis ſine dubio magna etiam

Bb cauſſa

(a) Vid. directions for the cure of the *Plague* by the *college* of *Phyſicians*; and orders by the *Lord Mayor* and *Aldermen* of *London*, publiſhed 1665.

(b) Vid. a Journal of the Plague, in 1665. by a Citizen, London 1722.

(c) Diſcurſe upon The Air by Tho. Coke.

cauſſa fuerit imminuendae, ut factum, ſtragis: tanta autem haec imminutio erat, ut agnoſcendum ſit, datam illam veniam impedimento certe non fuiſſe. *Aperiendi* domus venia concedebatur initio *Septembris* menſis: quumque poſtrema *Auguſti* hebdomade numerarentur mortuorum quater mille, bis centum, octodecim, ſtatim proxima hic numerus decrevit uſque ad ter mille, quadraginta quatuor, denique quarta eſt hebdomade, tempore ſatis parvo, ad octingenta, quinquaginta duo (*a*).

Itaque quum priorum temporum methodus non ſatisfaciat ſcopis, *detegendi in ipſis initiis contagii*, atque *detectum* impediendi, ne ſerpat, ſane circumſpicienda alia eſt. Equidem quam credo aptam dicturus ſum.

Iam primum conſtituendum eſt *collegium ſanitate curandae*, compoſitum aliquibus principium ſtatus adminiſtrorum, ex ordine eccleſiaſtico, & civili, e principibus magiſtratus, duobuſque aut tribus medicis &c. Huic collegio concredenda eſt ea auctoritas, ut mandata ipſorum aeque, juſteque peragantur, duri autem, niſi neceſſitas cogat, quocumque praetextu memini eſſe poſſint miniſtri ſecundarii.

Cura *inſpiciendi* aegros, & videndi, qui moriantur, officium ineptis vetulis relinqui ſolitum, committenda eſt peritis, & diligentibus viris: qui jubeantur, quamprimum obſervarint mortuum aliquem eſſe morte non vulgari, maxime cum *maculis lividis*, *bubonibus*, & *carbunculis*; referre id ad *collegium*. Ab hoc mittendi ſtatim periti medici ſunt examinati cadavera mortuorum, domuſque vicinas, maxime *pauperum*, inter quos natales mali eſſe ſolent. Si medici renuncient, *peſtem* eſſe, jubendae ſtatim omnes familiae, inter quas morbus coepit, removeri in ſeparata aegri a ſanis loca, quae utriſque deſtinatae domus tribus, quatuorque ab urbe miliaribus diſtent; *ſani* etiam, antequam emittuntur, omnibus *veſtibus exuendi*, *lavandi*, & *detergendi*, atque ita in nova hoſpitia admittendi. Removeatur autem noctu, quum non amplius celebres plateae ſunt, ne ullum infectionis periculum reſtet. Praeterea ut commodum aegris iter ſit, neque injuria afficiantur, curandum.

Attinent haec praecepta *pauperes*, & *vilioris conditionis* homines, *divites* autem, quibus lautior res eſt, non ad noſocomia mittendi, ſed in villas ſuas ſecedere jubendi, ea quidem cum cautione, ut a *ſanis infecti* ſemper ſeparentur. Atque in univerſum omnes urbani non ſolum linquendae urbis veniam habeant, ſed & hortamine eo excitentur, quo enim rariores homines ſunt, eo aer eſt ſalubrior.

Ne quidquam *miſericordiae*, & *curae aegrorum* reliqui fiat, quibus caute quidem adeſſe non adeo periculoſa res fuerit receptis hoſpitiis aeri expoſitis, & puris. Impenſae omnes ex publico aerario fiant, neque nimiae putandae ſunt umquam, quibus integra natio a maxima calamitate liberatur. Etiam aequum mihi videtur *praemium* proponi primum detecturo *contagionem*: in confeſſo enim eſt, ad ſuperandum malum primum, & ut quod maxime valere hoc, ut mature certiores reddantur, quibus parata ad manus contra malum praeſidia ſunt.

In univerſum quidem a methodo, quam ego ſuadeo, differunt eae, quae tum noſtrae, tum exteris regionibus in uſu eſſe ſolitae ſunt, ſunt tamen aliqua etiam exempla, quae doceant inſolitum ſecundum ſucceſſum hujus, quam ſuadeo, ubicumque adhibita fuit.

Magiſtratus *Ferraſae*, urbis *Italiae*, quum anno 1630. omnis circa regio infecta *peſte* eſſet, obſervantes, quanta damna vicinis ſua conſilia afferrent, metu turbandae mercaturae omni modo morbum celantibus, in domibus ſuis aegros relinquentibus, decreverunt, ſi ipſos fors tangeret, alia omnia facere. Itaque quum primum eſſent certiores facti, *peſte* hominum aliquem mortuum eſſe, ſine mora totam eam familiam in noſodochium tranſtulerunt, ubi omnes, ſeptem autem erant, mortui ſunt. Suppreſſus hoc modo vehemens certe morbus impeditus eſt progredi. Septies octieſve uno in anno ingreſſum tentans morbus ſemper uno ictu ea methodo ſuccubuit. Exemplum hujus urbis deinde ſecutae ſaepius aliae civitates vicinae adeo felicem methodum expertae ſunt, ut commodi publici cauſſa videretur in *Commentariis Ferrarienſis* populi palam pronunciare: *Solum contra peſtem praeſidium eſſe*, *quam*

(a) Vid. The Shutting up Houſes ſoberty debated, Anno 1665.

quam poteſt fieri, mature eam detegere, atque ita in ipſis initiis opprimere. (a)

Aeque memorabile eſt exemplum, quod anno 1657. Romae peſtis dedit, cujus ſupra mentionem feci. Quum jam diditus morbus eſſet per divites, pauperesque, fureretque violentiſſime, *Papa Gaſtaldium* Cardinalem Commiſſarium generalem curandae ſanitati fecit, delata ad ipſum ad aliquod tempus auctoritate totius *ſacri Collegii*, ut quod videretur ipſi neceſſe fieri, faceret. Itaque ſevero imperio vetuit aegros, aut ſuſpectae valetudinis homines domi ſuae perſtare. *Aegri*, quamprimum alicubi aliquem eſſe compertum erat, aſportabantur in *noſocomium* exſtructum in *inſula* aliqua *Tiberis*, reliqui autem, qui in eadem domo erant, in alia *noſodochia* extra urbem, mittendi inde in inſulam, quam primum morbo corriperentur. Eodem tempore curavit bona eorum deferri in locum aeri expoſitum ibi repurganda. Haec ſua imperia exſecutus eſt ſumma cum accuratione, neque conceſſit vel primae ſortis hominibus, ut eſſent exemti; quae quidem Cardinalis ſeveritas primo contra ipſum querulas voces movit, mox tamen omnium ipſi gratias promeruit: ſpatio enim duorum menſium pene totam urbem repurgavit a *peſte*, quae jam totidem annis tyrannidem ibi ſuam exercuerat. Obſervatumque ſigillatim eſt, quum antea ſicubi in domum aliquam peſtis irruerat, raro quemquam ejus familiae non corriperet; hac methodo effectum fuiſſe, ut ſanorum, qui domibus infectis cedere jubebantur, vix quini quique ex centenis inficerentur. (b)

Neque poſſum non obſervare etiam *Maſſiliae* ſopitam hoc ipſo modo quieviſſe *peſtem* per binas ſeptimanas, exſtinguique penitus facile videtur potuiſſe, niſi fuiſſet intempeſtiva incolarum ſecuritas ob hanc intermiſſionem, tanta, ut plane negatum irent, peſtem in ſua urbe fuiſſe, palamque Medicos, & Chirurgos criminarentur, quod ab ipſis in falſos terrores conjecti fuiſſent. (c) Par eſt, adeo tum negligentes ſalutis ſuae fuiſſe, ut non ſit quod miremur, ſecunda vice prorumpentis peſtis tantam vehementiam fuiſſe, quae non ita facile ſuperabatur.

Praeter haec aliarum regionum exempla, eſt & propius ejuſdem generis, noſtrae. Tempore poſtremae peſtis in *Anglia*, quum primum pedem inferret in urbem *Poolin Dorſetshire*, compreſſa ſtatim fuit a magiſtratu, qui aegros in noſocomia auferri jubebat; cujus facti perpetua ibi memoria reſtat, quam conſtantiorem circumſtantiae aliquae fecerunt. Difficile erat invenire, qui curarent aegros ex domibus ſuis remotos: itaque civitas ad hanc operam praeſtandam perduxit juvenem feminam, cui ſententia mortis dicta erat, pollicita ſuam operam in obtinenda ipſius venia. Femina effugit periculum, ſed negligens implorare civitatem datam fidem, tribus poſt menſibus barbara crudelitate fune necata eſt a Praetore, *Mayor*, cui inimicitiae cum magiſtratu erant.

Quum Conſilia mea nitantur hoc axiomate, optimam methodum compeſcendi contagionem eſſe, ut ab aegris ſani dirimantur; crediderim parvis in pagis parem quin majorem utilitatem haberi, ſi *ſani* in *tuguria*, *barraks*, ſe recipiant, aut ſimilia *aeri* pervia hoſpitia; quam ſi removeantur ex aedibus *aegri*. Hujus conſilii felix eventus in *Gallia* apparuit, poſtquam fruſtra reliqua omnia fuerant. Ceterum ubi huic conſilio locus non eſt, illud ut aegri removeantur optimum eſſe, hic ipſe ſecundus eventus docuit.

Emiſſa tota infecta familia, omnia ejus domus bona alte *defodienda* ſunt. Suaſerim hoc potius quam ut crementur, quoniam cum fumo ſpargi per viciniam, maxime in loco non ſatis amplo, contagioſae aliquae particulae poſſunt, quemadmodum *Mercurialis* refert, *Peſtem Venetiis* auctam fuiſſe cremata intra urbem magna copia infectarum mercium. (d) Nuper mihi medicus aliquis, amicus meus, narravit hiſtoriam, quam habet a Pharmacopola, praeſente rei geſtae. En eam! *Shipſtoni*, parvo oppido ſito ad omnem *Stour* in *Worceſtershire*, miſer aliquis erro variolis laborans obambulabat per plateas. Territus populus curavit eum abduci in parvam domum ſitam in colle aliquantum ab urbe diſtante, ſuppeditatis omnibus neceſſariis. Paucis diebus miſer periit. Iuſſus alte defodi, domuſque cum veſtibus cremari. Spirans tum vehementior

(a) Muratori Governo della Peſte, lib.I. c.5. (b) Card.Gaſtaldi, de avertenda Peſte, c.10.
(c) Journal de ce qui s'eſt paſſe à Marſeilles &c. p.9, 10, 11. (d) De Peſtilent.cap.21.

ventus tranſtulit fumum ad unam urbis partem, in qua paucis poſt diebus octo homines *variola* corripuerunt. Adeo in omnibus peſtilentialibus morbis periculoſis *aeſtus* eſt, diffundendoque contagio aptus. Porro ipſae domus deſtruendae ſunt, ſi commode id fieri poſſit, nempe ſi ſatis a ſe invicem diſtent, alioqui ſufficere poteſt probe repurgari, & denuo dealbari. Deinde maxima cura removenda omnia ſunt, quae ſunt apta aut gignendae, aut alendae contagioni. Itaque *inſpectores* pauperum, juvandi ea in re ab aliis magiſtratibus, circumeant humilioris ſortis hominum domus, & ſicubi aliquas reperiunt nimio *hominum numero obſitas, & ſordidas*, partem mittant in hoſpitia aptiora, omnique cura, omnia neceſſaria ſuppeditando, ipſos homines adhortando, videant, ut *puriores*, meliusque *olentes* domus ſint.

Non aliud bonum factum ſua praemia propius comitantur, quam haec misericordiae teſtimonia, neque ulli ſumtus, quantumvis magni, nimii putandi ſunt. Nihil propius ad ſimilitudinem ipſius originis peſtis accedit quam aer coercitus, vaporibus repletus, & corruptus ſordibus animalium corporum.

Exemplo in hanc rem eſſe poſſunt *vulgares* noſtri *carceres*, quibus incluſi pauci effugiunt *febrem*, quam dicunt, *carcerum*, ſemper illam malignam, prouti magis minusve *arctus, foendesque* locus eſt. Sane deceret ſapientiam eorum, qui clavum reipublicae tenent, tum ſalubritatis totius *urbis* cauſſa, tum miſericordiae erga miſeros *captivos*, curare, ut carceres, quam fert ſcopus, aeri pateant purique ſint.

Numquam petitura eſt memoria *Judicii* illius *capitis*, quod habitum eſt *Oxoniae* anno 1577, in quo *Judices Nobiles*, omneſque pene praeſentes necavit *venenata mephitis*, credita a nonnullis ex terra prorupiſſe, rectius autem a *magno* aliquo, & *illuſtri* Philoſopho ex *carcere* in *curiam* ab ipſis captivis allata, quos obſervatum eſt ſolos nihil damni paſſos eſſe.

Dum ita domuum ratio habetur, alii, quorum id officium eſt, jubendi ſunt accurate videre, ut *plateae* eluantur, conſerventurque purae a *coeno*, *cadaveribus*, reliquiſque *nocivis ſordibus*, aſportandis *noctu*: videndum eſt, ne nimis propinqua urbi *ſterquilinia* ſint. *Mendici*, *& otioſi errones* removendi ſunt, miſerorumque, qui neque noſodochiis neque ergaſtulis apti ſunt, in *noſodochio* aliquo *incurabilium* ratio habenda eſt.

Atque omnino omni tempore, maxime in populoſis urbibus facienda haec ſunt, neque poſſum non id reprehendere, quod remiſſior hac in re *Londinenſis*, & *Weſtmonaſterienſis* civitatis diſciplina eſt, qua negligentia cives, nobileſque plurimo quotidiano taedio exponuntur.

Si hujus providentiae optatus ſucceſſus fuerit, non opus erit methodis *corrigendi aerem*, *repurgandi domus*, *ſingulos immunes a contagio praeſtandi*, quae tum demum circumſpiciendae ſunt, ſi *peſtis* caput efferat, aegrorumque nimius numerus ſit, quam ut poſſint removeri, quod fieri ſolet, quum jamdiu morbus duravit.

Iam primum quod attinet repurgandum aerem, vulgo *ignem* commendarunt antiqui; & recentiores, ſuaſeruntque excitare ſaepius multiſque in urbe locis *flammam*. Omne hujus praecepti fundamentum eſſe videtur tradita a majoribus hiſtoria, *Hippocratem* hoc modo in *Graecia peſtem* compeſcuiſſe. Sciendum autem eſt, nihil hujuſmodi in ipſis *Hippocratis* libris memorari. Teſtimonium inter alia nonnulla potiſſimum *Galeni* eſt: *Galeno Theriacam* contra peſtem commendanti placuit comparare eam *igni*, quae ipſi occaſio fuit narrandi ab *Hippocrate* curatam *peſtem* fuiſſe ex *Aethiopia* in *Graeciam* venientem, purefacto *flammis* aere, in quas injectae fuerint fragrantes herbae, floreſque, cum unguentis optimi odoris. Memorabile inter epiſtolas *Hippocratis* dictas, non illas quidem genuinas, antiquiores tamen *Galeno*, eſſe unam, in qua narratur *Decretum Athenienſium* factum in honorem parentis hujus medicinae, in quo quum memorentur ejus in patriam ſuam merita tempore *peſtis*, non narratur niſi hoc, miſſos in diverſas partes diſcipulos ab ipſo edoctos modum curandi peſtem. Hinc videtur probabile, vix hanc hiſtoriam cognitam jam tum fuiſſe, quam illae *epiſtolae* compilarentur. Atque diu poſt *Hippocratis* mortem fabrefactam illam hiſtoriam fuiſſe magis etiam *Soranus* confirmat, qui generatim quidem ait, *Hippocratem* nuntiaſ-

ſe *peſtem*, & contra eam muniviſſe *Graeciae* urbes, hujus autem ſigillatim conſilii, de quo quaero, non meminit. *Plutarchus* (*a*) quidem loquitur de ſimili aliquo vulgo a medicis laudato conſilio, quo morem aliquem *Aegyptiorum* illuſtrat, quos narrat *purificare* aerem fumo *reſinae*, & *myrrhae*, quemadmodum medici ſolerent corrigere *putredinem*, nimiſque *ſpiſſos foetores* attenuare tempore *peſtis* incenſo *Junipero*, *Cupreſſo* &c.

Haec fere ſunt, quae antiquitas nos de hac re docet, atque inde patet, nimis feſtinatam eſſe auctorum concluſionem, qui *vulgarem ignem* ſuadent, niſi auctoritate *Hippocratis*, etiamſi concedamus, totam Hiſtoriam, qualem narrat *Galenus*, veram eſſe: neque enim inde patet, ipſum *Hippocratem* filum *flammae* vulgari, potius opus credidiſſe junctis *aromaticis fumis*. At qunm non nitatur haec hiſtoria fide ſatis digna, alienum eſt diutius ei immorari. Locus *Plutarchi*, quem citavi, melius oſtendit, quae fuerit eorum Medicorum opinio, qui iſtum morem probarunt. Videntur ſperaſſe, craſſum, & foetidum aerem diſpulſum iri. Neque ſane dubium eſt, eam aeris malignitatem, quam efficiunt *vapores*, *exhalationes*, ſimileſque cauſſae, emendari poſſe etiam ſolo *vulgari igne*, atque interdum tolli ejus ex his cauſſis natam proclivitatem ad recipiendum contagium. At, ſiquidem neceſſariae hae flammae putentur, crediderim excitandas, antequam jam nata *peſtis* ſit: nam poſtquam jam morbus *coepit*, ſuritque, quem notum eſt *ſpargi*, & *augeri calore aeſtatis*, & viciſſim compeſci *frigore hiemali*, ſine dubio quibus *calor* augetur, ea vim morbo addent: quemadmodum *Mercurialis* obſervat, *fabros ferrarios*, & omnes utique, qui opus ad ignem faciunt, peſſime habitos fuiſſe a *peſte* ipſius tempore *Venetias* infeſtante. (*b*) An huic incommodo par ſit utilitas, quam praeſtat forte ignis alias aeris malas qualitates corrigendo, experientia ſola docere poteſt: fatalis autem eventus tentaminis facti in noſtra urbe tempore poſtremae *peſtis* abunde ſufficit ad deterrendum a novo tentamine. Poſtquam imperatum erat, ut per tres dies flammae in plateis alerentur, in una ſequentium noctium, ſi fidem *Hodges* meretur, perierunt quater mille homines, qui numerus numquam antea per totam aliquam hebdomadem duplicatus numerabatur. (*c*) Atque repetito experimento in noviſſima *Maſſilienſi peſte*, compertum eſt, magis in dies aucta vi ſparſam per urbem peſtem fuiſſe. (*d*)

Quale de *igne* dixi, intellecta etiam velim de *exploſione tormentorum*, quam feſtinantius re conſiderata aliqui ſuaſerunt. Optime corrigitur aer, ſi renovetur, frigiduſque reddatur. Itaque *Arabes*, (*e*) optime quippe peſtis naturam intelligentes, ſuadent aeris affluxum, quantus umquam parari poſſet, hoſpitia in collibus aeri pervia, quem fluens prope aquae fons refrigerat.

Domus quod attinet, prima cura ſit, ut ſint *purae*, *munditiès* enim avertit *peſtem*, quemadmodum ſpurcities originem praebet, quae eſt ratio, cur maxime *contagioſis morbis* obnoxii *pauperes* ſunt. Obſervatur, *Perſas*, circa quorum fines quotannis peſtis verſatur, raro aut numquam ipſos mali quidquam pati, notum autem eſt, vix alium munditiei magis ſtudentem populum eſſe, atque multis religioſum hoc opus eſſe, ut omnis generis *ſpurcitiem*, & *ſqualorem* undique circa urbes, domuſque ſuas removeant. (*f*)

Praeterea *Arabes* ſuadent *frigidas* aedes ſervare, *purificandi* eas cauſſa, quod ut melius fiat, jubent conſternere herbis *frigefacientibus*, *roſis*, *violis*, *liliis aquaticis &c.* & lavare *aqua*, & *aceto*: quibus, maxime aceto aptius eſſe nihil poteſt. Vtile etiam credo *vapore aceti* domus replere aut ſolius, aut addito nitro, injecto *candenti ferro*, aut *tegulae*; quae quidem e diametro oppoſita ſunt iis, quae ut plurimum recentiores ſuadent, fumus calidiorum pharmacorum, *Benzioni*, *Thuris Storacis*, &c. a quibus neſcio, an ſperari poſſit, ut aut deſtruant *contagioſa* corpuſcula, aut ut ne aptus recipiendo contagio locus aliquis ſit, efficiant, qui quidem ſunt ſcopi. *Fumus* autem *Sulphuris*, *acido*

(a) Lib. de Iſid. & Oſirid (b) De Peſte, c. 22. (c) Hodges, de Peſte, pag. 14.

(d) Journal de la Peſte de Marſeilles, pag. 19, & Relation Hiſtorique de tout ce qui s' eſt paſſe a Marſeille pendant la derniere Peſte, pag. 77.

(e) Rhazes de re medica, lib. 4. c. 23. & Avicenna Can. Med. l. 4. c. 1.

(f) Gaudereau Relatione des Eſpeces de la Peſteque reconnoiſſent les orienteaux.

quippe *ſpiritu* abundans, quem experientia docet penetrantem eſſe, coercendaeque *fermentationi* aptiſſimum, aliquid promittit.

Calidi itaque fumi quum in univerſum *utilitatem* hic *nullam* praeſtent, *mineralium venenatorum* etiam pernicioſi credendi ſunt: itaque non poſſum non ut quod maxime diſſuadere *fumigationes mercuriales*, & *arſenicales*. Multo etiam minus ſuaſerim, quod nonnulli faciunt, *amuleti* loco ſuper os ſtomachi *arſenicum* geſtare, cujus conſilii ſaepe malus effectus obſervatus eſt, quodque nulla idonea auctoritate fulcitur, ſed potius error eſt pro *Darſini Arabum*, quod ipſi eſt *cinnamomum*, *latinas* voces *de arſenico* intelligentium: quod olim oſtendi. (*a*)

Poſtquam dictum eſt de *purificandis domibus*, diſpiciendum ſigillatim eſt, quomodo ſe unuſquiſque contra *contagium* munire debeat: quod ut certo fieri poſſet, opus eſſet in eum ſtatum *humores corporis* adduci, qui non ita facile *contagioſis* particulis mutandus ſit. Id autem quum non magis ſperare liceat, quam contra *variolas ſpecificum remedium*, hic ſummus ſcopus eſſe debet, ut in eo ſtatu corpus conſervetur, in quoquam minimum damni patiatur. Primum eſt firmam valetudinem conſervare, qua qui fruuntur, ſemper minus ab externis injuriis afficiuntur, neque debilitare corpus evacuationibus. Proximum eſt, cavere *animi abjectionem*, & *in moderata pathemata*, quibus quotidie experientia docet multos exponi *contagio* vulgatiori *variolarum*. Obtinebitur utrumque victu moderato, ſed bonorum, & lautorum ciborum, vitatis *injuriis veſtigiis*, nimia *laſſitudine* &c. Aliud preſidium eſt in omnibus, quae *inflammationem ſanguinis* impediunt, quae niſi forte *plane contagium arceant*, certe mitiorem ejus *vim* efficient. Optimus in hunc finem ex conſilio etiam *Arabum* eſt repetitus uſus *acidorum fructuum*, *Pomorum granatorum*, *Aurantiorum Hiſpanicorum*, *Limoniorum*, *Malorum acidorum* &c. Ante omnia autem *Acetum vini* parva copia ſumtum, gratiuſque ſtomacho redditam infuſione rad. *Gentianae*, *Galangae*, *Zedoariae*, *baccarum Juniperi*, ſimiliumque, quae quidem medicamenta, dum aliquantum *aceti* vim corrigunt, qua laedere forte ventriculum poſſet, utilia ſunt, ſola autem, & *aromata* utique omnia, etſi multum ab auctoribus commendata, non videntur non poſſe nocere, nimis calefacto ſanguine.

Commendo etiam *ulcera artificialia*. Commodiſſimus locus mihi videtur femur interius paullum ſupra genu. Suctio etiam fumi *Thabaci*, vehementer plurimis laudata, negligenda non videtur, ut quae nulla incommoda det.

At quum nulla harum methodorum certam ſecuritatem promittat, proximum praeſidium eſt in *fuga* ex loco infecto, quo ſane optime contagio cavetur, hoc eſt, ut caute ſubterfugiatur commercium *aegrorum*, & eorum, *qui modo convaluerunt*. Itaque ſuadeo, ut videtur omnis *multitudo hominum*, atque ſane deceret magiſtratum prohibere omnes coetus, & circulos non neceſſarios, & cogere convaleſcentes, ut ſecum aliquamdiu habitent, antequam in publicum prodeant.

Quod ſuaſi, procul abeſſe ab *aegris*, intelligendum etiam utique de *mortuorum corporibus* eſt, quae ſepelienda ſunt, quam longe a domo fieri poteſt, *defodienda* alte in terram, & contegenda accuratiſſime, at nulla *calce viva* injecta: neque enim credo poſſe non oriri noxios vapores ex fermentatione calcis cum putreſcentibus humoribus cadaverum. Porro *nocta*, & mature, & dum noctum *putredine* adeſa ſunt, exportanda ſunt: cadaver enim, quod nondum coepit, putreſcere calore diei, occluſum vix quidquam vaporis emittit.

Addenda aliqua conſilia iis ſunt, quos oportet circa aegros verſari. Comprehenduntur duobus ſummis praeceptis. *Alterum* eſt, ne, dum cum aegris ſunt, *ſalivam deglutiant*, ſed exſpuant: alterum, ut caveant *inſpirare* nimis aegris propinqui. Vtriuſque conſilii ratio ex modo patet, quo dixi ſanos infici. At ſi nimis difficile ſit conſtanter haec vitare, utile eſt ſaepe *os aceto eluere*, naribuſque *ſpongiam* eodem madentem admovere.

Haec fere ſunt, quibus admiſſam *peſtem* coerceri poſſe credo. Difficile non eſt, ſi qua praecepta accommodata ſolum videbuntur civitati *Londinenſi*, applicare ea, mutatis paucis, alii cuicumque *loco*. Reſtant itaque danda aliqua praecepta de impediendo morbi ex

(a) Expoſit. Mechan. Venen. Tent. III.

ex *urbe* in *urbem* tranſitu. Optime id fit, ſicubi fieri poteſt; aegre autem in magnis urbibus fit, ducto *vallo* circa urbem infectam ad diſtantiam commodam, poſitiſque *cuſtodibus* impedituris tranſituros in aliam urbem non impetrata venia, non tamen plane neganda omnibus, quod in *Gallia* factum de more exterarum regionum, qua quidem ſeveritate, pene dixerim crudelitate, opus non eſt. Sufficere credo, ut qui per vallum emitti rogant, ejus veniam habeant ea lege, ut antea per viginti dies in *tentoriis*, aut alio apto *hoſpitio moram* faciant. Cavendum autem accurate eſt, ne quis aufugiat neglecto hoc imperio, tum *attendere* juſſis vigilibus, tum graviſſimis *poenis* ſancitis in eos, qui aut contra fecerunt, aut contra facturi ſunt. Qui ut facilius detegantur, jubendi omnes, qui per provincias iter faciunt, iiſdem poenis propoſitis *tabulas* ſecum gerere teſtantes, ex non infectis locis ipſos venire, aut data venia emiſſos per vallum fuiſſe.

Crediderim melius hoc modo *contagionem* prohiberi, ne ſerpat, quam ſi plane omnibus, nullis auditis rationibus, exitus negetur. Nam in praeſenti periculo verſantes homines, nulla data via, certiſſime tentant clam fugam, quantumvis etiam periculoſa ea ſit. Neque poteſt non contingere, ut nonnullis conſilium ſuum ſuccedat, quod videmus ſaepe in *Gallia* factum eſſe non obſtante providiſſima cura. Probabilius autem eſt, ab uno aliquo, qui ita clam aufugit, circumferri morbum, quam a vicenis, immo centenis, qui cum iſta cautione dimittuntur: maxime quia eo loco, quo ille unus aufugit, oportet fortius contagium eſse. Nam ubicumque magno numero mortales coguntur, & occluduntur, auctis morbus viribus furit, eoque pervenit crudelitatis, quo vix umquam ſperaſſes: quod patet ex doctiſſimi *Gaſſendi* (*a*) hiſtoria memorabilis *peſtis*, quae anno 1629. *Dinicum* vexabat, *Provinciae* urbem, in qua degebat, adeo ea *Peſtis* horrenda fuit, ut poſt unam *aeſtatem* ex *decem millibus* incolarum vix ſuperſtites *mille quingenti eſſent*, aegrorum autem morbum evaſerunt vix *quinque* aut *ſex*. Hujus ſtragis ipſe *Gaſſendus* eam cauſſam eſſe dicit, quod nimis anguſtis limitibus circumſcripti fuerint, etiam a villis ſuis prohibiti. Contra autem eo ipſo loco ſeſquianno poſt nova *peſte* oborta, coactu autem illo remiſſo, non ultra *quingentos* perierunt.

Itaque haec abituris ex infecto loco danda venia, idonea quidem cum *cautione*, tum contra *contagionem* optimum praeſidium, tum erga infelices mortales humanum factum eſt. Atque ita limitata illa *circumvallatio* urbium infectarum, qui utique optimus modus eſt coercendi contagium, ne ſerpere poſſit, incommodo nullo ipſis urbibus cedet, immo utilis erit: nam iſtis excubiis ſecuritati proſpicitur eorum, qui neceſſaria urbibus allaturi ſunt, quos adeo nullus metus detinet.

Tanti hoc momenti eſt, omnem circa hanc rem metus cauſſam removeri, ut in iis urbibus, quas ſua magnitudo prohibet includi valle, quemadmodum *Londinum* eſt, *Magiſtratum* deceat huic incommodo mederi propugnaculis extra urbem conſtitutis, atque intenta cura omnibus imperatis, quae ſecurum vicinum agrum praeſtare poſſint.

Ipſis tantum hominibus permittendus eſt ille per vallum exitus, nequaquam autem mercibus, aut *ſupellectili* apte retinendo *contagio*. Nam in ea regione, cujus aliquam jam partem morbus tenet, multo majori cura cavendum eſt, ne circum malum ſerpat, quam cum remotius adhuc eſt. Poteſt enim contingere, ut *ſarcina* aliqua mercium, quae in *Turcia*, aut remotiore regione hauſerit forte contagioſam auram collecta apud nos explicata aerem noſtrum adeo experiatur ſalubrem, ut nocendi omnis vis pereat; at ſi urbis alicujus adeo diſtemperatus *aer* ſit, ut *peſtem* foveat, certe ſperari non poteſt, ſalubriorem agri aerem futurum.

Ob eamdem rationem exactior *cuſtodia* imperanda eſt, quum in vicino aliquo regno peſtis verſatur, quum in remotiori.

Conſilia mea de *bonis* non ſolum iis argumentis confirmantur, quibus ſupra docui aptas ſpargendo contagio in diſſita eſſe *merces*, ſed & plurimis exemplis damni, quod ſecutum eſt hominum his in rebus tempore *peſtis* negligentiam. Adiicio duo, quae apud nos tempore poſtremae *Peſtis* contigerunt. Supra jam dixi, *Poplii* aliquando peſtem fuiſſe. Allata eo fuit cum *mendici* alicujus *pannis*. *Ehamum* in extremo *Comitatu Derbi*-

ſi

(a) Notitia Eccleſiae Dinienſis.

ſi *Londino* venit cum pyxide, ad ſartorem ejus pagi miſſa, continente aliqua ad ipſius opificium pertinentia. Quum hujus exempli ſingulares circumſtantiae ſint, quibus nonſolum haec mea de bonis praecepta confirmantur, ſed & in univerſum omnia mea conſilia de impediendo peſtis ex urbe in urbem tranſitu; finem huic capiti faciam ejus hiſtoriae accurata narratione. Famulus, qui primus *pyxidem* aperuit, juſſus, quum quereretur, ſqualidos pannos eſſe, ad ignem eos ſiccare, dum id faciebat, *peſte* correptus periit. Mox idem totius ejus familiae fatum fuit, ſola ſuperſtite ſortoris uxore. Inde diditum malum in pago iſto, & reliqua parochia parva morti dedit incolarum numerum inter biſcentum, & tercentum medium. Tamen adeo vehemens morbus ne ultra ejus parochiae fines evageretur, prohibitus eſt providentia Rectoris ejus Parochiae; a cujus filio alioque nobili viro hiſtoriam accepi. Suaſit ille Rector, ut in *Tuguria* exſtructa *communi aeri* removerentur *aegri*, implorata auctoritate Comitis de *Devonſhire*, obtinuit, ut copioſe incolis pagi neceſſaria a vicinis miniſtrarentur, denique cavit, ne quis excedere e Parochia poſſet, atque ita feliciter vicinos immunes a contagione praeſtitit.

Ita exſecutus ſumma capita prophylaxeos contra *peſtem* finem libro faciam, generalia aliqua conſilia de *curanda peſte* additurus.

CAP. III.

De Curatione Peſtis.

EX iis, quae initio hujus libri dixi, patet, admodum ſimiles morbos eſſe *peſtem*, & *variolas* utrumque *contagioſam febrem* eſſe originis *Africanae*, utrique ſua *exanthemata* eſſe. Duplicis generis haec *exanthemata* ſive *puſtulae variolis* ſunt, ut inde ſumta ſit diſtinctio in *diſcretas*, & *confluentes*; duplicis etiam generis *tumores* a *peſte* naſci docui. Prioris ſpeciei ejuſque levioris variolarum *puſtulae* ex ſuperficie corporis eminent cocto *pure* turgidae: in altera autem ſpecie complanatae ſunt, repletae cruda *ſanie*. Critici *peſtis tumores* etiam magis differunt. Quum maxime mitis morbus eſt, *morbifica materia* eliminatur in mollem aliquam *glandulam* in exterioribus corporis ſitam, ut in *inguinalem*, *axillarem*, *parotidem* aut *maxillarem*. prope quas glandulas primo modica durities, magnus calor, rubor, dolor acutus ſentitur. Si convaliturus aeger eſt, hi *tumores*, quemadmodum diſtinctarum variolarum puſtulae, rite ſuppurantur, atque ita malum eliminatur. At ſi maiores loco eſt, aut loco horum *tumorum* aut una *carbones* oriuntur. Incipit apparere parvus durus *tumor*, non ſitus prope aliquam dictarum glandularum, cum fuſca rubedine, calore vehementi, doloribus crudelibus, & *macula* in medio *tumoris* nigreſcente. Haec incipientis *gangraenae* indicium eſt, quae cum increſcente *tumore* ſerpit.

Praeter has criticas excretiones maniſeſtius etiam his morbis convenit in *lividis* iſtis, *atriſque maculis* frequentibus *in peſte*, citae mortis nuntiis, quae interdum etiam in *variolis* apparent pariter fatali eventu, quin vidi aegros, in quibus omnes *puſtulae* illum colorem induxerunt. Porro utroque in morbo, ubi malignitas ſumma eſt, ſanguis ex ore, cum urina, perque ſimiles vias effluit. (*a*) Addi poteſt, utroque in morbo mortem induci ſolere gangraena correptis *viſceribus*. Conſtanter in *peſte* hoc fieri Medici *Gallici* invenerunt, me autem, idem in *variolis* obtinere, docent narrationes complures, quas mecum habeo, ſectorum hominum, quos *variolae* necarant.

Haec horum morborum analogia non ſolum docet non magis ſperanda eſſe contra *peſtem antidota*; & *ſpecifica remedia*, quam contra *variolas*, ſed ducit etiam ad curationem morbi minus cogniti tentandam iis modis, quos in vulgatiori utiles experientia comprobavit.

Paucis, indicantur in *peſte* facienda, quae potiſſima in *variolis* ſunt, ut initio repurgentur *primae viae*; febris moderamine regatur; excretiones naturales inventur. Potiſſimum hoc eſt diſcrimen, quod in *peſte* multo quam in reliquis morbis acutior febris eſt, ſaepe ventriculus, & inteſtina inflammantur, atque applicanda extrinſecus medicamenta ſunt exanthematibus, quibus *variolarum puſtulae* opus non habent.

Si valde acuta febris ſit, *regimen frigidum*, adeo

(a) Vid. Obſervat. & Refleg. ſur la Peſte de Marſeilles, p. 333.

adoo in *variolis* ſalubre, hoc loco magis etiam neceſſarium eſt. Sed quum pulſus languet, neque nimius aeſtus eſt, adhibenda ſunt moderata cardiaca.

Quum adeo ad inflammationem pronus ventriculus, & inteſtina ſint, *vomitus* non aeque ſecure generatim in *Peſte* ſuaderi poſſunt, quam in *variolis*. *Emetica* danda ſunt omnium leniſſima, prae omnibus *Ipecacuanha*; & maxima cautione videndum, ne, quum propinantur, ventriculus, & inteſtina inflammata ſint: quod ſi ſit, non poteſt non certa mors expectari, ſi autem non ſit, ſemper utiles initio vomitus ſunt. Itaque quum primum aegrum adverſa valetudo corripit, probe explorandum eſt, an ſymptomata ſint, quae doceant inflammationem iſtarum partium: ſi ſint, omnia abſint vomitoria, ſi non ſint, conveniet blandae ventriculum ſollicitari.

Glandularum tumores, & *carbones* non relinquendi ſunt, quemadmodum *puſtula varioloſae* naturae, ſed omni cura, & opera applicatis extrinſecus idoneis medicamentis, *ſuppuratio* cienda eſt. Tractantur hi tumores fere eodem modo. Quam primum apparent, applicando *cucurbitula* eſt ſine *ſcarificatione*, & poſt hanc remotam *cataplaſma maturans*, aut *emplaſtrum* ex gummatibus calidis.

Si ex *tumore* ſuppurari recuſante, *carbones* autem raro, ſi umquam ſuppurantur, tenuis *ichor* per poros exundet; ſi tactu mollis *tumor* percipiatur; denique ſi atra cruſta ſit, tum incidendus eſt aut ſecundum longitudinem, aut cruciata ſectione. Sphacelata, ſi qua ſunt, ut fit in *carbonibus*, ſcarifanda ſunt: Hoc facto ſanguinis fluxus coercendus, *humoreſque* conſumendi ſunt *cauterio actuali*, ac deinde applicandae *turundae*, & *plumaceola* oblitae *Digeſtivo* vulgari compoſito ex *Terebinth.* cum *Vitel. Ov.*, & intincta miſtis duabus partibus olei *Terebinth.* & parti uni *Sp. Sal. Ammon.*, aut *balſ. Terebinth.* omnibus denique imponendum eſt cataplaſma ex *Theriaca Lond.*

Proximo die vulnus *madefaciendum* eſt fomento ex calidis *aromaticis* plantis, & ſpiritu vini, ut, ſi fieri poteſt, maturato vulnere *eſchara* decidat. Poſtea curandum *ulcus* eſt, quemadmodum quod a vulgari *abſceſſu* naſcitur.

Porro *glandulares tumores*, quamprimum ad aliquam magnitudinem extolluntur, aperiendi ſtatim ſunt, neque expectandum, donec per cutem ſponte *pus* prorumpat: alte enim hi tumores in glandulas penetrant, atque ſaepe in fundo gangraenam cient, antequam cutem attingunt, quod *Gallici* medici in multis ſectis cadaveribus invenerunt.

Ita quidem tractandi *peſte* laborantes aegri ſunt, ſequendo ipſum morbi decurſum. Plerumque autem tanto hic aegros periculo exponit, etiam cum maxima medentis accuratione, ut ſane optabile maximumque erga genus humanum dira calamitate oppreſſum beneficium fuerit, ſi poſſit artificialis via excernendae morbidae materiei patefieri, vitato hoc periculo, quod cum ordinaria excretione conjunctum eſt. Commendantur in hanc rem *largae ſanguinis miſſiones*, & *profuſi ſudores*, conſilio quidem aliquam ab experientia fidem habente.

Sydenhamus felici eventu utrumque evacuationis genus tentavit, & ſapienter duo monita propoſuit. *Primum*, ne tententur niſi initio morbi, antequam ſolitam ſuam viam ingreſſus eſt: alioqui omnium rerum confuſio, boni nihil ſperandum eſt. *Alterum* eſt, nihil ab his evacuationibus boni ſperari poſſe, niſi copioſiſſimis; nam tantam malignitatem ſuperatum non iri niſi ſolito audaciore aliquo conatu.

Sanguinis miſſionem quod attinet, narrationibus ex *Gallia* compertum habeo, aliquos ibi medicos eo proceſſiſſe largitatis, ut primo morbi die uncias circiter decem mitterent, deinde ſecunda quaque hora quaternas, quinaſve. Contendunt egregie ſibi conſilium ſucceſſiſſe addentibus ſolum uſum *ptiſanarum* refrigerantium, ſimiliumque potuum, eodem tempore ingeſtorum: forte tanta ſanguinis profuſio melius in ipſorum corporibus, quam noſtri fit: nam in omnibus morbis plus quam nos mittendo ſanguini adſueti ſunt: ſemper tamen liberaliore manu quam in ullo alio morbo mittendus eſt, ſi boni aliquid efficiendi animus eſt. Definire, quantum ſanguinis detrahendum ſit, equidem non audeo, quum experientia me hac in re deſtituat: at ſuaſerim in deſperato malo potius incurrere aliquod nimiae forte miſſionis periculum, quam negligendo juſtam

evacuationem certae morti aegrum tradere.

Sudores, quod attinet, alterum remediorum, quae dixi, ſine dubio jugiter per totas viginti quatuor horas continuandi ſunt, ex conſilio *Sydenhami*. Ipſe quum dederit accurata praecepta, non niſi parum mihi reſtat de hac re dicendum. Hoc ſolum addo, *Theriacam*, & reliqua ſolida medicamenta, quae ſtomachus recuſat, *ad movendos ſudores* parum apta eſſe. Potius commendarim infuſum *rad. Serpentariae Virginianae* in aqua fervente, aut ea ſi deficiat, aliorum calidorum *aromaticorum* pharmacorum, addita quarta circiter parte *aquae Theriacalis*, atque *ſyrupi citri* dulcedinis cauſſa juſtam quantitam. Hujus potus optimos effectus obſervavi in morbo ſimili *febri carcerariae*, quae *peſti* valde vicina eſt.

An hae methodi curationis *mittendo ſanguinem*, & *excitando ſudorem* ſcopo ſatisfaciant, copioſior demum experientia docere poteſt; tentamina itaque non negligenda ſunt maxime iis in aegris, quibus ab ordinario morbi decurſu ſpes anguſta reſtat.

CONTENTA.

Praefatio pag. 176

PARS I.

De Peſte generatim.

Cap. I. *De origine, & natura Peſtis.* 177
Cap. II. *De cauſſis Peſtem ſpargentibus.* 183

PARS II.

Quomodo Peſti Obviam eundum ſit.

Cap. I. *De arcendo contagio ex aliis regionibus afferendo.* 189
Cap. II. *Quomodo jam admiſſa Peſtis impedienda ne ſerpat.* 192
Cap. III. *De Curatione Peſtis.* 200

FINIS.

Dom.

Dom. P. Johannes Maria de Turre in Lyceo Archiepiſcopali Phyſicae Anteceſſor Congregationis PP. Sommaſcorum revideat, ac referat.

C. EPISC. CAJAC. VIC. GEN.

JULIUS NICOLAUS EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

OPera Medica Riccardi Mead quanti ducenda ſint, notum eſt; in optatis erat, ut Neapoli ederentur, quo omnium medentium manibus terantur, adjecta Graecis auctoribus interpretatione, & typographorum mendis abſterſis, quae bina ſe facturum ſpondet diligens librarius Joſephus de Bonis, eique, ſi ambo praeſtiterit, gratulabuntur emptores. Ad muneris mei partes accedo: eo quod nihil vel moribus vel ſanctiſſimae religioni adverſum reperi, facultatem ut luce donentur dari poſſe reor. v. Kal. Sept. 1750.

Si tamen ex his operibus variis excludatur illud cui titulus *de morbis S. Scripturae*.

R. D. Jo: Maria de Turre C. R. S.

Attenta relatione Dom. Reviſoris imprimatur, dummodo ex his operibus variis excludatur illud, cui titulus, de morbis Sacrae Scripturae: quod ſi Typographus non excludat, animadvertat ſe in poenas impoſitas Typographis ſine licentia imprimentibus libros ſe caſurum. Datum Neapoli hac die 4. *Novembris* 1750.

C. EPISC. CAJAC. VIC. GEN.

JULIUS NICOL. EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

A. & M. Doctor Agnellus Firelli in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor in Cathedra Anatomiae revideat, & in ſcriptis referat.

C. GALIANUS ARCHIEP. THESS. CAPEL. MAJOR.

REX SERENISSIME

TUo Sereniſſime Rex imperio Richardi Mead Opera Medica legi, in illis Medicas excultas valdopere inveni normas; qua propter ea ad medicinae Tirones erudiendos impreſſionibus literariis mandari poſſe reor; expulſo tamen commentario, ubi titulus *Medica ſacra, ſive de morbis inſignioribus, qui in Bibliis memorantur.* Die 21. Ottobris 1750.

Agnellus Firelli
Regius Anatomiae Profeſſor.

Viſo Reſcripto S. R. M. interpoſito ſub die 4. *Novembris currentis anni,* 1750. *relatione facta per Medicum Doctorem D. Agnellum Firelli de commiſſione Rever. Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Maeſtatis:*

Die 16. menſis Novembris 1750. Neapoli.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atq. mandat quod imprimatur cum inſerta forma retroſcripti ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragm. hoc ſuum; Imprimatur ſervata in omnibus forma retroſcriptae relationis &c.

CASTAGNOLA. ANDREASSI. GAETA.

Illuſtr. Marchio Danza Præſes S. R. C. temp. ſubſ. imp. Ill. Marchio Fraggianni non interfuit.

Regiſt. fol. 34. *ter.*
La Rocca.

Attanaſius.

MONITA
ET
PRAECEPTA MEDICA.

AUCTORE

RICHARDO MEAD,
COLLEG. MEDIC. LOND. ET EDINB. SOCIO,
Regiae Societatis Sodali, et Medico Regio.

HIPPOCR. EPIDEM. I.

Ἀσκεῖν περὶ τὰ νουσήματα δύο ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν.

PRAEFATIO.

REm neque inutilem, neque ab officio, & vitae meae inſtituto alienam, me facturum exiſtimavi; ſi praecipua adverſus pleroſque morbos auxilia, quae aut longa experientia didici, aut legitima ratiocinatione excogitavi, in publicum ederem. Artis autem praecepta & viam medendi potius, quam morborum definitiones aut deſcriptiones tradere; & medicamenta uſu comprobata, non conjectura ingenio fictas, proponere ſtatuo. Et quoniam conſilium non eſt de univerſa medicina commentarios ſcribere, uſitatum in libris medicorum ordinem non ſervabo; horis enim ſubſecivis ex *Adverſariis* meis ea, quae uſui fore opinabar, tranſcripſi; in mentem ſimul, quantum potui, revocans quaecunque in ſingulis morbis profuiſſe aut nocuiſſe me, mineram, *Sic enim orta eſt medicina ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernens a ſalutaribus* (a). Quapropter neque de ipſa ſcientiae medicae conſtitutione, ut ita dicam, verba facturus ſum; nec quantum illa vel *rationalis*, vel *empirica* ſit, diſceptaturus. Operae potius erit, quae in utramque partem diſputant medici, qui aut artem rationalem, aut uſum tantum ſibi vindicant, apud Celſum legere, qui ſententiam ſuam ſuper tota hac re dilucide & ſapienter expoſuit (b). Nullam autem ex his, quae opera ſaepe tumultuaria feci, gloriolam aucupor. Animadvertit enim jam olim medicinae pater Hippocrates, *majorem conqueſtionem, quam honorem, ſortitam eſſe artem noſtram* (c). Ita nimirum fert hominum natura, in aliorum reprehenſionibus nimia plerumque & prodiga, in laudationibus vero parca & avara. At haec forſan de medicina querela levis videatur; gravior autem illa, quam alibi affert: *Videre medicum terribilia, contrectare acerba, & ex alienis calamitatibus proprias ſibi capere moleſtias*. Quid autem humanius, vel homine etiam Chriſtiano dignius, proferri poteſt, quam aliorum malis commoveri, perinde ac ſi ſua eſſent (d).

Poſtulabat quidem inſtituti hujus ratio, ut aliorum medicorum errores interdum monſtrarem; id autem ea ſemper aequitate feci, qua

 ipſe

(a) *Celſus in Praefat.* (b) *Ibidem.*

(c) Ἔγωγε δοκέω πλείονα μεμψιμοιρίαν, καὶ τιμὴν κεκληρῶσθαι τὴν τέχνην. *In Epiſt. ad Democritum.*

(d) Ὁ μὲν γὰρ ἰητρὸς ὁρέει τὰ δεινὰ, θιγγάνει τε ἀηδέων, καὶ ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας. *Lib. de flatibus.*

ipſe meos emendari velim. Conjecturis ſaepe ars noſtra nititur; neque id ſperandum, ut perpetuo quis collineet. Quocirca nec me puduit, quae quandoque ipſe ſive ignorantia, ſive negligentia, perperam fecerim, monere & agnoſcere. *Convenit* enim, ut ait Celſus, *ſimplex veri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur* (*a*). Illud autem facile percipit lector, me non ſenſa tantum, ſed & ipſiſſima verba Celſi, ut res tulit, imitando exprimere voluiſſe; quod utinam ſane facere mihi ſaepius licuiſſet. Quo enim auctore potius uterer, quam eo, qui ex Graecis tam medicis, quam chirurgis praecipua, quae ad artem noſtram pertinent, in linguam Latinam elegantiſſime tranſtulit? Denique monendum eſt, medicamentorum compoſitiones, quibus utor, niſi aliter ſignificatum fuerit, illas me intelligere, quae in noviſſima *Pharmacopoeia Londinenſi* exhibentur. Utcunque ſit, gratum & acceptum habeant a me cives noſtri hoc qualecunque legatum, bono ſuo deſtinatum; & valeant.

MONI-

(a) *Lib. VIII. cap.* 4.

MONITA
ET
PRAECEPTA MEDICA.
INTRODUCTIO
DE
CORPORE HUMANO.

PRIUSQUAM morbos, quibus corpus noſtrum eſt obnoxium, explicare aggrediar; operae pretium erit de illo, quale ſit in ſtatu integro & ſano, quaedam breviter praefari.

Si quis igitur veram corporis humani imaginem ſibi fingere velit, is machinam quamdam hydraulicam ſummo artificio conſtructam, in qua ſint innumeri canales humoribus diverſi generis ferendis apti, & accommodati, animo concipere debet. Horum praecipuus eſt ſanguis, ex quo liquores derivantur variis vitae noſtrae uſibus & officiis inſervientes; in primis autem ille, quem *ſpiritus animales* vocant, qui in cerebro generati, & vi inſigniter elaſtica praediti, motus omnis, ac ſenſus ſunt inſtrumenta, quorum neutrum efficere poſſent, niſi materiae accommode inhaererent. Idcirco fibras duplicis generis, cum carneas, tum nervoſas, actuoſi hujus principii receptacula, formavit Divinus rerum Conditor; quarum utraeque partim membranis corporis intertextae ſunt, partim in funiculos colligatae membris adhaerent, ad horum motiones oſſium adjumento peragendas.

Admiranda autem iſta compages primum motorem adhuc deſiderat, cum ſeſe movere nequeat. Mens igitur ut dux & moderatrix praeficitur, quae motus omnis & ſenſus in corpore eſt effectrix. Illa enim, ſive in capite, tamquam in arce ſua, habitat; ſive *ejus locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit*, quod a Xenocrate, Platonis diſcipulo, diſputatum eſt (*a*); dominatur in nobis, & res adminiſtrat. Motus autem noſtri, pariter ac ſenſus, tam interni ſunt, quam externi: illi non tantum partes vitales, quales ſunt cor, pulmones, & ventriculus cum inteſtinis, ſubjectas ſibi tenent; ſed & membranas quaſcumque nervoſas.

Caeterum inſigne quoddam diſcrimen vulgo ponunt auctores medici inter motus, quibus aguntur vitalia; & eos, qui caeteras partes agitant: illos, poſtquam a prima nativitate ſemel coeperint, perſtare, & etiam nobis non volentibus neceſſario permanere; hos vero ad mentis arbitrium, prout res incidunt, fieri autumantes.

Nullis autem in caſibus magis elucet animi virtus, quam in iis praeſertim febribus, quae *peſtilentes* dicuntur. In his enim obſervare licet, mentem feſtinanter fabricae laboranti ſuccurrere, contra hoſtem pugnare, & ſpirituum animalium ope, nubis id non ſentientibus, novos in corpore motus excitare, quibus venenum, quod humoribus inſedit, per omnes meatus foras expellatur. Hinc morbum naturae certamen, propriam ſalutem propugnantis, medici ſapientiores definierunt.

Et iſto quidem modo univerſae machinae periclitanti proſpicitur. Sed & parti alicui ſingulari aliquando conſulere oportet, neque tum deeſt officio ſuo animus. Etenim ſi in locum quemvis fortuito inciderit vitium, ne is onere nimio gravetur, & doleat;

(a) Vid. *Lactant. de opificio Dei*, *cap.* 16.

leat, a natura proviſum eſt, ut ſanguini & humoribus per canales vicinos detur tranſitus. Id autem fit mirabili iſta corporis diſpoſitione, qua liquorum tubuli ſibi impliciti, atque intertexti quaquaverſum ſparguntur; ita ut non tantum ex venis in venas, ſed ex arteriis etiam exilibus in alias, tranſeat ſanguis. Idcirco illic praecipue comparet hoc artificium, ubi obſtructionum maximus eſt metus; ut in capite, abdomine, & longis illis ductuum, qui ad genitalia pertingunt, anfractibus videmus.

Atque eo quidem magis neceſſaria eſt talis fabricae noſtrae conſtructio, quod, etiamſi non interveniat morbus, ipſae interdum corporis actiones & conſuetudines per has vias liberius, quam illas, humores circumferri poſtulant. Hinc iidem ſanguinis canales in aliis atque aliis hominibus, ut uſus exegerit, largiores aut anguſtiores fiunt, prout plus minuſve a perpetuis fluidorum motionibus dilatentur. Ita vinolentis arteriae in capite, libidinoſis in genitalibus plus turgent, quam in ſobriis, & rebus venereis minus deditis.

Poſſem his & illud adjicere, quod fieri poteſt, quin ipſa partium animalium textura, licet vitae noſtrae convenientiſſima ſit, in caſibus tamen nonnullis aliqua ferat incommoda; haud aliter ſane, ac in univerſa mundi compage neceſſario in locis quibuſdam fulmina, ventorum turbines, terrarum inundationes, peſtes, & conſimiles calamitates nonnumquam eveniunt. Ut his autem malis occurrit atque obſtitit, prout rerum fert natura, Supremus orbis Conditor; ita & illis, quae parvus noſter patetur mundus, idonea adjumenta oppoſuit.

In eo autem diu laborarunt geometrae, ut machinam effingerent, quae in motu ſuo indeſinenter perſiſteret, quam *mobile perpetuum* appellant; ſed votis ſemper excidentes operam luſerunt. In iſtiuſmodi enim operibus unoquoque temporis puncto aliquid de vi motus effectrice perit, cedente nimirum, ſenſimque neceſſario ab ipſis partium fricationibus imminuta, virtute movente; unde perpetuo renovari opus eſt. Ob hanc igitur cauſam ſolius eſt Omnipotentis rerum Conditoris tale machinamentum perficere, qui corpus noſtrum fabricam ejuſmodi eſſe voluit, potentias quaſque ita diſponens, ut eſſet harum quaſi orbis, quo ſemper ac ſimul munus ſuum exequentes ſeſe mutuo reficerent.

Ex his manifeſtum eſt non per partes, ſed totam ſimul formari compagem animalem, cum fieri nequeat, ut motionum circulus peragatur, quarum aliae ab aliis pendent, niſi adſint omnia illarum inſtrumenta. Nam, ut exempli cauſa dicam, qua ratione cor poterit ſe contrahere, ut ſanguinem propellat, ſine ſpirituum animalium adjumento, qui nec ipſi ſine cerebro confici poſſunt? Par ratio eſt aliarum partium principalium. Rectiſſime ergo dixit olim Hippocrates: *Nullum quidem corporis eſt principium, ſed omnes partes aeque principium & finis ſunt* (a).

Hactenus dictis unicum illud adjiciam, ejus eſſe naturae machinam omnem animalem, ut partium eam conſtituentium quaedam ſit quaſi infinitas; ita ut ultra quam nos ſenſibus, etiam microſcopiorum, ut vocant, ope adjutis, aſſequi poſſimus, in fila tenuiſſima abeant. Si ſecus eſſet, neque in corpus univerſum diſtribueretur alimentum, neque vitae officia peragi poſſent.

In ſumma igitur, motiones humorum ad normam peractae, ſimul cum apto partium ſolidarum ſtatu, ſanitatem conſtituunt; harum autem aberrationes ſunt morbi, quae cum innumerae ſint, & altera ſaepe alteram progignat, miraculum fere videtur, ſi corpus animale ad longaevitatem unquam perduci poſſit. Atque hinc profecto, quam late pateat medicinae uſus, quantumque illa aliis omnibus artibus praecellat perſpicuum eſt.

Machinam autem hanc, quae unica motum perpetuum habet, pro varia viventium ratione ad longius aut brevius tempus duraturam finxit Geometra ter Optimus Maximus. Nam perpetuo in vita durare, quale nos gerimus, corpus omnino nequit; cujus rei cauſam haud difficile eſt explicare. Fibrae enim membranoſae canalium, qui ſanguinem vehunt, quas virtute elaſtica ad liquorem incluſum protrudendum praeditas

eſſe

(a) Ἀρχὴ μὲν οὐδεμία ἐστὶν τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ τελευτή. *Lib. de locis in homine.*

eſſe diximus, rigidae fiunt & duriores; unde uſibus ſuis ineptae evadunt, & humorum ſecretiones in ſingulas partes ſenſim diminuuntur. Porro, quod ad vitam ſumme neceſſarium eſt, inutilem vaporem per anguſtiſſimos cutis meatus in ſenio haud ſatis perſpirare, cadaverum eorum, qui aetate ſunt confecti, inciſiones demonſtrant; quae interiores arteriarum partes oſſea materia hic illic obductas, adeo ut reſiliendi vim fere amiſerint, interdum oſtendunt. Quin & ora ductuum naturalium, ad cartilaginis duritiem confirmata, in hujuſmodi caſibus ſaepe reperiuntur.

Duo proferam, quae ad hanc rem pertinent, illuſtria exempla, quorum alterum ſuppeditant noſtri *Annales*. Pauper quidam agricola, nomine *Thomas Parr*, in agro ſaluberrimo Salopienſi natus eſt, ubi ad annum uſque centeſimum & trigeſimum opere ruſtico ſe ſtrenue exercuit; deinde oculis captus, Londinum tandem adductus eſt, ubi aliquamdiu commoratus, poſtquam centum & quinquaginta duos annos cum novem menſibus vixerat, anno 1635. deceſſit. Mortui corpus cultri ſui anatomaci honore dignatus eſt immortalis ille ſanguinis circuitus detector, Gulielmus Harvejus; qui caetera quidem omnia ſana, cerebum vero *firmiſſimum & ad tactum ſolidiſſimum* obſervavit (a). Ita liquorum canales in illa parte longa dies induraverat.

Alterum, quod dixi, exemplum in *Actis* noſtris *Philoſophicis* memoratur. Narratio eſt de ſene quodam decrepito Rhaeto, metalli foſſore, qui cum centum & novem annos cum tribus menſibus compleverat, anno 1723. obiit, a doctiſſimo medico Johanne Jacobo Scheuchzero Tigurino, huc traſmiſſa. In ſecto ejus cadavere *lienis exterior membrana maculis nivei candoris, primo intuitu variolarum puſtulas referentibus, obſeſſa reperiebatur; quae cartilagineae prorſus erant duritiei, & ultra ſuperficiem reliquae membranae aliquantulum elevatae: ſterni prominentiae cum ipſis coſtis continuae, & plane oſſeae erant: tendo ille, quo cordi inſeruntur arteriae, vel oſſeus plane; vel ſaltem cartilagineus: valvulae ſemilunares, praeprimis arteriae aortae, plane cartilagineae: dura autem cerebri meninx triplo fere ſolito craſſior, & coriacea deprehendebatur* (b).

Sed ad machinae hujus vitia, quae motus illius turbant & pervertunt, jam σὺν Θεῷ progrediendum eſt.

CAPUT I.

DE FEBRIBUS.

SECTIO I.

De Febribus Generatim.

FEbris omnis, licet variae ſint ejus ſpecies, conjunctum habet ſanguinis, & humorum calorem praeter naturam. Is vires corporis, actioneſque vitales laedit. Idcirco morbum, quaſi infenſum hoſtem, inito quodam certamine, oppugnat natura; quae, ſi victrix evadat, per quaſcumque poteſt vias id, quod nocet, expellit. Hoc morbi ſolutionem vocant medici. Quid autem per vocem *naturae* hic intelligi debeat, uti etiam nonnulla, quae ad febrium diſtinctionem pertinent, alias expoſui (c); ſimulque indicavi, quo ſenſu medici, & in primis Sydenhamus, dixerint, *Morbum nihil eſſe aliud, quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem in aegri ſalutem omni ope molientis* (d). Quaedam igitur de febris ſolutionibus in anteceſſum dicam:

SECTIO II.

De Febris ſolutionibus.

CUm nulla febris ſine inſigni aliqua exinanitione, aut ſponte natura, aut arte facta, ſanetur, proſpicere debet medicus, quanam via materiae morbidae expulſionem natura molire videatur, & hanc omnibus modis adjuvare. Illa vero ſaepiſſime per plures ſimul corporis meatus peragitur, & altera

tera

(a) Vid. *Anatomiam Thomae Parri, ad finem Libri Joannis Betti, de ortu & natura ſanguinis, adjunctam.*

(b) *Tranſact. Philoſophiq. Num.* 376.

(c) Vid. *Lib. de var. C. II.*

(d) *Oſerv. medicae circa morb. acut. hiſt.* in princ.

tera alteri plus minus obſtat; ita fluxus alvi ſudores reprimit, & contra. Hinc attendere oportet, qualis humoris emiſſio plurimum profutura ſit, & hanc ita promovere, ut alia quaecumque quam minimum interumpatur; non enim omnibus eadem convenit, tum propter diverſum laborantis temperamentum, tum ob varium morbi genus: quanquam & per omnes exitus expurgatio interdum ſit neceſſaria; ut in febribus, quae malignae dicuntur, uſu comperimus.

Omnium autem maxime optabilem morbi ſolutionem efficiunt ſudores: ſecundum illos, alvi & urinae ſtuxus: peſſima eſt emorrhagia, ſive ex naribus, ſive ex alia quavis parte proveniat; oſtendit enim ita vitiatum eſſe ſanguinem, ut nulla idonea humoris ſeparatio ex illo fieri poſſit.

In febribus denique nonnullis ſuppurationes in glandulis factae, modo ſub exitum morbi eveniant, & perfectae ſint, corpus in integrum reſtituunt. In his igitur id agendum eſt, ut per cataplaſmata aut emplaſtra, nonnumquam & cucurbitulas tumori accommodatas, materia morbi primum matureſcat; deinde vero, niſi ſponte proruperit, ſcalpello aut medicamento cauſtico emittatur.

Recte interim plerumque praecipitur, ut ne ullis tunc temporis exinanitionibus exhauriantur vires. At nihilominus ita res interdum fert, ut modica ſaltem ſanguinis miſſione opus ſit; nimirum ſi forte materia ultra modum turgeat, & nimius urgeat calor: hoc enim prudenter facto, abſceſſus ad maturitatem perducitur, ideo quod natura a turbulento rerum ſtatu ſemper adhorret.

SECTIO III.

De Febribus Continuis.

NUlli morbo magis convenit utile illud praeceptum, *Principiis obſta*, quam febribus. Inter initia enim juvare plerumque facile eſt; at cum malum jam invaluit, difficilius aegrotanti ſuccurritur. Praeceps enim occaſio eſt (a); & fruſtra ſaepe ea medicina eſt, occupato jam vi morbi corpore, fractiſque viribus, quae in principio a periculo expedire hominem potuiſſet. Neque tamen fato ſuo permittendus eſt, qui auxilium ſero petit quandoquidem morbos, antiquiſſimis temporibus ad iram divinam relatos (b), ars noſtra, quae Dei ipſius donum eſt, etiam cum res jam deſperatae videntur, non raro depellat. Circumſpicere igitur oportet medicum, neque officio ſuo umquam deeſſe.

Et primo quidem, quoniam praeſtantiſſimum in febribus omnibus incipientibus remedium eſt ſanguinis detractio, ſi culpa quavis illa praetermiſſa fuerit per aliquot dies, num adhuc ea fieri debeat, diſpiciendum erit.

Si intolerabilis igitur in quacumque parte corporis dolor urget, ſi ſpiritus aegre trahitur, vel ſi delirium acceſſit, ſanguis pro ratione virium mittendus erit; ſcalpello, ſi illae ſatis conſtent; aut per cucurbitulas, ſi fuerint imbecilliores; aut denique per hirudines, ſi infirmiſſimae videantur. Atque haec, ſi conſiſtente jam morbo fieri poſſunt, multo magis in principio locum habent. Et hirudines quidem, ut illud in tranſcurſu moneam, premente delirio, ſaepe inſigniter juvant. Nonnumquam etiam in furibundis pulmonis aliquas portiones, ex agno recens mactato calentes, capiti impoſitas furores compeſcuiſſe comperi, exſudante nimirum e capite inutili humore.

Quo manifeſtius autem percipiantur ea, quae de hoc morbo proponenda habeo, praecipua ejus genera ſummatim exponam; quae ad aegri gubernationem, victum, ſimiliaque pertinent, ex auctoribus, Celſo in primis, & Lommio ejus aemulo, qui haec dedita opera tractarunt, haurienda relinquens.

SECTIO IV.

De Febri cum exanthematibus conjuncta.

PRopriam animadverſionem deſiderant febres, quae exanthemata ſecum ferunt. Ad variolas autem & morbillos, quin & ad peſtem, quae ſpectant; ea jam olim a nobis in libris ſingularibus ſunt expoſita. Aliarum praecipua eſt.

Febris miliaris.

Hac nulla faciem magis variam oſtendit, Pu-

(a) Ὁ καιρὸς ὀξύς. *Hippocr. Aphor.* 1.

(b) Vid. *Celſum in Praefatione.*

Puſtulae nimirum aſperae per totum corpus, citius aut tardius, prorumpunt; nunc rubrae, nunc albidae, interdum illae his commiſtae; nunc minores, nunc elatiores, male olentes: ſuſpiria, & praecordiorum anxietates, frequentiſſime premunt: accedunt non raro delirium, nervorumque diſtenſiones. In longum trahit morbus; quod ſi forte, non ſatis perfecta ſolutione, citius deſinat, malo corporis habitu ſaepe plectitur aeger. Exanthemata rubra minus periculum afferunt, quam albida; illaque, quo vividiora perſtant, eo ſunt tutiora. Ex hiſce liquet, ab humorum vitio magis quam aeris, adjuncta ſpirituum animalium labe, febrem hanc oriri; quam non uno & eodem modo, ſed cura alia atque alia, depellere oportet.

Cujuſcumque autem generis fuerint puſtulae, ſanguis in principio, modo vires ſinant, mittendus eſt; ſin corpus ſudoribus diffluat, aut detractione abſtinendum, aut ea in diem unum aut alterum, vel in tempus opportunius, differenda eſt. Longe vero melius ferunt ſanguinis imminutionem exanthemata rubra, quam albida; cumque in utriſque veſicatoria ex uſu ſint, magis ſunt in his neceſſaria, & tum cervici, tum capiti, membriſque omnibus, temporis intervallis, imponi debent. Illud autem animadvertere oportet, quo minori copia miſſus fuerit ſanguis, eo tutius ut plurimum finiri morbum; deficientibus enim extremis diebus viribus, puſtulae retrocedunt, & aeger moritur.

Materiae expulſionem adjuvare oportet medicamentis, quae vim habent humores e ſanguine propellendi. Horum convenientiſſimum erit *pulvis bezoardicus*, vel *pulvis contrayervae compoſitus*, aut *confectio cardiaca*; adjuncto, ſi inflammatio urgeat, *nitro*: quod quidem in omnibus fere febribus malignis, cardiacis dictis remediis, ſaltem in principio, admiſcere utile erit. Interdum etiam convenit, inclinato jam morbo, balneo tepido lavari, quo puſtularum reliquiae foras exeant.

Sin autem veſiculae tantum exiguae, pellucidae, quae vix cerni poſſunt, & innumerae, conſiſtente morbo, aut ſub ejus finem, in cuticula ſe oſtenderint; non nimis diu internis ejus generis remediis inſiſtere oportet, niſi forte etiam valentiora aegri vires longa valetudine exhauſtae requirant. Vim enim febrem ſolvendi non habent humidae iſtiuſmodi ſummae cutis aſperitudines, at difficilem & longam plerumque aegritudinem indicant: idcirco, nondum intermiſſo veſicatoriorum uſu, per alias vias, maxime autem per inteſtina, expurgandus erit morbi fomes; quae *rhabarbaro*, vel *manna*, adjecto *ſale Glauberi*, commode laxabuntur.

Illud in hoc morbo interdum uſu venit, ut non uno ſolutionis genere, ſed alio atque alio finiatur; eſt & ubi pluribus ſimul, quod & in aliis, ut dixi, quae malignae dicuntur, febribus ſaepiſſime contingit. Ita nonnumquam, ejecta eodem tempore per alias vias morbi materia, aphthae palatum atque os totum occupant, & ad uvam fauceſque deſcendunt. Hae cum ſingultu plerumque incipiunt: & ſi albidae cum humore copioſo prorumpant, multumque ſalivae exſpuatur, non magnum periculum ſed ſalutem potius oſtendunt, morbumque ſolvunt; ſin contra nigrae exoriantur, & aegre materia exeat, id plerumque peſtiferum eſt, ſtrangulatis nimirum faucibus vi pituitae obſeſſis. In his omnibus gargarizationes fieri debent *decocto hordei*, addito *ſyrupo mororum*, aut alio conſimili; vel etiam *decocto pectorali* dicto. Neque enim reprimentia quocumque modo adhibenda ſunt.

Mirabitur fortaſſe quis Sydenhamum, tum ad ipſam hanc febrem, tum ad ulcuſcula iſta, *corticis Peruviani* uſum praecipere; quem ſibi ſemper bene ceſſiſſe dicit. (*a*) Id autem non temere fecit ſagax ille medicus: haud raro enim intermittit iſta febris, non apparentibus aphthis; ſaepius vero, his decedentibus, deſinit. In utroque caſu inſigne hoc antidotum quam maxime prodeſt. Summus autem ille vir morborum vulgarium recurſus Hippocratis exemplo obſervare ſolitus, quos pro vario coeli more iiſdem anni temporibus variare plerumque comperit, primus apud nos febrem hanc deſcripſit; quam anno 1684., poſtquam frigore graviſſimo longoque ſaevierat hiems, menſe Februario anni inſequentis ortam fuiſſe animadvertit. Hinc credere par eſt gelu nimio conſtrictas ſummi corporis fibras, indeque humores, imminuta perſpiratione, acriores factos illam genuiſſe.

(a) Vid. *Schedulam ejus monitoriam*.

SECTIO V.

Febris Petechialis.

PEtechiae, unde haec nomen habet febris, ſunt maculae latae, rubrae, pulicum morſibus ſimiles, non ultra cutim ſummam eminentes. Maximum autem vitae periculum oſtendunt, cum, ut interdum fit, lividae vel nigrae evadunt; hae enim revera ſunt gangraenulae, ideoque quo plures numero comparent, eo gravior ſubeſt metus.

Errant plerumque in hoc caſu medici, ſtatim in principio medicamentis, quae ſanguinem & humores calefaciunt, ſudores movendo. Tutius longe eſt, ut modo propoſui, *pulvere bezoardico*, vel potius *contrayervae compoſito*, adjecto *nitro*, ſerpentem gangraenam prohibere; aut *confectione cardiaca*, *aqua alexiteria ſimplici* ſoluta, adjecto *aceto vini*, naturam adjuvare: *ſpiritum* etiam *vitrioli dulcem* potulentis inſtillare; *vino Rhenano* vires reficere: denique *ordei decoctum*, adjecto *ſucco limoniorum*, potui dare, convenientiſſimum erit. Omnes autem iſtiuſmodi liquores affatim bibendi ſunt. Ad ſudores etiam movendos *calcem antimonii*, adjuncto *pulvere bezoardico*, per intervalla exhibere interdum ex uſu erit; *calcem* vero non nimis lotam eſſe volo. Illud tamen opus eſt monere; quod non raro fit, praeſertim ſub morbi finem, ut oppreſſae aegris vires medicamenta calidiora, cordis utilia deſiderent, qualia ſunt *radix ſerpentariae Virgineae*, *contrayervae*, *valerianae ſylveſtris*, *crocus*, & ſimilia. Horum autem infuſiones ex aqua ipſis pulveribus erunt longe commodiores, praeſertim ſi *aceti deſtillati* portio aliqua admiſceatur.

SECTIO VI.

Eryſipelas.

NOn levem attentionem requirit illa febris, que ſecum eryſipelas conjunctum habet. In hac enim non tantum dolor, ſitis, & inquietudo vexant; ſed & puſtulae in variis corporis partibus in gangraenam interdum abeunt.

Sanguis igitur copia ſatis larga quam primum mittendus erit, deinde potionibus catarticis alvus iterum atque iterum movenda. Hae autem, quales febribus conveniunt, lenes eſſe debent; infuſiones nimirum *ſenae*, adjuncta *manna*. Neque ſane alius quivis morbus acutus facilius iteratam purgationem fert, praeſertim ubi cum tumore inflammatio caput obſidet; ſerpit enim in horas humor, & partes vicinas trahit.

Attamen periculoſum eſt fomentis calidis ad materiam peccantem diſcutiendam uti: multoque magis, unguentis, vel linimentis frigidis eam reprimere. Sin autem quacumque in parte cutis gangraena vitiata ſit, decocto *herbarum amararum*, adjecto *ſpiritu vini camphorato*, pars fovenda erit; deinde cataplaſma ex *farina avenacea*, in *cereviſia*, quae *fortis* dicitur, cocta, dum calet, imponi, &, quoties opus ſit, renovari debet.

Et ut id quidem ſemel admoneam; non in morbis tantum acutis, ſed chronicis etiam multis, in quibus puſtulae cum ſuppuratione oriuntur, tutius & ſalubrius eſt, niſi malum in cute tantummodo haereat, leniter propellere, aut ſaltem aliquamdiu ſinere ut erumpant (quantum ſcilicet moleſtiam hanc ferre poſſit aeger) quam repellere, aut per alias foras expurgare. Habent enim humores vitioſi ſuam quique indolem, cumque per modum criſis plerumque prorumpant, quantumvis minui poſſint; vix tamen cum bonis aegri rebus per alios meatus, quam quos natura monſtrat, e corpore prorſus exeunt.

Interna remedia non alia, quam quae in *exanthematibus* modo propoſita fuere, hic uſui erunt.

Finem de febribus malignis diſſerendi faciam, poſtquam de duobus tribuſve remediis praeter ea, quae ſupra memoravi, aliquid dixero. Obſervatu autem dignum eſt, illa omnia maxima ſudores movendi virtute pollere.

Camphoram in primis laudant multi. Et quidem, ut de aliis auctoribus nihil dicam, extat apud Riverium, medinum experientiſſimum, narratio una & altera de inſigni ab illa praeſtito juvamine (*a*). Notandum eſt autem non ſolam, ſed medicamentis refrigerantibus conjunctam (id quod in *febribus* pete-

(*a*) Vid. *obſerv. Medic. Centur. II. Obſervat.* 18.

petechialibus faciendum monui, ubi calida remedia exhibetur) profuiſſe; maximo enim calore illa praedita eſt. Ideoque commodiſſimum erit forma hujuſmodi adſumi: Drachma ejus una, cum paulo *ſpiritus vinoſi* trita, *ſacchari puriſſimi*, unciae dimidiae perfecte admiſceatur; tum *aceti calefacti* libra una ſenſim effundatur. Hoc modo remedium illud, quod alioquin nauſeam concitandam aptum eſt, ventriculo gratius fit, & morbo etiam accomodatius.

Eadem ratione etiam *ſpiritus Mindereri* in febribus putridis quibuſcumque uſus eſt eximii (*a*).

Moſchi denique vires, urgentibus praeſertim convulſionibus non ſemel expertus ſum. Dedi autem, iteratis vicibus devorandum, bolum ex *hujus*, *confectionis cardiacae*, & *cinnabaris antimonii*, ſingulorum ſcrupulo ſemis, confectum.

SECTIO VII.

De Febribus ſingularibus.

Quae cum partium aliquarum inflammatione conjunguntur febres, partibus illis congruentem curationem deſiderant. Exemplo erit.

Pleuritis.

In hac enim detracto primum, quantum opus eſt, ſanguine; ad tuſſim levandam, *olei ex ſeminibus lini recens expreſſi* potiones; ad refrigerandum, *nitrum*, ad ſanguinem in canaliculis ſuis haerentem ſolvendum, *ſanguis hirci ſylveſtris*, *ſaliaque volatilia*; denique ad foras extrahendum peccantem humorem emplaſtrum veſicatorium lateri affecto impoſitum, inſigniter proſunt. Et externi quidem hujus remedii commodum, quod a ſagaciſſimo Mayernio primum edoctus fui (*b*), multis jam annis compertum habeo. Sub finem autem morbi, remittente jam inflammatione, alvum laxare oportet.

Illud autem non eſt praetermittendum; fieri nimirum, interdum, ut in hoc morbo, & magis etiam in peripneumonia, inflammata primum, inde & pleurae adhaerente, extima pulmonis membrana, eveniat abſceſſus purulentus, quem *empyema* vocant. Hoc in caſu, ſi foras ſe oſtenderit humor, imponendum eſt medicamentum cauſticum, quo emittatur. Ulcus autem per totam vitam apertum ſervare oportet. Vidi enim cum, eo ſanato, & materiae purulentae effluxu prohibito, brevi moreretur aeger.

SECTIO VIII.

De Febribus intermittentibus.

Febrem intermittentem non ſatis tuto *cortice Peruviano* diſcuti poſſe, niſi primum eliciatur vomitus, & alvi etiam dejectiones cieantur, haud ignotum eſt; at huic remedio lene aliquod catharticum adjungi novum fortaſſe videbitur. Minui enim, quinimo fruſtra eſſe, hujus pharmaci vires vulgo putant medici noſtri; niſi interea, dum id aſſumitur, venter ſit adſtrictus. Longa autem me docuit experientia neceſſe plane eſſe, exiguam portionem *rhabarbari* remedio huic admiſcere, ea ſcilicet ratione, ut alvus bis ſaltem quotidie dejiciat. Neque unquam virtutem illius hoc modo fractam, ſed feliciter potius auctam fuiſſe, animadverti. Licet enim ea, quae valentius irritant, ſanguinem & humores perturbando irrita reddant omnia: moderata tamen purgatione id conſequimur, ut ingeſta quaecumque, ſive medicamenta ſive cibos, facilius concoquant ventriculus; & ex his, quod tenue & corpori eſt utile, in venas emittat.

Conſilium cepi *corticem* hunc febribus accomodatiſſimum ſic exhibendi, poſtquam annis abhinc fere viginti febres intermittentes, quae tunc per populum ſolito ſaevius graſſabantur, in malum corporis habitum, imo & hydropem, frequenter deſinere percipi; cui malo occurri poſſe credebam iſtiuſmodi curatione. Nec me ſpes mea fefellit. Quod ut ſtatim comperi, quotieſcumque humoribus craſſioribus gravatum corpus offenderem, eandem tenui medendi viam. At cautio tamen erat, ne ultra modum purgare pergerem. Idcirco, cum jam drachma una aut altera *rhabarbari* aſſumta fuerit, ab exinanitione deſiſtere ſoleo, & celebris hujus

B 2 anti-

(a) *Pharmacop. Edinburg.*

(b) *De morbis interni Syntagma primum*, *Cap. V. De pleuritide*.

antidoti uſui per ſe inſiſtere. Et praeter memorata jam commoda illud etiam obſervavi, quod depulſo hac medendi ratione morbo, iterati in eundem lapſius minor ſemper eſt metus.

Super inſigni autem hoc medicamento illud porro monendum habeo, quod non aliis, quam intermittentibus febribus congruit. In continuis enim adeo non prodeſt, ut multum obſit; atque in hecticis illis, quae cum exulceratione partium aliquarum internarum ſunt conjunctae, pernicioſum eſt; licet circuitus ſuos hae frequenter habeant, & intermittentis, aut quotidianae, aut tertianae ſpeciem praebeant. Unde fortaſſis conjicere licet, in bilem ſolummodo hoc remedium vires ſuas exercere; hunc enim humorem in intermittentibus maxime peccare mihi minime dubium videtur.

Evenit autem non raro, ut etiam in febre revera intermittente effectum non ſortiatur magnum hoc Dei donum; quod ob malum corporis temperamentum plerumque accidit. Diſpicere igitur oportet, qua in parte ſi vitium; quod in viſceribus, & glandulis abdominis, ut plurimum haerere deprehenditur. Purgationibus, itaque, interdum & vomitionibus, opus eſt; quibus interponenda ſunt ea medicamenta, quae obſtructiones referant, & ventriculi concoctionem juvant; inter quae amara, quae ſimul aromatica ſunt, & e ferro parata, principem locum tenent. Et hanc ſane ob cauſam febres quartanae aliis quibuſcunque intermittentibus curatu ſunt difficiliores: in his enim inertes ſunt, & ultra modum viſcidi, ſanguis & humores omnes; ita ut duplici morbo occurrendum ſit, tum malo corporis temperamento, tum etiam febri. Idcirco, adjunctis *cortici Peruviano radice ſerpentarie Virginianae* & *chalybe*, res plerumque bene agitur. Quamquam nec illud hic obſervare alienum erit, me pluries, *cortice* ipſo votis non reſpondente, pulvere ex *floribus chamaemeli*, *myrrha ſaleque abſinthii*, adjecto paulo *aluminis*, compoſito febres intermittentes depuliſſe.

Plus autem periculi habet illud febris intermittentis genus, quam ἡμιτριταῖον, hoc eſt *ſemitertianam*, Graeci appellarunt. Haec tertio quidem die revertitur, atque ex octo & quadraginta horis ſex & triginta fere per acceſſionem occupat; interdum vero plus vel minus, neque ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum fit levior. Hinc recte Galenus ex quotidiana continua & tertiana intermittente illam confuſam eſſe dixit (*a*).

Propriam igitur animadverſione deſiderat hic morbus; qui quidem ex inflammatione partium internarum, quae adjunctam habet obſtructionem ab humoribus bilioſis, & lympha nimium tenaci, exoriri videtur. Mittendus ergo erit ſemel aut iterum, pro ratione virium, ſanguis. Alvus etiam per vices laxari debet, medicamentis vero leniſſimis, qualia ſunt *ſal dureticus*, *manna*, *ſale cathartico Glauberi* addito, & conſimilia. Neque *corticis Peruviani* uſum feſtinare oportet; metus enim eſt, ne viſcerum meatibus magis adhuc ab illo oppilatis, augeatur inflammatio, aut febris hectica ſuccedat. Longe tutius erit potiones primum ex *ſucco limoniorum* commixto *ſale abſinthii*, adjecta etiam *aqua cennamomi ſimplici*, frequenter hauriendas aegroto praebere.

SECTIO IX.

De Febribus vulgaribus, ſive publice graſſantibus.

FEbres vulgares ex vitio aeris nobis circumflui oriuntur. Id autem a coeli temperamentis, calore, frigore, ſiccitate, & humiditate maxime fit, ubi nimirum horum quodvis aut exſuperat, aut intempeſtive alterum ab altero excipitur.

In Graecia & Aſia tota, ubi ſibi aequalia ut plurimum ſunt anni tempora, & venti a diverſis plagis ſtatis fere menſibus ſpirant, viris ſapientibus promptum erat tempeſtatum varietates, commodaque & incommoda, quae ſecum ferebant, obſervare. Atque haec obſervatio artem morbos praeſagiendi uſu diuturno fecit; in qua medicinae parens, Hippocrates; primus excelluit.

In noſtris autem regionibus tanta eſt coeli inconſtantia, & tot cauſae ventos, incertis vicibus ſecum pugnantes, concitant, ut nulla de his certa ratio iniri poſſit. Idcirco

(a) *De different. febr. Lib. II. cap. 7.*

circo Syndenhamus noſter, qui Hippocraticae doctrinae aemulus febres anniverſarias, harumque pro variis tempeſtatum generibus diverſas ſpecies deſcribere aggreſſus eſt, didicit tandem. „ Se nihil promoviſſe in „ cauſis morborum epidemicorum expiſcan- „ dis manifeſtas aeris qualitates notando: „ quippe qui animadverterit annos, quoad „ manifeſtam aeris temperiem ſibi plane „ conſentientes, diſpari admodum morbo- „ rum agmine infeſtari; & vice verſa: „ item varias eſſe annorum conſtitutiones, „ quae neque calori, neque frigori, non „ ſicco humidove, ortum ſuum debent; „ ſed ab occulta potius & inexplicabili qua- „ dam alteratione in ipſis terrae viſceribus „ pendent (*a*).

Res haec, meo ſaltem judicio, ita ſe habet: multum valere in morbis vulgaribus gignendis manifeſtas aeris qualitates extra dubium eſt, quibus & aliae accedunt cauſae, quae vim illarum multis modis, nunc augendo, mmutant. Hae ex terra in primis oriuntur, ubi nimirum, ut ſapienter dixit Lucretius.

Putrorem humida nacta eſt,
Intempeſtivis pluviiſque & ſolibus icta (*b*).

Ut terreſtris autem ille putror plurimum naſcitur ex corruptis varii generis herbis, interdem etiam ex animalium cadaveribus, atque mineralibus, ita aquae, ſtagna praeſertim & paludes, quae ſuas herbas, ſuaque animalia alunt, eodem modo peſtiferos ſaepe exhalant ſpiritus, circumfuſi aeris inquinamenta. In hunc cenſum denique veniunt, rarius tamen in noſtris plagis, maris fluminumque inundationes, terrae motus, montium eruptiones, & quaecumque aliae inſignes rerum naturalium mutationes, aether, quem ſpiramus, corpuſculis vitae noſtrae minus idoneis replere poſſunt. Haec enim corpora noſtra afficiunt, & morbis opportuna reddunt.

SECTIO X.

De Febribus lentis, ſive Hecticis.

Tot habent cauſas, eaſque multum diverſas; febrae lentae, quae *hecticae* vulgo dicuntur; ut non idem morbus, ſed alius atque alius eſſe videantur. Omnium autem pernicioſiſſimae ſunt, qnae ex partis alicujus in corpore praecipuae, pulmonis in primis, exulceratione originem trahunt, materia nempe purulenta ſanguini commiſta, quae motum ejus inordinate turbat.

Id autem animadvertendum eſt; illos maxime his pulmonis exulcerationibus obnoxios eſſe, quos pueros aut juvenes ſtrumae vexaverant. Quocirca memini olim experientiſſimum medicum Radclivium, dicere ſolitum, phthiſes in noſtris & frigidioribus regionibus eſſe plerumque ſtrumoſas. Saepiſſime itaque videmus in tabidis, poſt mortem inciſis, pulmonem tuberculis ſeu glandulis induratis obſitum, quae ſuppurentia pus exſpuerant.

Varios hujus morbi gradus, eorumque invicem ſucceſſiones, accurate deſcripſerunt medici; nonnullas tamen ex primis illius cauſis ſuas habere periodos haud ſatis animadverterunt. Hiſce autem circuitibus, quantum id fieri poſſit, occurrere quam maxime proderit. Ita non paucos certis temporibus, aut ſanguinis ſputo, aut pituitatae tenuis in pectus fluxione, interdum & bilis flavae rejectione tentari videmus. His omnibus nobile illud antidotum, *cortex Peruvianus*, adjunctis illis, quae pulmoni conveniunt, opitulabitur; ante tempus nimirum datus, quo malum recurrere ſolet: quod & in aliis pariter haemorrhagiis obtinet. Hoc vero medicamentum, cum jam exulceratus eſt pulmo, plurimum nocet; uti mox dicetur.

In pulmonis autem ulceribus *lactis* uſum in primis commendant medici, ut duplici commodo in medicinam pariter ac nutrimentum cedat. Cautione tamen hic opus eſt, quorum nonnulli natura lac averſantur. Quinetiam in capitis doloribus, ac febribus acutis, factaque hinc nimia ſiti; item ſi praecordia tumeant, ſeu bilioſae ſint alvi dejectiones, aut multum ſanguinis cum iis fluxerit; pro veneno lac ſemper reputari debet (*c*). *Aſininum* autem apud nos maxime eligitur, quod aliis licet minus nutriat, magis tamen calorem temperat, & deterget.

(a) *De morbis epidem. Cap. II.*
(b) *Lib. VI. v.* 1099.
(c) *Hippocrat. Aphor. Sect.* V. 64.

get. Sed ubi illud non in promptu eſt, *ſerum lactis vaccini*, vel etiam *caprini*, praeſertim ſi herbis ſuave olentibus paſtae fuerint caprae, in ejus locum commode ſubſtitui poteſt; ipſum vero *lac vaccinum*, quantumvis *decocto hordei*, ut moris eſt, diluatur, ſaepiſſime non convenit. Neque alienum erit *ſerum* illud, infuſis herbis quibuſdam, quae ſtomacho gratae ſint, & flatus diſcutiant, morbo accomodatius parare. At infeliciter interdum evenit, ut, cum lactis uſum maxime deſiderat corpus, tanta ſit inteſtinorum laevitas, ut illud ferre non poſſit. Cum in tali igitur loco res ſit, illud hoc modo componendum eſt: *Flores roſarum rubrarum ſiccatarum*, *balauſtia*, *cortex malorum granatorum*, *cinnamomum*, ſingulorum drachma una, coquuntur in *lactis vaccini* libra una. Cum ebullire incipit, *frigida aqua* affunditur parva portione, ut reſtinguatur & ſubſidat; ſinitur iterum ebullire, & eodem modo reſtinguitur: idque toties faciendum eſt, donec libra una abſumpta, lactis ſimul & aquae quod reſtat, librae unius menſuram adaequet. Tum colandus eſt liquor, quem totum, commiſto *ſaccharo*, partitis, uti commodum erit, hauſtibus, aegrotus ebibet quotidie. Hac via nutritur ſimul corpus, & venter comprimitur: nec quicquam obſtat aliorum ciborum, vel medicamentorum, uſui hujuſmodi diaeta.

Momenti autem longe maximi eſt, ut incipienti diro huic morbo occurratur; cumque ab inflammatione oriatur, miſſio ſanguinis in primis neceſſaria eſt, non ſemel tantum, ſed vicibus iteratis. Is, ſi craſſus & niger, aut glutinoſus profluxerit, vitioſus dicitur, & utiliter effundi putatur; contra vero, ſi ruber ſit & pelluceat, integer habetur, neque ultra detrahitur. At facilis eſt hac in re in errorem lapſus. Non raro enim, cum ſanguis maxime effervеſcit, miſſus e vena ſummo cum rubore craſſus & glutinoſus eſt; in quo ſtatu eo uſque emitti debet, dum minus ruber minuſque glutinoſus evaſarit, quod ſine periculo fiat. Conſilium autem temerarium fortaſſe videbitur, marceſcente jam corpore, & fractis viribus, hoc auxilii genus tentare. At praeſtat certe anceps remedium experiri, quam nullum; & cum emolumento minuuntur vires, ubi ſuccurritur in vitio, quod robur corporis aſſidue plus labefactabit. Idcirco ſi, exulcerato pulmone vehemens febris urgeat, detractio, quantam ſuſtinere poteſt aeger, juvabit; diviſa nimirum in ea temporis ſpatia, quae ad corpus alendum neceſſaria ſunt, iſta medicina. Novi ſane, rebus nondum plane deſperatis, bene ceſſiſſe hanc medendi rationem; ſin ſecus acciderit, eum medicus occidiſſe minime cenſeri debet, qui, corruptis jam viſceribus, nequaquam ſervari potuit.

Finem his imponam, poſtquam monuerim in caſibus nonnullis utiliſſimum eſſe balſamicis, qualia ſunt *thus*, *ſtyrax*, *ſuccinum*, *benzoinum*, humores acres & ſalſos delenire ac temperare; quae in prunas injecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in aſperam arteriam & pulmonem recipiatur (*a*). Scio vix in uſu eſſe hanc medicinam, & tanquam inutilem a pleriſque negligi. Quiſquis autem ſecum reputaverit, quam longo itinere, per canales ſcilicet ſanguinis, res hujuſmodi ad pulmonem ferantur, & quam exigua illarum pars ad locum deſtinatum perveniat; is ſane facile videbit, ſi qua in illis ſit virtus, hac potiſſimum via impertiri poſſe.

Ob eandem quoque rationem novi fumum ex *balſamo Tolutano*, more *tabaci*, per tubum commodum in pulmones inſpiratum uſus fuiſſe eximii, praecipue in ſanguinis ſputo.

Exiguis autem his ſuppurationibus ſubjungendus videtur largior, qui hoc in viſcera quandoque fit, abſceſſus, quae *vomica* nuncupatur. Is morbus, etſi gravis ſit, & in tabem ſaepe deſinat, haud tantum periculi affert, quam minores illae exulcerationes. Vidi enim, cum materiae purulentae uſque adeo graveolentis & foetidae, ut adſtantes cubiculum ferre non poſſent, libra una aut altera admiſto ſanguine, tuſſi rejiceretur; & tamen lactae diaetae & balſamicorum uſu, interpoſitis pro re nata anodynis, in integram ſanitatem aeger reſtitutus eſt.

Haec de *phthiſi* dicta ſunto.

Duae autem ſunt aliae *tabis* ſpecies, quae diverſis modis hominem conſumunt. In una corpus non alitur, & naturaliter ſemper ali-

(a) *Vid. Chriſtophori Benetti Theatrum tabidorum ſup fin. Londini* 1656.

aliquibus decedentibus, nulliſque in locum eorum ſubeuntibus, ſumma macies oritur, quam *atrophiam* nominant. Haec liquoris, qui in nervis eſt, vitio ſaepiſſime debetur; & *cachexiam*, quae eſt altera ſpecies, conjunctam habet, aut gradatim infert. In utraque propter malum corporis habitum alimenta corrumpuntur, & partes refectionem non accipiunt; ideoque vitae genus recte ordinatum, & medicamenta ex *chalybe*, quae ſtomacum confirment, laxata ſubinde alvo, apprime ſunt neceſſaria.

In omni denique tabe exercitationibus, & fricationibus, pro virium ratione conſtanter uti oportet; coeli mutatio plerumque convenit: quin & interdum longa navigatio. Ex noſtra regione, male affecto pulmone, aptiſſime Ulyſſiponem aut amoeniſſimam Neapolim itur. Equo autem vehi, dum imbecillitas id non prohibet, vel ſaltem curru, lectica, aut alio modo corpus movere, nunquam non expedit.

CAPUT II.

DE MORBIS CAPITIS.

SECTIO I.

Apoplexia.

Congeneres ſunt plerique capitis morbi, & a repletione ut plurimum ortum trahunt, quorum praecipuus eſt apoplexia. Haec a ſanguine nimis viſcido, per arterias capitis tardius fluente, & fere ſtagnante, interdum oritur; qui perpetuo vi cordis propulſus, exiles ſuos canales diſrumpit, & in cerebrum effuſus, nervorumque motibus corporis inſervientium tubulos comprimens, humoris ſui in eos illapſum prohibet. Saepius autem illam progignit, ſine inſigni canalium diruptione; liquor aquoſus & rubicundus ex ſanguine profuſus; aut etiam glandularum circumjacentium exſudans ſuccus, qui tum cerebri membranas obruit, tum ventriculos ejus opplet, & ſpirituum animalium iter intercludit. Illam *ſanguineam*, hanc *pituitoſam*, appellare licebit. Priorem autem *fortem* vocavit Hippocrates, atque inſanabilem eſſe dixit; alteram *levem*, curatu tamen difficilem eſſe monuit. (*a*) Utriuſque generis caſuum quam plurimae narrationes ex libro doctiſſimi Wepferi, medici Scafhuſani, peti poſſunt (*b*). Rationes vero omnium, quae in hoc & conſimilibus morbis contingunt, dilucide expoſuit magnus ille rationalis medicinae auctor, Laurentius Belli (*c*).

De cauſis externis, quales ſunt ictus, lapſus ab alto, & hinc fractum calvariæ os, nihil hic dicam; quoniam illæ, niſi quatenus chirurgi manum requirunt, iiſdem remediis curantur.

Sanguinea autem detractiones ſanguinis, tam e brachio, quam ex venis jugularibus, larga copia, ſaepiuſque repetitas; pituitoſa purgationes per alvum magis deſiderat. Permagnum quoque auxilium eſt in venarum occipitalium inciſione, quam propoſuit vir cum arte anatomica tum doctrina medica inſignis, Jo. Bapt. Morgagnius (*d*); quam & ipſe quidem in maxime periclitantibus magnopere juvaſſe non ſemel expertus ſum. Etenim cum venae iſtae intra cranium cum laterali utroque ſinu communicent; illis inciſis, pars ſanguinis, quem in hos convecturae erant, avertitur, & reliqua copia nonnihil minuitur, motuſque per eoſdem facilius peragitur. Idcirco cucurbitulae ſub ipſo occipitio, & ad latera colli admotae, cute ſcalpello profundis ſatis vulnuſculis conciſa, quo ſanguis ubertim effluat, nunquam non ex uſu ſunt.

Neque alia ratione juvat, ſi quid juvare poterit, a nonnullis laudata, arteriarum in temporibus inciſio; per hanc enim copia ſanguinis in cranium derivandi minuitur. Et Galenus quidem tuto ſatis, & ſine magno incommodo, arteriam etiam in ipſo bra-

(a) *Aphor. Sect. II. Aphor.* 42.

(b) Vid. *ipſius obſervationes anatomicas ex cadaveribus eorum, quos ſuſtulit apoplexia. Amſtel.* 1731.

(c) *In libro de morbis capitis.*

(d) *Adverſar. anatom.* 6. *animad,* 73. & 74.

brachio inciſam ſe vidiſſe teſtatur (*a*). At tantilla ſane eſt portio, quae hac via demitur, ut magnum aliquod commodum inde ſperari nequeat. Satius itaque fuerit, ut in *cephalaea* praecipit Aretaeus, *geminas pone aures arterias ſecare* (*b*); ex his enim major, quam ex eis in temporibus, profluet ſanguinis in caput ruentis copia.

Veſicatoria etiam capiti, & membris omnibus, imponi debent. Cathartica vero, tam quæ per os aſſumi, quam per alvum infundi ſolent (his enim ſemper opus eſt) acria, magnaque vi ſtimulandi ac pungendi inteſtina praedita, eſſe oportet; ſenſus enim fibrarum in nervis fere deperditur.

Lethargus & *Carus* ſunt levioris apoplexiae ſpecies.

SECTIO II.

Paralyſis.

DEfinit ut plurimum, niſi mors intercedat, apoplexia in nervorum reſolutionem, quae morbi eſt ſolutio. Haec autem plerumque alterum tantum corporis latus occupat. Quod vero obſervavit idem ille Morgagnius, *in oppoſita ſemper cerebri parte ſe ſectis apoplecticorum cadaveribus, perſpexiſſe morbi cauſam*; id ipſe memini me olim in noſocomio non ſemel comperiſſe.

Nullus jam ſanguinis miſſionibus locus eſt, nec catharticis vehementioribus; calidis & modice moventibus, quale eſt *tinctura ſacra*, alvum interdum laxare ſatis erit. Cumque morbus jam longus ſit, pro veſicatoriis, in locis idoneis, praeſertim ſub occipitio, & ſupra ſcapulas, vel ferramentis candentibus, vel medicamentis cauſticis, ulcera, quæ *fonticulos* vocant, excitare oportet. Hippocrates inuſtiones minimum octo fieri praecepit, aſſignatis ſingulis loculis (*c*).

Remediis aromaticis, quae fibras roborent, adjuncto *chalybe*, res praecipue agenda eſt. Quinetiam prodeſt torpentis aut reſoluti membri ſummam cutem exaſperare. Id optime praeſtat *unguentum viride*, cui adjectus fuerit *ſpiritus vitrioli fortis* ea proportione, ut ſeptima vel octava ſpiritus pars ſit, quod, ubi corpus rubere coeperit, removendum eſt, ejuſque loco *unguentum ſambucinum* illinendum. Multum juvat in aetate non nimis profectis frigida lavatio, calidae vero immerſiones omnibus paralyticis nocent. Et ipſe quidem novi nonnullos, qui, cum vana medicorum ſpe deluſi ad thermas noſtras Bathonienſes profecti eſſent, ex aqua calida egreſſi, mox iterum apoplexia correpti ſunt, ac perierunt.

Oblata igitur hac occaſione, ſuper hiſce aquis quaedam mihi comperta in medium proferam. Virtus illarum praecipua in minerali quodam calore, quo ventriculum & inteſtina fovent, mihi conſiſtere videtur; idcirco his maxime opitulantur qui vino, aut id genus liquoribus, cum appetitum ad cibos, tum facultatem illos concoquendi perdiderunt, unde quam plurima provenire mala novimus. Alieniſſimae autem ſunt omnibus, quibus partes internae, cerebrum, pulmo, jecur, aut renes, ultra modum incaleſcunt. Et ob eandem cauſam, tametſi hae vi ſua jucunda ſtomacho laboranti opem praebeant: ſaepius tamen, ſi diu in illarum uſu perſiſtatur, huic ipſi viſceri damnum afferunt; calore illo, qui primum profuit, immodica perſeverantia, ob nimiam fibrarum reſolutionem, in detrimentum cedente. Id quod non raro vidi iis praeſertim contingere, qui morbis conflictabantur a vitio fluidi, quod nervos irrigat, originem trahentibus.

Morbus hic nunquam acutus, ſaepe longus, in ſenibus fere inſanabilis eſt. Miſeram autem vitam plerumque trahit, qui illo afficitur: vis enim animi cum memoria deperditur; & luctuoſum ſpectaculum, non jam homo, ſed animal ſemimortuum, contremit & vacillat.

Chorea Sancti Viti.

Morbum hunc, facie pariter ac nomine ridiculum, paralyticam affectionem eſſe, & frequenti lavatione frigida, medicamentique ex *chalybe* paratis, diſpelli jam olim monui (*d*).

SE-

(a) *Method. Medend. Lib. V. cap.* 7.
(b) *De morb. diuturn. curat. Lib.* 1. *cap.* 2.
(c) *De morbis, Lib.* II. *ſect.* 12.
(d) *De imperio ſolis ac lunae, edit. alter. p.* 86.

SECTIO III.

Epilepſia & Vertigo.

De utroque hoc morbo legi velim ea, quae in alio libro tam ad recurſus, quam ad remedia, ſpectantia fuſius propoſui (*a*).

Monitum autem unum & alterum ibi dictis hic adjungere libet. Prius eſt, ſaepiſſime ventriculi magis, quam capitis, morbum eſſe vertiginem; aut ſaltem utramque partem ſimul laborare, gravato nempe bilioſa & viſcida colluvie inteſtino. Ubi id contingit, fruſtra ſunt remedia quaecunque, niſi prius vi *ipecacoanhae*, aut alio quodam vomitiones proritante medicamento, onere ſuo levatum fuerit viſcus. Poſtea vero appetitum ſimul & ciborum concoctionem optime juvabit *elixir vitrioli Mynſichti*, ex aqua fontana, hora una vel altera ante & poſt prandium, aſſumptum.

Alterum, quod addi velim, hoc eſt, *corticem* ſcilicet *Peruvianum*, conjuncto remedio morbo accomodato, ſaepe multum prodeſſe, in primis ſi hoc modo aſſumatur: ℞. *corticis Peruvian. unc. j. rad. Valerian. ſylv. pulv. dr. jj. ſyr. e cort. aurant.* q. ſ. f. electuarium. Hujus praemiſſis debitis exinanitionibus, devoret aeger bolum pondo *dr. j.* mane & veſperi, tribus menſibus continuis; deinde repetat triduo, vel quatriduo, ante novam pleramque lunam.

Tetanus.

Rarus iſte effectus eſt, muſculorum ſcilicet univerſi corporis, praeter naturam facta, validiſſima convulſio. Iis igitur cedit remediis, quae in epilepſia proficiunt.

CAPUT III.

DE INSANIA.

Nullus morbus inſania magis pertimeſcendus eſt. Quid enim miſerius, quam hominem ratione & intelligentia privari; in alios more ferarum ſaevire; compedibus, vinculis, & plagis, ne vel ſibi vel alteri noceat, coerceri: aut, mutata rerum facie, demiſſo animo moeſtum eſſe; vanis imaginibus aſſidue terreri; ſpectra ſibi adſtantia fingere; & peracta continuis anxietatibus hac vita poenas aeternas (quod interdum fit) poſt mortem ſecuturas horrere? Quibus omnibus illud accedit miſerandum, quod difficillime curationem accipiat haec calamitas. Caeterum quo dilucidius intelligantur ea, quae de hoc morbo experientia doctus exponenda habeo, pauca quaedam de illius natura praefari libet.

Frequentiſſima hujus mali cauſa eſt nimia animi intentio; diuque una aliqua in re, etiam cum jucunda ſit, defixa cogitatio. Haec enim, cum ſola eſt, mentem perturbare poteſt, ut in literarum ſtudioſis videmus; ubi vero animi motus acceſſerint, ut ſpes, metus, ira & alii id genus affectus, gravior multo fit morbus: & pro cauſae natura, maxime vero prout ingenium ejus, qui laborat, ad has aut illas affectiones proclivius erit, dementia vel cum furore, hominem occupat. Attamen nihil ita mentem pervertit, ut amor & religio. In amore inſunt ſpes, timor, ſuſpiciones, & interdum ab his ira ac odium. Religio vanis anxietatibus & ſuppliciorum perferendorum terroribus plus aequo perceptis interdum animum implet ac diſtrahit. Hinc evenit, ut amantes magis cum furore, religioſi cum moerore, inſaniant.

At commutantur tamen, & varie commiſcentur, hae affectiones.

Maxime autem inſanit homo, ubi contrariis motionibus mens ſimul agitatur, ut cum ira & metus eodem tempore occupant, aut gaudio & triſtitia perturbatur animus; diverſe enim trahitur iſto modo affectus, & miſere laceratus ſe dedit.

Scimus id omnes, ita comparatam eſſe fabricam noſtram, ut, quaecunque rerum ſpecies, quae prodeſſe aut nocere nobis poſſint, menti ſe offerunt, ſubitas affectiones, iiſque motiones corpore conſentaneas, neceſſario concitent. Ita laetitia, moeror, ſpes, metus, cupiditas, ira, etiam nobis invitis, ſanguinem & humores agitando corpus commutant & impellunt. Eodem redit, verae an fictae ſint iſtae imagines, modo mens in eas intenta & infixa, iiſdem diu fuerit addi-

(a) *Ibid. pag.* 34. *& ſeqq.* 81. *& ſeqq.*

ſta, quin & fortius percellere & irritare animum imaginaria, quam vera mala, ſaepiſſime comperimus. Ita quam falſo ſibi inſtantem quis fingit, illa, quae revera affligit, adeo intolerabilior eſt paupertas, ut non raro ad mortem ſibi nefarie conſciſcendam meticuloſos adducat. Uſque adeo miſeriis patet noſtra omnis vita.

Inſtrumentum harum omnium motionum tam mentis, quam corporis, eſt fluidum illud ſubtiliſſimum nervis infuſum, quod *ſpiritus animales* vulgo appellant. De hujus autem natura nos jam olim conjecturam fecimus (a), oſtendimuſque ipſum interdum mutationes ſuas ſubire; cujus quidem rei documentum inſigne dat hic, de quo nunc agitur, morbus.

Inſaniae duo genera deſcribunt auctores, quorum utrumque eſt conſtans error mentis ſine magna febre, alterum cum furore, & audacia, alterum cum triſtitia & metu; quorum illud *maniam*, hoc *melancholiam* appellant. Haec autem gradu tantum, ut plurimum, differunt. Melancholia enim nunc citius, nunc tardius, in maniam ſaepiſſime tranſit; & remittente furore, gravior fere redit triſtitia: hinc furibundi omnes ſunt timidi & puſillanimes. Id quod in curationibus obſervaſſe permagni uſus eſt. Ipſos autem ſpiritus animales diverſas, & a natura ſua alienas proprietates in omni dementia, ut dixi, acquirere facile demonſtratur. Attamen illud maxime mirandum eſt in hac aegritudine, qnod non tantum ea laborantes aliis morbis immunes ſaepe conſervat, ſed & ubi quemquam occupat illis implicitum, ita quaſi totum hominem ſibi aſſumit & vindicat, ut eos non raro depellat ac profliget. Neque id in levibus ſolum valetudinibus contingit; ſed etiam in gravioribus, & quae magnum alias periculum afferre poſſent! ut dicere hic liceat.

Aliquiſque malo fuit uſus in illo.

Duo, quae hanc rem confirmant, inſignia exempla me vidiſſe memini. Virginem curabam annos natam circiter viginti, mente ſatis alacrem, corpore nimis imbecillam, quae ex malo habitu diu protracto in hydropem abdominis inciderat, marceſcentibus interim membris. Cum remediis quibuſcunque fruſtra tentatis, ſpes nulla ſalutis affulgeret; ſupervenit repente, neſcio qua de cauſa, inſania cum maximis anxietatibus & vaniſſimis animi terroribus, ſe enim in judicium vocandam eſſe ob crimen laeſae majeſtatis, & capite plectendam imaginabatur. Interea corpus vires acquirere, & ventris tumor ſubſidere cernebatur; ita ut brevi valentiorem medicinam, utrique morbo convenientem, ferre poſſe videretur. Idcirco vomitu, purgatione per alvum, & medicamentis, tum quae urinam cient, tum quae ſtomachum juvant, ita res agebatur, ut poſt aliquot menſes mens ſana ſano cum corpore rediret.

Alter, quem dixi, morbus, a priore quodam modo diverſus, virginem etiam afflixit; quae annum agens viceſimum & octavum, ſputo ſanguinis, ex pulmone cum tuſſi perpetuo fere prorumpentis, vexabatur, itaque miſſus eſt e brachio copia ſatis larga ſanguis, altero quoque die, ad quinque aut ſex vices. Minuebatur hinc, non tamen ceſſabat malum; & tranſactis duobus menſibus, ſupervenit febris hectica, ſiti, calore, & nocturnis ſudoribus comitata; cum ſumma macie, viſcidaeque ac tenacis materiae frequenti excreatione, quae ex faucium & pulmonis glandulis ferebatur, intermixtis hic illic puris flavi portiunculis. Inſtabat jam vera phthiſis, & mors prae foribus adeſſe videbatur. Aegra igitur de animae ſalute ſolicita eſſe coepit. Praeſto erant ſacerdotes, qui cum viam ad coelum munire deberent, aſperam contra & difficilem illam exagerabant, cum precibus, jejuniis, animique angoribus calcandam. Miſellam, ſacris terroribus victam, brevi invaſit religioſa dementia; nocte dieque oculis obſervabantur daemonum ſpecies, flammae ſulphureae, & poenarum apud inferos aeternarum horrendae imagines. Ab hoc autem tempore evaneſcere in dies coeperunt, quae morbus antecedens ſecum attulerat, incommoda; decreſcere calor febrilis, ſputum ſiſti, minui ſudores, & habitus totus ita in meliorem verti, ut, quo minus mens corpori regendo par erat, eo magis vires officiis vitae ſufficere viderentur. At paucos poſt dies prorſus melancholica evaſit. Morbus igitur exina-

(a) Vid. *Intr. ad Tentam. de Venenis.*

nanitionibus, prout vires ferre poterant, & idoneis remediis ita oppugnabatur, ut ſanitatis integrae ſpes aliqua oſtenderetur. At, proh dolor! poſtquam tres menſes fere ſunt elapſi, febre hectica cum pulmonis exulceratione reverſa, tabe confecta periit meliori fato, ut viſa eſt, digna puella.

Totus ergo in vi imaginandi conſiſtit hic morbus. Laetificae enim aut horrificae ſpecies menti repraeſentantur, quas more naturae conſueto motiones corporis, quae cum illis conveniunt & quaſi cohaerent, neceſſitate quadam conſequuntur. Hinc bruta etiam animantia interdum inſaniunt.

Permagnam ſane eſſe hujus facultatis potentiam quotidie experimur. Quid enim mirabilius, quam hominem in canem aut lupum converti, firmis adhuc viribus mortuum & cum mortuis verſari, caput vitreum aut fictile gerere, ſe exiſtimare? Haec tamen, & ſexcenta ſimilia, interdum evenire cernimus. Illud autem magis adhuc mirum, & pene incredibile, quod gravidis ſaepe contingit. Notum eſt enim illas, cum forte malacia tentantur, non raro fructus aut cibi alicujus, quem fruſtra appetiverant, notis corpus foetus, quem in utero geſtant, deformare, per omnem vitam aliquando duraturis. Mirifica quidem haec ſunt; at prodigii prorſus ſimile eſt, quod ex narratione viri in mentis humanae facultatibus inveſtigandis perſpicaciſſimi, Malebranchii, adjungam. Erat in noſocomio Pariſienſi incurabilium dicto juvenis ab infantia mentis inops, cujus brachia & crura iis in locis diſrupta videbantur, quibus in illa regione morte damnatis membra iſta ferreo vecte contundere mos eſt. Miſellus iſte per annos viginti vitam protraxit, concurrentibus ad eum viſendum philoſophis & medicis, qui manibus ſuis oſſium, quae dehiſcebant, cava & hiatus contrectabant. Non diu autem latuit infelicis hujus eventus cauſa; mox enim compertum fuit matrem, dum puerum illum in utero ferret, terribili ſpectaculo interfuiſſe, cum ſons quidam eo, quod dixi, mortis genere plecteretur. Perterrefactam fuiſſe, facile eſt credere; quibus autem modis vis ipſius imaginandi damnum tale foetui impertire poſſet, ſcire difficile. Ingenioſe, ut ſolet, conjecturas ſuas ſuper hac re perſequitur Malebranchius. Senſum quendam internum eſſe dicit imaginandi facultatem, quae omnis ſpirituum animalium ope peragitur; foetum vero corporis materni partem cenſeri debere, ita ut, quicquid patitur pars aliqua matris, idem occulta quadam communicatione in partem foetus congruentem tranſeat. Perculſa itaque horrendo viſo praegnans dolorem, fortaſſis & fibrarum diſtractionem, iiſdem in membris pertulit, quae fracta ſpectavit in ſonte; firmiora vero ipſius oſſa reſiſtere poterant illi injuriae, cum eadem in tenerrimo infante vix dum formata facile diſrumpebantur, nunquam denuo conjungenda. Attamen ſive hac, ſive alia quacunque via, res acciderit, imaginandi virtutem mirifice corpus afficere luculenter demonſtrat.

Haud immerito quoque in mirum videatur, quod immodicum gaudium nimis diu protractum, pariter cum anxietate & moerore, mentem pervertat. Hoc, ut videtur, eam ob cauſam fit, quod jucundae imagines, quae menti perpetim obverſantur, ad alias res eam attendere non ſinunt; unde cum mille modis a ſpeciebus, quae neceſſario aſſidue occurrunt, interpelletur & avocetur, turbae oriuntur, quae animum tranſverſum agunt & peſſundant. His accedit ſollicitudo & metus, ne felicem hunc rerum ſtatum improviſa aliqua fortunae adverſae clades avertat. Audivi olim Haleum, in noſocomio mente captorum Londinenſi medicum experientiſſimum, haud ſemel dicentem: anno MDCCXX civium noſtrorum fortunis adeo infauſto (quo ſocietas ad commercium per Mare Auſtrale promovendum inſtituta artibus doloſis ad lucrum faciendum viam invenit) ſe multo plures curae ſuae commiſſos tractaſſe, quos ad immenſas opes evexerat fortunae favor, quam quos iniqua ſors ad miſeriam & pauperiem redegerat. Uſque adeo mentem corrumpit inſatiabilis avaritia, & auri ſacra fames!

Iſtud autem eſt adhuc mirabilius, quod inſani, in primis melancholici, magnopere interdum ſibi in animum inducunt, ut ea faciant, quae maximum dolorem (quo nihil naturae noſtrae magis inimicum eſt) corpori adferunt. Cibos fame fere enecti, perinde ac ſi venenum offerretur, averſantur; diſtentam etiam veſicam exonerare nolunt, ſummo cum cruciatu per integrum diem, vel diutius, urinam ſupprimentes. Iſtiuſmo-

di in caſibus mens a ſenſibus quodammodo avocari videtur, dum interim non poteſt non ſentiri dolor; miſer autem animum ad ea attendere, quae intus in corpore geruntur, obſtinate tenuit. Et veriſimiles eſt vanas quaſdam imagines illum accepiſſe, quae dolorem, quo cruciatur, perferre cogant: quales ſunt, niſi id faciat, ſe graviora paſſurum; hunc vero juſſu divino in poenam peccatorum ſibi immitti, aut doemonis potentia, aut venefico quodam effici; & id genus innumerae. Nihil enim eſt tam incredibiliter ineptum, atque a ratione alienum, quin in laeſam imaginationem cadere poſſit.

Verumtamen, ut ad curam tanti hujuſce mali tandem deveniam, illud ante omnia medicum conſiderare oportet, quas exinanitiones ferre poſſit aeger: ſiquidem omnibus fere modis demenda eſt materia, modo vires id ſinant; ſin illae ſint imbecilles, cibis idonei & medicamentis primum confirmandae erunt, uſque dum pati medicinam tuto poſſint. Nam haud raro evenit, ut, nimium exhauſtis humoribus, furori ſuccedat inſanabilis animi dejecto & melancholia, qua oppreſſus aeger in perpetuis anxietatibus & moeſtitia vitam tranſigit, heu! nimis ut plurimum longam. Diutiſſime enim magna ex parte vivunt inſani. Modi autem praecipui, qui demendae hujus morbi materiae conveniunt, ſunt ſanguinis miſſio, vomitus, alvi purgationes, & urinae fluxus. De hiſce igitur ſingulis aliquid proponam.

Sanguis commodiſſime detrahitur aut ex brachio aut ex vena jugulari, interdum etiam per cucurbiculas occipitio inciſo admotas, nimirum ſiquando capitis dolor urgeat, aut ultra exhauriri per venas ſanguinem vires minime patiantur.

Vomitus optime excitatur *vino ipecacoanhae* in infirmioribus; in robuſtioribus vero *tinctura veratri*, aut *vino antimoniali*.

Alvi dejectiones moliri commodiſſimum eſt *helleboro nigro*; aut *infuſo ſenae*, adjuncta *tinctura jalapii*: aut denique *aloae*, ſi forte menſium in foeminis, vel haemorrhoidum in viris, ſuppreſſio ſanguinis per naturales haſce vias profuſionem deſideret. Has vero omnes exinanitiones, tum quae per vomitum, tum quae per dejectiones fiunt, aegrum, frequenter repetere oportet. Ita ut per vices aliae aliis interponantur. Neque illud addere alienum eſt, valentiora plerumque medicamenta requirere hunc morbum, cum nervi haud facile hic irritentur.

Majoris autem momenti eſt, quam vulgo exiſtimatur, per renes depletio, praeſertim cum furor conjunctum habet febrilem ardorem. Melancholicis enim parum prodeſt, quos ut plurimum nimis largum urinae profluvium ſolicitat. Diuretica autem hic aptiſſima ſunt *ſalia ex lixiviis herbarum crematarum* parata, & *ſal diureticus* dictus; quorum alterutrum per vices exhibere licebit, idque portione ſatis larga.

Cum illis, quae morbum minuunt, adnumeranda forſan videbuntur emplaſtra veſicatoria capiti admota; quae tamen nimia irritatione nocere potius, quam juvare, ſaepe deprehendi. Magis conveniet veterum more caput ad cutem tondere, deinde *aceto*, in quo *roſar. flores*, aut *hederae terreſtris folia* infuſa ſint, frequenter fovere & madefacere; item *ſetaceum*, quod barbara voce chirurgi appellant, ſub occipite apponere. illud autem hoc modo efficitur: Funiculus ex filis fat multis ſericeis acus foramini inditur; dein, facta perforatione, ſubter cutem tranſverſus conjicitur, ſic ut ſpatium duorum fere digitorum comprehendat; tum per aliud, cuſpide acus factum, vulnuſculum educitur. Illinendus autem eſt unguento aliquo digeſtivo, & quotidie movendus, quo ex ulcere pus exeat. Nihilominus tamen in longo morbo veſicatoria interdum proficiunt.

Interea dum hiſce modis expelluntur noxii humores, iis etiam remediis pugnandum eſt, quae corpus immutant. Diaeta tenuis eſſe debet, ex juſculis maxime *farinae avenaceae*, aut *hordei*; & cibis ex media materia. Alendum enim corpus eſt, ne vires deficiant, & detractionibus neceſſariis ferendis impares evadant.

Medicamenta plurime apud auctores, cum veteres tum recentiores, commendantur, quorum alia maniacis, alia melancholicis conveniunt: utraque autem eo collineant, ut bilem corrigant; quae acris primum, deinde viſcida, & picis inſtar atra fit. Quin & ſanguinis ipſius habitus in hoc morbo craſſus eſt, & tenax, nigroque colore; unde inciſa cadavera cerebrum ſiccum, & tantum

tum non friabile, ſanguiniſque canales atro ac lento cruore diſtentos oſtendunt. Illud autem animadvertere ex uſu erit, pleraque, quae ad humorum vitium emendandum apta ſunt, medicamina vi aliqua exiliſſimos glandularum meatu aperiendi, & ſubtiliſſimos liquores e corpore propellendi pollere. Hujus generis ſunt gummi graveolentia, in primis *aſa foetida*, *mirrha*, *caſtoreum Ruſſicum*, & *camphora*; quam vi etiam anodyna pollere, & certius tutiuſque, quam ipſum *opium*, ſummum arceſſere, nonnulli auctores experti affirmant. Melancholicis etiam convenientiſſima ſunt quaecunque e *ferro* parata. Plurimum denique juvat, in furoribus praeſertim, aegrum balneo frigido frequenter immergere. *Capiti* enim, ut monet Celſus, *nihil aeque prodeſt*, *atque aqua frigida* (*a*).

Reſtat adhuc, ut quomodo continendi ſunt inſani proponam, quo nihil ad ſanitatem plus confert. Et alia quidem ratione in maniacis, alia in melancholicis, opus eſt. Illorum reprimenda audacia; horum ſpes excitanda eſt, & erigendus animus. Neque tamen illos, qui violentius ſe gerunt, aſperioribus onerare coercitionibus, & verberibus multare, neceſſe eſt, cum ſatis ſit vincire; meticuloſi enim ſunt, ut jam dixi omnes, & cum per tempus aliquod ſuperatos ſe ſenſerint, manus facile dant in poſterum, neque vel ſibi vel aliis vim inferre audent.

Difficilior res eſt cum iis, qui aut cum nimia triſtitia, aut nimia hilaritate deſipiunt; quorum animis pro cujuſque natura medicum ſe accommodare neceſſe eſt. Aliorum igitur riſus intempeſtivus objurgatione & minis prohibendus eſt; aliorum triſtes cogitationes diſcutiendae, ad quod ſyphoniae & ludi, quibus olim delectabantur, multum ſaepe valent. Et muſica quidem quomodo corpus pariter ac animum afficiendo juvet, jam olim explicui (*a*).

Illud autem perpetuo ſervandum eſt, ut imaginibus, quae diu occuparunt, aliae contrariae menti adferantur, quo novis cogitationibus paulatim ſe aſſueſcat. Ut enim in corpore, morbo aut exercitiis fracto, impetranda eſt quies & laboris intermiſſio; ſic animum a vanis, quas accepit, ſpeciebus omnibus modis abduci oportet. Id autem conſequemur, ſi ad ea, quae diverſis motionibus exercent, convertamus. Idcirco in falſis timoribus, qui longum inhaeſerunt, veris periculis terrefacere, & pavorem incutere, nonnunquam prodeſt. Hi autem veri terrores falſorum iſtorum natura diſſimiles eſſe debent, ut mentem diverſo modo exagitent. Mens enim quieſcere neſcit, curis vero & ſolicitudine vacua eſſe poteſt, & mutatio idearum pro oblectamento & ſtudiorum intermiſſione eſt habenda; pariter ac membrorum muſculi, uno aliquo labore fatigati, ad alias actiones converſi refocillantur.

Corporis exercitationes nunquam negligendae ſunt. Ambulare; equo vehi; pila, globis, ludiſve ſimilibus uti; natare; quin & terra marique peregrinari, multum juvat: hiſce enim tum fabricae univerſae robur confirmatur, tum aſſidua rerum objectarum permutatione mens ad ſe rediens ſapere diſcit.

Unicam tantum animadverſionem hactenus dictis adjiciam. Anodyna medicamenta ad ſomnum arceſſendum rariſſime in hoc morbo juvant. Nihilominus autem in caſibus nonnullis; ut in magnis animi terroribus, aut ubi per longam ſolicitudinem, vel triſtitiam, pervigilio fatigatus eſt aeger; illa experiri non alienum eſt. Neque tamen diu in his perſiſtendum; non raro enim, etiam cum ſomnum inducant, expergitur laborans, terrificis imaginibus gravius quam antea tentatus.

Finem dicendi faciam, poſtquam monuero, nullo in morbo majorem de iterato in aegritudinem lapſu eſſe metum: quodcirca, quecunque propoſuimus auxilia; ſive ad medicinam, ſive ad diaetam, & vivendi morem pertinent; ea omnia, etiam cum jam convaluerit aeger, ad ſatis longum tempus per intervalla in uſum revocari debent.

CA-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 6.

(b) *Mechanicæ venenorum expoſitio*, *Tent.* III. Vid. etiam, quae huc facientia dixit *Aretaeus*, *De curat. acutor. L.* 1.

CAPUT IV.

DE ANGINA.

ANginae varias ſpecies diligenter expoſuerunt auctores medici; at tres tament, quae ſunt omnium acutiſſimae & maxime pernicioſae, non ſatis pro morbi natura dilucide explanarunt. Harum primam *aquoſam*, alteram *tonſillarum gangraenam*, tertiam *faucium ſtrangulationem* appellare licet.

In prima igitur oris, palati, & vicinarum partium glandulae diſtenduntur & tumefiunt. In altera tonſillas occupat inflammatio ſine perfecta ſuppuratione; illae tument & indureſcunt; illico fit gangraena, quae niſi citiſſime ſuccurratur; eſt lethalis. In tertia, nervis omnibus convulſione diſtentis, aeger ſubito concidit mortuus. Tertiam hanc ſpeciem ipſe ſemel vidi; & licet bis ſex horarum ſpatio detractus fuerat largiſſime ſanguis, nihil profuit tanta exinanitio. Inciſae autem poſt mortem fauces ne minimam quidem tumoris, vel inflammationis, in glandulis aut muſculis notam oſtendebant; ſanguine vero craſſiori turgidae arteriae, venaeque omnes, ubique prominebant. Morbum hunc, etſi rarus ſit, deſcripſit Hippocrates. *Ex anginis*, inquit, *graviſſime ſunt, & celerrime interimunt, quae neque in faucibus, neque in cervice, quidquam conſpicuum faciunt; plurimum vero doloris & orthopnoeae inducunt*. Praeceps autem in omnibus hiſce malis eſt periculum, cui non uno modo occurrere oportet.

Memini, elapſis jam aliquot annis, apud Wallenſes, in locis praeſertim mari vicinis, in febris popularis modum ſaeviſſe aquoſam iſtam luem, multoſque intra biduum aut triduum ea correpos periiſſe. Medico cuidam illic degenti rogatus conſilium dedi, ut miſſo quam primum copia ſatis larga ſanguine, & laxata vel clyſtere, vel, ſi id fieri poſſet leni potione alvo, emplaſtra veſicatoria ſub mento & ad latera colli admoveret; ſin autem per haec parum proficeretur, ut in palato circa uvam, venaſque ſub lingua, plagis ſatis altis vulnera infligeret, quibus morbus erumperet. Interim febris cauſa ter die quaterve aſſumendum ſuaſi pulverem, ex *pulvere contrayervae compoſito*, & *nitro puriſſimo*, pari portione confectum. Illa cura quam plurimis ſaluti fuit.

In tonſillarum gangraena, detracto primum ſanguine, & lotionibus ducta alvo, unicum remedium eſt, glandulas haſce tribus quatuorve in locis vulneribus ſatis profundis ſcalpello incidere, quae *melle roſaceo*, adjecta *mellis Aegyptiaci* aliqua portione, ſunt curanda: interim tamen os fauceſque *hordei* & *ficuum decocto* colluere oportet. Haec autem in principio morbi fieri convenit; poſt biduum enim aut triduum ad gulam ſerpit malum, & exitiale eſt. Vidi nonnullos hac medendi via ſalvos evaſiſſe; alios vero; in quibus ea neglecta, aut ſero tentata fuerat, periiſſe: cum medici interim adſtantes, quoniam calor febrilis imminutus videbatur, nihil periculi ſubeſſe, & rem in vado eſſe exiſtimarent; qui animadvertiſſe certe debuerant, pulſum aegri vacillantem, inquietudinem, & ſudoris frigidos ſe invicem excipientes, inſtantis fati praenuncios eſſe.

Morbus iſte pueros praecipue infeſtat, cujus deſcriptionem accuratiſſime, ut omnia, tradidit Aretaeus (*a*), quam commentario luculento illuſtravit, doctiſſimus Severinus, παιδαγχόνην λοιμῶδην vocans, atque hanc ipſam, quam propoſui, medicinam commendans (*b*): quin & eandem olim executus eſt Latinus Hippocrates, Celſus (*c*).

Strangulatio faucium, quam tertiam anginae pernicioſae ſpeciem dixi, ſi praevideri poſſit, depletionibus omnis generis praecaveri debet; ſanguinis ſcilitet detractionibus, purgationibus, emplaſtris veſicatoriis, fonticulis, medicamentiſque urinam moventibus. Neque etiam inutilis eſt abſtinentia, moderatio nimirum in cibo & potu.

CA-

(a) *De cauſis & ſignis morborum acutorum*, *Lib.* 1. *c.* 9.
(*b*) *Diatriba de peſtilente ac praefocante pueros abſceſſu* Operi *de recondita abſceſſuum natura* adjuncta. *Francofurti*, MDCXLIII.
(*c*) *Lib. VI. Cap.* 10.

CAPUT V.

DE MORBIS PECTORIS.

De Aſthmate.

DIfficultatem ſpirandi plurimae, eaeque inter ſe multum diverſae, cauſae efficiunt. Quidquid enim facit, ut circumfuſus aer ſolito minus prompte in pulmonis intima penetret, morbum hunc concitat. Ad reſpirationem autem in primis neceſſarium eſt, ut thorax dilatetur; quod ſepti tranſverſi, muſculorum intercoſtalium, & illorum, qui abdomini incumbunt, motionibus peragitur. Juxta illud, opus eſt aerem in aſperam arteriam recipi; cum hujus igitur meatus tumore, vel humoribus viſcidioribus ſunt intercluſi, ſpiritus aegre trahitur. Deinde ipſius ſpirabilis elementi ratio hic habenda eſt, ſi enim gravius ſolito aut levius ſit, viſceris hujus veſiculas, in quas irruit, haud ſatis magna vi diſtendit. Senſus etiam ipſius pulmonis non raro hanc aegritudinem infert. Vidi nempe nonnullos, qui cum ſub craſſo urbis aethere ſatis commode agerent, rus potentes ab aere ſereno, qui pleriſque hoc incommodo laborantibus levamen efficit, in graviſſimam dyſpnoeam ſunt delapſi. Reſpirationis denique impedimentis adnumerari debet ſanguinis per pulmonem difficilis tranſitus. Id autem variis modis evenire poſſe manifeſtum eſt; tam ſcilicet ipſius cordis, quam ſanguinis vitio. Cordis vis debilior ſanguinem minus propellit; hic vero, ſi forte nimis craſſus fuerit, aegrius movetur, & in canalibus ſuis quodammodo haerens aeris officium perturbat & moratur: Plures morbi hujuſce cauſae enumerari poſſent; ſed iſtae ſunt praecipuae, quarum aliae aliis conjunctae ineluctabile interdum exitium procreant.

Multiplex hoc malum multiplicem poſtulat medicinam: in omni autem ejus genere auxilium eſt niſi aliquid prohibet, in ſanguinis detractione. Neque id ſatis eſt: vomitus etiam, ſi pituita tenax pulmonem aut ventriculum gravat, apprime utilis eſt; & is quidem frequenter repetitus. Alvum laxam habere oportet, quae catharticis tamen vehementioribus minime ſolicitanda eſt: ſatis plerumque ad hanc rem erit ſingulis noctibus pilulas dare, ex paribus portionibus *pilulae Rufi* & *gummi ammoniaci* confectas. Aegro cibis & potionibus flatulentis quibuſvis omnino interdicere oportet. Exercitationibus fere ad laſſitudinem: & fricationibus, praecipue inferiorum partium, & per ſe ipſum, & per alios, uſque ad ſudorem fere utendum eſt.

In ipſis acceſſionibus, quantum poteſt, ſpiritus anguſtiam levare oportet. Id faciunt, ſi humores viſcidi ſunt & tenaces, *oxymel ſcilliticum aquae cinnamomi ſimplici* commiſtam; *allium*, ſive crudum, ſive conditum. Sin autem nervorum liquor in culpa eſt, gummi omnia graveolentia, in primis *lac ammoniaci* dictum conveniunt. At meminiſſe convenit, anodyna remedia, quae in priore caſu peſtifera ſunt, in hoc plurimum proficere; *ſalibus*, nempe, aut *ſpiritibus volatilibus* dictis, conjuncta; inter hujuſmodi vero compoſitiones non alia praeſtantior eſt illa, quae nomine *elixiris paregorici* proſtat.

Sed enim cum nonnulli, vitio aliquo corporis aut humorum, leviſſimis quibuſvis de cauſis in hunc morbum incidant; quibus modis eum praecavere oporteat, dicendum eſt. Ratio igitur cum temperamenti aegrotanti, tum ipſius morbi naturae, hic haberi debet. Illud ſi calidum ſit, refrigerantia & acida, mitiora tamen, poſtulat; inter quae praeſtant *acetum* & *oxymelita* quaecunque. Sin corporis conſtitutio ſit frigidior, calefacientia nonnulla uſui erunt; qualia ſunt, *radix enulae campanae*, *zedoariae*, *ſagapenum*, *myrrha*, & conſimilia. Vomitum in utroque ſubinde ciere convenit; alvumque lenibus catharticis, quae non nimis ſolicitent, quale eſt *ſal Glauberi* dictum, ſubducere. Aqua pro potu commodiſſima eſt, adjecto vini paululo.

Quoniam autem in omni hoc morbo ſanguis plus minus efferveſcit, huic excandeſcentiae nobili illo remedio *cortice Peruviano*, iis praeſertim temporibus aſſumpto, quibus recurrere optimum erit; Et novi quidem illum, commiſto *cinnabari antimonii*, nonnunquam inſigniter profuiſſe.

Poſtremo id minime pratermitti debet, quod fonticuli, quos vocant, ſupra ſcapulas inuſti ſuſpirioſis quibuſcunque ſint auxilio. Et

Et hos quidem non ſolum humores emittendo, ſed & diſtenſionem nervorum nimiam minuendo, tam in hoc, quam in aliis quibuſdam morbis prodeſſe, fas eſt credere.

Caute tamen in his omnibus agere oportet. A nimis frequentibus ſanguinis detractionibus hydropis metus eſt. Senibus nocet nimia aquae potio. Exercitationes vehementiores ſpiritum anguſtum faciunt. Magna denique acidorum copia fibrillas nervorum conſtringendo anhelitum difficilem reddit. Ita modus etiam in ipſa medicina ſervandus eſt.

De hoc autem, ſimulque de aliis pectoris morbis, conſuli velim Laurentium Bellini *de morbis capitis, pectoris, &c.*

CAPUT VI.

DE MORBIS CORDIS.

Cor, motuum omninm animalium inſtrumentum primarium, vitaeque noſtrae quaſi principium & fons, cum muſculus ſit, vel potius plurium muſculorum congeries; iiſdem, quibus alii corporis muſculi, patet incommodis.

Affectio autem, qua frequentiſſime laborat, eſt *palpitatio*, unde per exiguum temporis ſpatium motus ejus interrumpitur. Ex cauſis admodum variis haec ortum habet. Nonnunquam enim reſolutae fibrae haud ſatis valido impetu ſanguinem propellunt. Interdum polypus, in ventriculis aut auriculis haerens, vim ejus eludit. Alias evenit, ut ſpiſſior ſimul & copioſior ſanguis difficulter in canales ſuos feratur. Item aqua in pericardio abundante (quod raro tamen accidit) muſculi hujus motus impedire poteſt. Concreta quoque lapidea illum turbant. Eſt etiam, ubi tendines in ductuum orificiis, in ſenibus praeſertim oſſeam duritiem acquiſiverint; quo, amiſſa vi elaſtica, motui protrudenti nimis reſiſtitur. Nec praeterire oportet, quod ſanguinis etiam inopia morbum hunc facere poſſit. Hinc enim fit ut ſpiritus animales minus, quam par eſt, in cerebro ſecernantur; unde prohibetur cordis contractio, pulſuſque fit intermiſſio.

Non eſt autem alienum hic adnotare, affectionem hanc plerumque eſſe convulſionem; qua, cum cor ſanguinem uno niſu non ſatis propellere poteſt, vim ſuam repetere debet: documento ſane inſigni, ſicut ante expoſui, motus etiam iſtos, qui non voluntarii dicuntur, ab animo noſtro regi & mutari (*a*).

Illud denique praeſagitionis loco adjungendum videtur; quod violenter infeſtans, & ſaepius recurrens, hoc malum in *ſyncopen* tandem, ſeu fatalem virium defectum (quam alteram cordis affectionem cenſent auctores) plerumque definit.

Tot variis caſibus medelam etiam variam accommodate oportet. Illud autem in univerſis tenendum eſt, niſi vires ſint admodum imbecillae, ſanguinem detrahi poſſe; quo, cum debilior ſit ad propellendum vis cordis, minuatur liquoris propellendi pondus. Et quidem non raro a plenitudine etiam oriri non tantum cordis palpitationem, ſed & ipſam ſyncopen, animadvertimus; ita ſoliti cujuſvis fluxus ſuppreſſioni, ut ex naribus aut haemorrhoidibus, frequenter ſuccedit praeceps iſte virium lapſus; unde ad praecavendum hoc malum utiliſſima certe erſt ſanguinis miſſio. Vix autem aliae quaevis exinanitiones ferri poſſunt. Reſolutio fibrarum ea, quae in capite de *paralyſi* ſunt expoſita, deſiderat. Craſſior ſanguis, qui polypum generat, medicamentis attenuantibus, qualia ſunt ſpiritus volatiles dicti, & gummi graveolentia, emendatur. Veſicatoria autem, in primis ſi ſopor urgeat, deficiente animo, optime ſtimulant & languentem excitant.

CAPUT VII.

DE MORBIS VENTRICULI, ET INTESTINORUM.

In morbis ventriculi & inteſtinorum non minus ea, quae cavere, quam quae facere oportet, proponenda habeo. Et quidem, quanquam pituitam viſcidam, quae ſtomachum gravat vomitu interdum ejicere maxime neceſſarium ſit; frequentibus tamen vomitionibus motum illum naturalem, quo alimenta deorſum pelluntur, invertere ciborum concoctionem plurimum perturbat & impedit.

Appe-

(a) Vid. *Introductionem*.

Appetitum ad cibos acuunt herbarum amararum infuſiones, & ipſam ſaepe concoctionem adjuvant; at metus eſt, ne longus illarum uſus fibras muſculares nimis calefaciat. Quocirca acidis quibuſdam, praeſertim *elixire vitrioli Mynſichti*, illas ſimul adſtringere non raro convenientius eſt; ea tamen adhibita cautione, ut, dum adhuc tenax eſt, quae ventriculo inhaeret pituita, illis abſtineatur. Frequentiſſimum enim ſtomachi malum eſt, quo reſolvitur; idque certe fibrarum ejus conſtrictionem deſiderat.

SECTIO I.

Alvi Fluxus.

VENTRIS fluxus non difficulter coercetur. De illo loquor, qui ſine febre eſt; nam ubi haec adeſt, num morbum ſolvere poterit, deliberare oportet. Cum ſola autem cita alvus exercet, ſatis plerumque erit, aſſumpto ſemel aut bis *vino ipecacoanhae*, ventrem *rhabarbaro* aliquoties purgare; deinde aromaticis, adjuncta *creta*, aut *bolo Gallica*, inteſtina roborare.

Dyſenteria.

Difficilior res eſt, ubi dyſenteria, aut torminibus, inteſtina excruciantur. Illa enim plerumque intus exulcerantur, & cruor manat; qui modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibuſdam quaſi mucoſis excernitur ſimulque carnoſa quaedam deſcendunt; frequens quoque dejiciendi eſt cupiditas, dolorque in ano; exiguum interim emittitur, eoque tormentum intenditur, & cum ab inflammatione oriatur hoc malum, nunquam non adeſt febricula.

Semper igitur, ut ad curationem veniam, primum ſanguinem mittere expedit. Deinde vomitus utiliſſimus eſt: quem *vino ipecacoanhae*, non ſemel, ſed ter quaterve, interpoſito biduo, vel triduo elicere optimum erit.

Inter has exininationes, & etiam poſtea, adhibenda ſunt medicamenta, quae fluxum cohibeant, & ſimul membranulas exulceratas ſanent. Neque ullum remedium mihi compertum eſt illo praeſtantius, quod ex *confectione cardiaca*, & *bolo Gallica* adjuncto *extracto Thebaico*, componitur: ita mimirum, et illorum ſingulorum ſcrupulus unus, hujus granum unum, ter die adſumantur.

Neque inutiles ſunt infuſiones in alvum, maxime ex juſculis pinguibus, addita *theriaca Andromachi*; aut ſaltem *electuario e ſcordio*: vel ex *decocto albo*, adjecto *amyto*; vel loco illius *julepo e creta*, adjunctis, ubi opus fuerit, *extracti Thebaici* granis duobus aut tribus.

Illud denique animadvertere ex uſu erit, malum interdum corporis habitum efficere, ut haec omnia parum proficiant. Illis in caſibus, non omiſsis caeteris, ea, quae humores emendant, in uſum vocare oportet; & quidem *rhabarbarum* adjuncta *mercurii ſexies ſublimati* exigua portione, iteratis vicibus dare convenientiſsimum erit.

Praeterea haec incommoda, *vomica* etiam interdum, ſive ſuppuratio interna, in ventriculo naſcitur. Hoc quidem raro fit, non ſemel tamen accidiſſe vidi; cum magnam profecto ſanguinis ſimul & purulentae materiae copiam evomebat aeger. Terret ſane iſte caſus, at plerumque tamen non magnum periculum adfert; iiſque adſumptis, quae membrana exulceratas conglutinent, in primis *balſamo Lucatelli*, redit ſanitas.

SECTIO II.

De Ileo.

ACutiſſimus morbus eſt is, quem εἰλεὸν dixerunt Graeci, Celſus *tenujoris inteſtini morbum* vocavit (*a*). Eſt autem vehemens inteſtini inflammatio, quae, niſi cito ſuccurratur, brevi in gangraenam deſinit, & mors inſtat.

Promptiſſime igitur, & larga copia ſanguinem detrahere oportet, non ſemel, ſed iterum, plerumque etiam tertio. Inde venter laxandus eſt. Id autem difficillime fit, quod acria nimis irritant, & vomitionibus rejiciuntur. Clyſteribus itaque primum res agenda eſt, interpoſitis catharticis; quorum illi ſtimulantes, haec lenia eſſe debent, ita ut mutuam ſibi invicem operam praeſtent. Anodyna etiam neceſſaria ſunt, ſed cum purgantibus miſta. Commodiſſimum

(a) *Lib. IV. cap.* 13.

igitur erit dare *extracti cathartici* ſcrupulum unum, adjuncto *extracti Thebaici* grano uno; & poſt horas aliquot cochlearia duo *infuſi ſenae*, adjecta *tincturae ſenae* quarta parte, ſingulis vel alternis horis propinanda, uſque dum dejectionum ſatis fuerit.

His ſi nihil proficiatur, *argentum vivum* bibendum praebere opportunum erit, quod quidem duplicem hic uſum praeſtat; partim pondere ſuo inverſum inteſtinorum motum reſtituendo, partimque lubricitate excrementa alvum opplentia emolliendo & deorſum propellendo. Idcirco copia ſatis magna id hauriendum eſt, librae minimum pondo; quod repetere etiam plerumque opus eſt. Neque diu ſane tardare hoc experimentum oportet; quoniam metus eſt, ne, quod non raro fit, inflammationi ſuperveniat gangraena, qua corruptis inteſtini tunicis, in abdomen effunditur ponderoſum metallum.

Neque nihil denique juvant fomenta, in primis panni lanei calefacti, & *ſpiritu vini* madidi; aut etiam, ut praecepit Sydenhamus, *catulus vivens nudo ventri indeſinenter accumbens* (a). Longe autem balneo tepido corpus totum immergere. Et ſi nondum diſcuſſus dolor ſit, cucurbitulas circa umbilicum defigere convenit, cum levibus inciſionibus.

Eadem via morbum illum atrocem, quem medici Galli *colicam Pictonum*; noſtrates in inſulis Americanis, ubi frequentiſſimus eſt, *the dry belly ache*, appellant, curare oportet. Eſt enim dolor cum febre, & inflammatione, moleſtiſſimaque alvi aſtrictione conjunctus.

SECTIO III.

De Lumbricis.

NOn raro lumbrici occupant alvum. Et horum quidem tria ſunt genera, *teretes*, & *aſcarides*, qui pueros; *lati*q; omnium peſſimi, qui adultos maxime infeſtant. De ſingulis eorum plurimi ſcripſerunt auctores. Lati autem deſcriptionem, additis etiam iconibus, omnium accuratiſſime tradidit vir doctiſſimus, Daniel Clericus (b). Quam is igitur medicorum quorundam de hoc animalculo, quod ſingulari natura praeditum videtur, errores redarguerit; quae ſequuntur, ex illo excerpere libuit. Et primo quidem, hunc non unicum eſſe vermem; ſed plurium vermiculorum catenam, ex illo genere quod *cucurbitinos* vocant, continuata ſerie aliorum, aliis adnexorum, manifeſte apparet. Hi autem, digiti latitudinem habentes, interdum ſinguli ac ſeparati in inteſtinis jacent, & per alvum excernuntur. Totus deniq; vermis conjunctus unum caput ſortitur, idque ſatis acutum, roſtro haud abſimile; quo inteſtinis infixo, valde pertinaciter illic haeret, ore pro nutrimento chylum ſugens.

Hiſce a Clerico obſervatis quaedam a me uſu comperta adjungam; enim, & ſanavi, non ſemel hunc morbum. Et id quidem mirum aeque & moleſtum eſt, quod utcunque medicamentorum vi vermiculorum iſtorum aliquot foras ſint ejecti; in dies tamen renaſcuntur, reliquiſque in corpore ſe adjungunt, uſque dum aduncum illud caput exturbatum fuerit: & tum demum ſimul cum eo totum animal per anum exit, multorum ſaepe pedum longitudine. Neque mirum ſane eſt dolores inferre acutum illud roſtrum, & hominem, cum monſtruoſo & voraciſſimo hoſpiti alimentum aſſidue ſuppeditare debeat, macilentum fieri & contabeſcere.

Omnibus igitur modis extirpanda eſt haec vermium perniciosa progenies. Idque, ſi teretes ſint, aut aſcarides, facili negotio peragitur. *Argentum vivum* quacunque forma his exitiale eſt; *rhabarbaro* igitur adjuncta *mercurii dulcis ſexies ſublimati* exigua portione, alvum ſubinde purgare commodiſſimum erit. Diebus interjecti *Aethiops mineralis* mane & veſperi aſſumptus relevet. Quin & ipſam aquam fontanam, ſi in aqua decoctum fuerit hoc metallum, potui dare ex uſu erit. Prodeſt etiam aquam marinam bibere. Oleum denique in alvum ſupter dediſſe juvat.

Propriam autem curationem deſiderat lumbricus latus. Ego jam a multis annis hujuſmodi remedium efficaciſſimum eſſe uſu comperi. *Stannum raſum*, cum aequali portione *coralli rubri*, in pulverem ſubtiliſſimum te-

(a) Vid. *oper. p.* 41. *Lond.* 1705.
(b) *Hiſtoria naturalis & medica latorum lumbricorum. Genevae*, 1715.

teritur; hujus drachma una, cum *conſerva ſummitatum abſinthii maritimi* in bolum redacta, bis die devoranda eſt.

Poſtremo, quibuſcunque medicamentis expugnati fuerint hi inteſtini hoſtes; iiſdem identidem repetitis, ne reviviſcant, cavendum eſt.

Non alienum erit alium etiam vermem, his, quos deſcripſimus, multum diſſimilem, quippe qui non in inteſtinis, ſed in membris ſedem occupat, miraeque naturae eſt, hic loci memorare. Illum dico, quem Arabes *venam Medinenſem*, Graeci δρακόντιον, Latini *dracunculum* nominarunt. Hunc primus deſcripſit Avicenna, adjecta curatione (*a*). Textum ejus Latine vertit Ceorgius Hieronymus Velſchius, & commentarii loco juſtum volumen, varia eruditione refertum, conſcripſit (*b*). Breviter autem ſummatimque praecipua, quae apud Avicennam occurrunt, exponam. Is igitur morbum hunc fieri dixit, *cum in quibuſdam corporis membris puſtula exoritur, quae intumeſcens deinde veſicam contrahit; mox, ea perforata, prodit rubri quidpiam ad nigredinem vergens, neque ceſſat continuo protendi; interdum motum habet vermicularem ſub cute, ac ſi is animalis motus, & vere vermis eſſet*. Galenus autem hoc malum *ulcus* appellat, *quod ad ſe nervum a propinqua parte delatum habet* (*c*);

Sed revera vermis eſt iſte morbus, in Aethiopia, Africa & India frequens. Eſt autem inſectum aquaticum, quod acuto capite, & exili corpore, hominum membris, cruribus praeſertim, inter lavandum ſe inſinuat; & exiguum primo, membranas muſculorum humidas depaſtum, majus fit & longius, mox rodendo cutim, inflammatione cum tumore excitat, quo ſuppurante, caput exerit animalculum, duos ſaepe, aut tres, interdum & plures pedes longum.

Curandi viam tum internis medicamentis, tum ope externa, proponit Avicenna. Suadet autem, *ut aloe tribus diebus conſequentibus quotidie unius drachmae pondere devoretur. Sin autem vermis hanc curam eludat, jamque prodierit; tunc convenit ei praeparare aliquid, cui adligetur, & ſupra quod blande ac paulatim ita convolvatur, ut abſque diſruptione ad finem uſque exeat. Optimum eſt plumbi fruſtum, ſupra quod convolvitur, idque juſti ad trahendum ponderis fiat; tum extrahatur leniter, ne abrumpatur;* & quae ſequuntur. Mihi olim in noſocomio hujuſmodi caſum intueri licuit, in nauta quodam ab Africa reverſo.

CAPUT VIII.

DE HYDROPE.

Hydropis tres ſpecies nominant medici, cum antiqui, tum recentiores: *leucophlegmatiam*, *ſive ἀνὰ σάρκα*, hoc eſt, *intercutem*; *tympanitem*; & *aſcitem*. Communis omnium eſt humoris nimia abundantia, qui collectus tumorem facit; aut in toto corpore, ut in leucophlegmatia, aut in ventre, qui modo ita intenditur, ut creber intus ex ſpiritus motu ſonus fiat, ſicut in tympanite; ubi etiam humoris aliqua portio, ex vapore forſan condenſato genita, plerumque reperitur: modo ita repletur, ut motus aquae, moto corpore aut pulſato manu abdomine, facile ſentiri poſſit, ſicut in aſcite.

Sedes leucophlegmatiae eſt in membrana iſta, quam anatomici recentiores *adipoſam*, vel potius *reticularem* ſeu *celluloſam*, vocant; quae membranas corporis omnes & muſculos interjacet.

Tympanites non eſt unius generis. Interdum vapor in cavo ventre concluſus abdomen prorſum pellit, quod pulſatum ſonitum edit. Vapor autem is halitus eſt viſceris alicujus corrupti vitio genitus & efflatus, ideoque emiſſus ſemper foetidiſſimus eſt. Iſtiuſmodi caſus rari ſunt, vidi tamen in noſocomio Divi Thomae inſigne ejus exemplum. Senex erat, cui tanta cum duritie intumuit venter, ut percuſſus tympani in modum reſonaret; nec faeces nec ſpiritus per alvum, propinatis licet valentiſſimis medicamentis catharticis, deorſum ferebantur. Ex inciſo poſt mortem abdomine prorupit cum ſonitu halitus, qui tam gravi odore nares afficiebat, ut chirurgus ſe aura venenata perculſum diceret: Mox foetoris hujus fons appa-

(a) *Lib. IV. Canon. ſect. 3. tract. 2. cap. 21. & 22.*
(b) *Auguſtae Vindel.* 1674.
(c) *Definit. medic.*

ruit, inteſtinum nempe colon inflammatum, gangraena vitiatum, & ventriculo pariter corrupto adnatum. Nonnunquam autem ſine putrefactione aura quaedam elaſtica in abdomine genita, neque exitum inveniens, vi ſua membranas circumveſtientes antrorſum pellit & tumefacit. Haec non in cavo ventre, ſed in ipſis inteſtinis concluditur; quae ita diſtendit, ut vim ſuam reſiliendi prorſus amittant, in immenſum fere aucta illorum capacitate (*a*).

Tertiam hydropis ſpeciem aſcitem eſſe dixit, quae tribus modis progignitur. Nunc enim inter tendines muſculorum abdominis, qui tranſverſales dicuntur, & peritonaeum aqua effunditur, & illos ab hoc disjungens inflationem efficit (*b*); nunc in medium tunicarum peritonei (duplex enim eſt haec membrana) illapſus humor harum diſtentione largum ſibi receptaculum format; ſaepiſſime vero colluvies aquoſa in amplo imi ventris ſpatio colligitur, & ſtagnat. Atque hanc ſane in mortuorum cadaveribus limpidiſſimam interdum vidi, funiculis multis pellucidis, qui ex tenuibus veſiculis quaſi concatenatis conſtabant, innatantibus; quae quidem diſruptorum canalium, quibus lympha circumfertur, erant tunicae, quorum valvulae in partes eos disjunxerunt, & hydatides dictas formarunt.

Nullus autem hydrops gravior eſt illo, qui in foeminis ovorum conceptacula occupat. Haec enim primum indureſcunt; mox inflammantur, & corrumpuntur; liquore etiam ex innumeris, qui partes haſce perreptant, lymphae canaliculis erumpenti diſtenta, in magnam tandem molem excreſcunt. Hinc rariſſime cedit morbus remediis.

Et hiſce praecipue modis aqua in ventre includitur; quorum omnium exempla non ſemel vidi; illud autem erat rariſſimum, quod in noſocomio quondam ſeſe obtulit. Vidua quaedam duorum & quadraginta annorum, quae nunquam pepererat, per annum circiter de doloribus dorſi cum difficultate urinae conqueſta ſenſit ſibi intumeſcere abdomen, brevique manifeſta hydropis aſcitis ſigna deprehendebantur; quocirca per ventrem emittebatur aqua, non ſemel, ſed ter; humore vero poſt ſingulas paracenteſes cito iterum redundante, poſt duas vel tres hebdomadas ab ultima emiſſione mortua eſt. Inciſo cadavere, effluxit primum ex cavo, quod muſculorum tranſverſalium tendines a peritonaeo ſejuncti confecerant, magna aquae copia, admiſtis multis hydatidibus largis & nondum diſruptis. Dein, ſecto peritonaeo, craſſiuſculi & viſcidi humoris librae ſeptem aut octo ſunt eductae; quibus glandulae multae corruptae immiſcebantur. Mirabantur jam nulla ſe conſpectum dare inteſtina, quae fruſtra quaeſivimus; donec craſſa membrana corii inſtar diſſecta, ventriculum & omnia inteſtina ſimul cum omento in anguſtum ſpatium coacta, & quaſi occultata, tandem reperimus. Membrana haec erat pars interior peritonaei, quod duplex eſſe jam diximus; cujus pars exterior, quum corium, ut notavi, prope referret, facile prima facie ita nobis impoſuit, ut totum eſſe peritonaeum putaremus. Tres igitur, quas memoravit, hydropis aſcitis ſpecies ſimul in hoc corpore, utili ſane commodoque exemplo oculis ſubjiciebantur.

Praeter has omnes aquoſas colluvies, alia etiam corporis ſedes inundat non raro morbidus humor. Cerebrum & teſticuli limpha nimia replentur. Nuſquam autem periculoſius, quam in pectore, affligit aqua; quod illis plerumque contingit, qui diuturna ſpiritus difficultate laborarunt; ea in primis, quae a polypis in ſanguinis canalibus haerentibus naſcitur, dum tenuis liquor e ſanguine expreſſis per pulmonum membranam tranſudat. Hunc non ſemel obſervavi ad librae unius aut duarum menſuram, nunc in altero tantum, nonc in utroque thoracis latere, interdum etiam in ipſo mediaſtino collectum. Etenim humor iſte in dies auctus, tandem pulmonum impediendo motum ſpiritum intercludit, & aeger improviſo moritur. Nonnunquam etiam in illis, qui diuturna cordis palpitatione cum ſpirandi difficultate laborarunt, ipſum pericaadium poſt mortem in immanem tumorem elatum, & magna aquae copia diſtentum, repertum fuit.

Sed ad curationes horum morborum veniendum eſt. In leucophlegmatia inciſio in tibiae

(a) Vid. *Memoires de l'Academie Royale*, 1713. *pag.* 235. & *Tranſact. Philoſoph. n.* 414.
(b) Vid. *Cheſeldens Anatomy*, *Bock* 3. *chap.* 4.

tibiae parte interiore fieri debet, duobus ſuper talum digitis, ita ut vulnus ad celluloſam membranam nec ultra penetret, quo per dies aliqnot frequens humor feratur; crus autem interea fovere oportet decocto herbarum emollientium & calidarum, adjecto *ſpiritu vinoſo*, cui addita ſit *camphora*. Hanc medicinam non tantum in hac morbi ſpecie, ſed & in ipſo aſcite multum profuiſſe, quin & interdum ſanaſſe, multoties expertus ſum; profluente per multos dies tanta liquoris copia, ut fidem ſuperet. Cavendum autem eſt, non in ea tantum inciſione, ſed & in omnibus, quae in quacunque corporis parte aquae educendae cauſa fiunr, ne nimis inde exhauriantur vires; quas aeque proſternit humor ita emiſſus, ac ſi ſanguinis ipſius tantundem effiueret. Aegrum igitur quovis modo ſuſtinere oportet, ne curatio mortem acceleret; id quod mihi videre contigit, ſemel quidem mea ipſius non ſatis caute aegroti robur aeſtimantis, atque iterum chirurgi temerarii culpa. At mirum tamen eſt, quantam aquoſi laticis ſic effuſi jacturam cum levamine ferant interdum hydropici. Cujus rei ſingulare teſtimonium ferre libet.

Foemina generoſa, mihi cognata, annorum fere quinquaginta, corpore firmo ſatis & robuſto, hydrope intercute ſimul & aſcite laborabat, ita in immenſum tandem ventre diſtento, ut decumbens onus tam grave ferre nequiret. Cum de vita fere deſperaretur, unciam ſpem ſalutis, eamque dubiam, in humoris e talo emiſſione ſupereſſe dixi. Illa autem ſtrenue repugnabat, ſe itineris ex miſera vita magnam partem jam emenſam eſſe clamans, neque velle regredi. At precibus demum amicorum victa ceſſit; itaque ex vulnuſculo in utroque crure eo modo, quem expoſui, facto profluxit decem continuis diebus aqua, ad congii menſuram minimum quotidie. Interea fomentis calidis, & ſtomachi & virium cauſa, parti proviſum eſt; hauſitque bis die cyathum unum & alterum aquae, in qua calefacta infuſa eſſent herbarum folia amararum: quales ſunt *abſinthium Romanum*, *centaurium minus*, cum *radice gentianae*, & *ſeminibus cardamomi minoris*, adjecto *vino chalybeato*. Singulis autem noctibus aſſumpſit patiunculam, mihi in frequenti uſu, ad ciendas hydropicorum urinas efficacem: quae habet *oxymellis ſcillit.* dr. j. *ſs. aqu. cinnamom ſimpl.* unc. j. *ſp. lavend. c. ſyr. e cort. auran.* ſingulorum dr. j. M. Convaluit ſenſim & corpus ad priſtinum ſtatum rediit. Cum autem vires id ferrent, idoneis medicamentis per alvum purgabatur. Et cathartica quidem paulo valentiora eaque ſaepius repetita, deſiderat hic morbus; qualia ſunt in primis *elaterium*, *mercurius ſexies ſublimatus*, & *jalapii radix*. Haec igitur debitis intervallis interponebantur. Caetera autem, quae dixi, ad longum tempus in uſum aſſidue adhibeantur; praeſertim vero diureticus ille, quem deſcripſi, hauſtus per annum integrum nunquam intermittebatur. Ab his nulla unquam valetudine per quinque annos tentata, morbo acuto tandem correpta periit. Nullus autem dubito, quin totum illud aquarum diluvium, partium ex celluloſa membrana, partim ex ſacco a tendinibus muſculorum abdominis & peritonaeo, aut duplicis membranae peritonaei diſtenſione, formato profluxerit.

Ordo poſtulat, ut de tympanite jam dicam. Is igitur, quem ex putrefactione viſceris alicujus oriri ſignificavi, prorſus inſanabilis eſt. Qui autem ex aura in ipſis inteſtinis genita provenit, catharticorum non nimis irritantium aſſiduo uſu, interpoſitis medicamentis, quae flatus diſcutiunt, curandus eſt; iis interim, quae facillime concoquuntur, in cibum aſſumptis. At corporis exercitatio non negligi debet. Neque inutile erit per alvum interdum infundere copioſum aquam calidam, atque illam recipere; ſimulque, quod praecepit Celſus, ferramentis candentibus ventrem pluribus locis exulcerare, & ulcera ſervare diutius (a). Sin autem hoc crudele videatur, veſicatoria abdomini imponere, & per intervalla repetere, in rem erit.

Dirus ſemper morbus eſt hydrops aſcites: ſive extra peritonaeum ratione jam dicta, ſive intra illud, ſive denique in ventris cavo aqua abundat. Caeterum quas exinanitiones ferre poſſit aeger, in primis conſiderare hic oportet. Ubi enim fractae ſunt vires, nocet vehemens per alvum purgatio;

(a) *Lib. III. cap.* 21.

tio; & quo plus humoris ex inteſtinis ejicitur, eo major ipſius copia brevi in ventrem refluit. Cum id fieri animadvertit medicus, deſiſtere debet, & per iter urinae ſuperabundantem aquam foras propellere. Incertae autem virtutis ſunt in hiſce caſibus medicamenta quaecunque, etiam illa, quae praeſtantiſſima cenſentur diuretica; quae in hoc enim reſpondeut, in illo ſpem fallunt; aliud igitur atque aliud tentandum eſt. Ut plurimum vero ex *radice ſcillae* parata omnium ſunt efficaciſſima. Horum praecipua ſunt, quam ex *oxymelle* propoſui, portio: aut ipſius *radicis* recentis exigua portio, grana nimirum quinque aut ſex; quae cum quae cum *pulver. ari compoſ.* ſcr., *ſs. rad. zingib. gran.* vque contundere, & cum *ſyrup. e cort. aurant.* in bolum cogere conveniet, ſingulis diebus mane devorandum: aut *acetum* denique *ſcilliticum*, quod ſtomacho minus ingratum erit, & ad propoſitum valentius, ſi hac via exhibeatur: *ſucc. limon.* d. vi. *ſal. abſint.* dr. *ſs.* miſcentur; adjiciuntur *aq. cinnamom. ſimpl.* unc. *ſs. ſyrup. e cortic. aurant.* dr. i. *aq. menth. piperit. ſpirituoſ.* uncſs. *acet. ſcillitici* dr. j. aut dr. *iſs.* Hauſtus ille bis die bibendus erit. Non inutiliter *cinerum geniſtae* infuſionem propter vim diureticam praecipiunt medici; & eſt quidem ſaepe commoda, modo potus conſueti loco, admiſto vini pauxillo, bibatur.

Inſignis autem eſt ad hanc rem, & memoratu digniſſimus, nobilis foeminae mihi notiſſimae caſus. Illa annos plus minus quinquaginta nata ſenſit in altero abdominis latere durum tumorem, qui ſine dubio erat ipſum ovarium in immenſam molem auctum; hinc diſruptis partem illa perreptantibus canalibus, qui lympham vehunt, ſenſim fiebat hydrops aſcites. Fruſtra erant medicamenta quaecunque, ſive purgantia, ſive diuretica. Ter emiſſus eſt ferramento acuto ex ventre humor, qui brevi ſemper iterum in cavum influebat. Accidit tandem, ut eam inviſeret anicula quaedam ruſtica, quae abdomen conſpiciens non ſine ſummo cruciatu diſtentum facile perſuaſit, ut ſingulis diebus, mane & veſperi, cochleare plenum *ſeminum ſinapis* non contuſorum devoraret, decoctique *ſummitatum viridium geniſtae* ſemilibram inſuper biberet. Poſtquam triduum hoc modo amarum laticem porpotaſſet, maximum ſenſit levamen; quin & ſitis, quae moleſtiſſima fuerat, omnino ſedara eſt. Alvum interdum duobus aut tribus continuis diebus movebat id medicamentum, & urina quotidie ad libras minimum quinque aut ſex profluxit. Perſtitit in hiſce per annum, neque rediit morbus. Sapienter itaque medicos monuit Hippocrates, ut *etiam a plebeiis ſciſcitarentur, ſi quid ad curationem utile eſſet* (a).

Inuſitatum fortaſſe videbitur, imo & periculoſum, remedia, quae ad ſomnum apta ſunt, in hoc morbo adhibere. At illa tamen interdum eum uſum praeſtant, ut etiam urinam moventibus accenſenda ſint. Ubi enim magnus dolor premit, profuſionem ejus haud raro incitant; non ob aliam ut opinor, cauſam, quam quod fibras ductuum renalium relaxent, quas cruciatus ſemper conſtringit. Hujuſce rei fidem faciet memorabilis, quam traditurus ſum, narratio.

Vir quidam robuſtus, ſobrius, & temperantiſſimus, annorum circiter quadraginta, hydrope aſcite ſimul & tympanite laborabat. Originem morbo dederat colliſio, ab ictu violento ante ſex fere ſeptimanas, in dextro hypochondrio facta. In dies ventris tumor augebatur, cum dolore graviſſimo, ſiti intenſa, urina admodum pauca, eaque craſſa & rubra. Adhibita ſunt cum a me ipſo, tum ab alio medico experientiſſimo, remedia quæcunque ad urinam movendam utilia; *ſapo Venetus*, *ſalia lixivia*, *balſamum Gileadenſe*, *nitrum*, & ſimilia; at incaſſum omnia. A catharticis valentioribus in pejus ruebat malum. Paracenteſis imperata eſt, ſed renitebantur amici. Cum dolor jam eſſet intolerabilis, nec ulla ſpes de vita affulgeret; ut εὐθανασίαν ſaltem conſequeretur, de anodynis cogitare coepi. Hauſtulum igitur cubitum ituro dabam bibendum, qui habebat *aq. menth. piperitid.* unc. i. *cinnam. ſimpl.* uncſs. *ſpir.* dr. ii. *tinct. Theb. gutt.* xxxx. *lixiv. tartari* dr. *ſs. ſyr. ex alth.* dr. j. M. Ab illo inſperatum levamen ſenſit; ſomnus, qui diu defecerat, obrepſit; profluente per vices ea urinae copia, ut illa nocte librae minimum duae redderentur. Hinc animus mire confirmatus eſt. Cumque aeger,

(a) Μὴ ὀκνέειν παρὰ ἰδιωτέων ἱστορέειν, ἤν τι δοκέῃ ξυμφέρον. *Lib. de praecept.*

ger, durante ἀναλγησίᾳ, tum per veſicam, tum per alvum, onus quod gravabat deponi; vi autem anodyni finita, continuo redire, experiretur: juſſus eſt eundem hauſtum octava quaque hora repetere, donec brevis bis die ſumpſiſſe ſatis eſſet. Quum autem ab aſſiduo hujus uſu minueretur appetitus, infuſionis amarae chalybeatae cochlearia aliquot ſemel vel bis quotidie bibebat; nondum neglecto, ſi forte dolor ingrueret, divini pharmaci ſoporiferi uſu. Haec ita profecerunt, ut devoratis demum bis die pilulis aliquot ex *pil. e ſtyrac.* portione una, *corticis Peruviani* portionibus duabus, cum *terebint. Chia* confectis, perfecta reſtitueretur ſanitas.

Operae pretium erit hiſtoriam quandam legere, quam narrat celeberrimus Williſius, huic noſtrae plane ſimilem (*a*). Sed & expendi merentur, quae ad hanc rem pertinentia protulit eruditiſſimus Sponius (*b*). Quem enim ille viginti venae ſectionibus ſanatum hydropem vidit, pariter ac iſte, quem retulimus, ex nimio partium internarum ventris calore & inflammatione ortum habuiſſe, ſuſpicari licet.

Non erit nunc a propoſito alienum ab aſſumptione eorum, quae juvare poſſunt, ad abſtinentiam tranſire; eam dico, qua quis ab omni potu per longum tempus ſe cohibet: hanc enim pro remedio etiam medici commendant. At difficillima ſane eſt iſta medicina, cum ſitis plerumque vehementer premit; quae niſi ſedetur, eam moleſtiam affert, ut vita non tanti videatur, ut homo illam tali cruciatu redimere velit. Novi tamen duos, qui, graviſſimo hydrope aſcite laborantes, longa iſtiuſmodi patientia ſibi ex toto temperando ad ſalutem perducti ſunt. Illi autem bibendi cupiditatem os & fauces ſucco pomorum acidorum aut limoniorum eluendo, devorato ſubinde hujus aut illius aliquantillo, pertinaciter fallebant.

Sin autem neque per vulnus in talo, quemadmodum in leucophlegmatia propoſui, neque per omnia dicta auxilia ſiccetur venter, ſed humor nihilominus abundat; celeriori via ſuccurrere oportet, per ventrem ipſum emittendo. Haec enim εὐχείρησις ſervat interdum, raro jugulat, & tenſionem abdominis minuendo ſemper dolorem potenter mitigat; quin &, quod maximi uſus eſt, medicinae locum facit.

Scio deterreri ſaepe medicos ab hac medendi via, cujus rei cauſa praecipua haec eſt. Aqua, inquiunt, fruſtra emittitur, quae vitiatis partibus internis renaſcatur; quin &, ſi temporis intervallis emittatur, in eundem locum cito refluet; ſin omnis ſimul exeat, moritur ſtatim aeger. Et certiſſimum quidem eſt, corruptis jam viſceribus rem eſſe deſperatam humoriſque emiſſionem per intervalla factam nihil juvare, univerſi etiam effluxum plerumque pernicioſum eſſe. Coepi igitur anno 1705. illius rei cauſam inveſtigare, ut tanto incommodo occurrere poſſem. Et illa quidem, ut opinor, haec eſt. Longa abdominis a concluſo humore diſtenſione ſeptum tranſverſum nimis ſurſum pellitur, muſculi ventris extenduntur; ſanguis per canales ſuperiores, quam per inferiores, expeditius fluit, aqua denique compreſſione ſua novam quandam partium vicinarum diſpoſitionem efficit: unde liquore omni ſimul ſemelque effuſo, ſepti tranſverſi motus, ut pro natura ſolet, deorſum illico fertur, ſanguis in canales inferiores impetu inſolito ruit, & ſublata compreſſionis vi, fibrae eam quam prius acquiſiverant extenſionem, & calorem quem dederat incluſus humor, derepente amittunt; hinc oritur animi defectio, quae ſaepe gravius recurrens, orto ſudore frigido, mox occidit. Hoc igitur incommodum commodius praecaveri non poſſe videbatur, quam abdomen a ſuperioribus ad inferiora manibus fortiter comprimendo, dum aqua profluеret; & poſtquam omnis effluxerat, faſciis illud ſatis vehementer adſtringendo.

Placuit in noſocomio hoc primum tentare. Et cum mulier quaedam huic curationi ſatis idonea ſe mox offerret, ſimul ac ab inflicto vulnere prorumpere coepit aqua, ipſe ſedula cura manibus meis ſupra umbilicum ab utroque latere poſitis ventrem deorſum compuli, mandans chirurgo, ut infra hanc partem ſimul iſti rei operam daret; id autem interea animadverti, ſi vel per temporis momentum manus amoverem, aegram actutum animo defi-

(a) Vid. *Williſ. Pharmaceut. ration. part.* 1. *ſect. VII. cap.* 1.
(b) *Aphoriſm. Nov. ſect. V. aphor.* 81.

deficere. Poſtquam autem omnis humor effluxerat, faſciis laneis arcte conſtringebatur abdomen, panno laneo ſpiritu vinoſo madefacto primum ſuperimpoſito. Feliciter & ex animi ſententia, magno noſtro gaudio ſucceſſit experimentum. Urinam copioſe reddidit mulier, cupiditas edendi rediit, & redintegratis paulatim viribus, morbum recidivum nunquam paſſa convaluit. Tanti intereſt rerum cauſas cognoviſſe.

Ab eo tempore iſtam medendi viam tenuerunt Medici, non noſtri tantum, ſed & exteri; interdum etiam, ut in novis experimentis non raro fieri ſolet, nimis audacter. Quibus enim jecur male affectum eſt, quorum ſtomachus eſt corruptus, quive malo corporis habitu laborant; iis vix quidquam ſpei in hac medicina relinquitur. Cautiones igitur nonnullae hic ſemper neceſſariae ſunt; quarum praecipuas peritiſſimi chirurgi. G. Cheſelden (*a*), & S. Sharp (*b*), clare propoſuerunt.

Fatendum eſt autem, quantacunque prudentia officium ſuum exſequatur medicus, ſaepe tamen hydropem reverti. Verum illud non obſtat, quo minus hoc inventum magni aeſtimari debeat; cujus ope plurimis vitam, eamque facile tolerandam, quin & nonnunquam jucundam, ad multos annos prorogatam fuiſſe novi. Quod quidem cum multis exemplis conſtet, unum ſolummodo omnium loco adduxiſſe ſatis erit.

Illuſtris quaedam vidua, anno aetatis ſuae quinquageſimo primo, in hydropem aſcitem delapſa eſt. Emiſſus eſt ex ventre humor, qui cum reflueret ſemper, ſingulis menſibus per annum unum educebatur ad menſuram librarum quadraginta quatuor. Anno inſequente, ſingulis etiam menſibus aqua emiſſa eſt ea quantitate, ut per quamque hebdomadam colligi libras duodecim compertum eſſet. Anno tertio, minui coepit humoris quantitas, ita ut menſe unoquoque librae tantum viginti quatuor effluerent. Quarto autem & quinto, ſextoque ſeptem menſibus, aqua tricies educta, non ultra ſexdecim per ſingulas vices profluxerunt. Et poſt noviſſimam emiſſionem languere coepit, ac tabeſcere; difficultate etiam ſpiritus, ut in hydrope pectoris obſervamus, aſſidue fere premebatur, & animo frequenter deficiebat; cum antehac per totum morbi decurſum, quoties intervalla eſſent emittendi humoris, alacris & vivida congreſſibus amicorum, exercitationibus, quin & choreis ſeſe recrearet. Coepit illam tandem vitae & curae taedium, placidaque tandem morte occubuit. Mirandum ſane eſt eo temporis ſpatio tantam humoris copiam ex corpore humano ſuppeditari potuiſſe, libras nimirum mille nongentas & viginti, quas in ipſis ovorum conceptaculis, quae recentiores medici *ovaria* appellant, primum collectas fuiſſe opinor. At ipſa denique moriens teſtamento ſuo mandavit, ut ad futuram rei memoriam ſumma eorum, quae memoravimus, Anglico ſermone monumento ſuo inſcriberetur. Verba ipſiſſima adjungere libet.

Here lies Dame MARY PACE,
Relict of Sir GREGORY PAGE *Baronet.*
She departed this life March IV, MDCCXXVIII,
In the LVI *year of her age.*
Iu LXVII *montes she was tapped* LXVI *times,*
Had taken away CCXL *gallons of water,*
Wishout ever repining at her caſe,
Or ever fearing the operation.

Monumentum autem illud in campo, dicto *Bunhil Feilds*, extra urbem viſitur.

Aeque memorabilem, at exitu feliciorem, caſum praebet illa, quam traditurus ſum, narratio. Virgo ſeptendecim annorum ſenſit ſibi intumeſcere ventrem, parvaque copia urinam reddi; a quibuſcunque remediis pejus habuit, & poſt annum haud-aliter ac gravide diſtendebatur abdomen. Eo tempore nupſit, ſpe propoſita; maritum fore pro medico. At longe ſecus res evenit; per annos tres increvit ſenſim hydrops, ita ut tandem ventris diſruptio formidaretur. Cum dolor jam intolerabilis premeret, a me petiit, ut aqua manu chirurgi, quem in noſocomio eventu ſecundo hanc medicinam feciſſe audiverat, quo ſaltem levaretur cruciatus, educi curarem. Ego, ne occidiſſe, quam ſervare non potui, viderer, in corpore macie jam paene confecto, id ſane maximo vitae periculo tentari non poſſe edixi. Miſera tamen inſtare, & precibus rogare, ne ſe deſererem, aſſi-

(a) *Anatomy of the human body, Booch III. cap.* 10.
(b) *A treatiſe on the operations of ſurgery, cap.* 13.

aſſiduis tormentis & lenta morte conſumendam. Ceſſi precibus victus, & illa, quam dixi, via emiſſae ſunt ſimul & ſemel humoris limpidi, ac nullo modo foetidi, librae ſexaginta. Ex eo tempore indies auctae ſunt vires, morboque nunquam poſtea revertente, elapſis decem menſibus filium robuſtum peperit; plurium etiam exinde foecunda parens.

Illud denique ſubjungam, medicinae hujus neceſſitatem inde liquere, quod longe tutius ſit, aptis ſervatis cautionibus, aquam emittere, quam dum illa, rupto ſponte ſua ventre, prorumpat expectare: Hoc enim interdum accidit, nec ſine ſummo vitae diſcrimine. Semel tamen vidi mulierem, cui id contigerat, ſalvam evadere. Illa, abdomine in immenſum aqua repleto, me accerſivit; morbum inſanabilem eſſe denunciavi, neque enim ſupereſſe vires. At me ſefellit opinio. Nam poſt paucos dies, audito illam adhuc vivere, reviſi, & rei novitate perculſus ſum conſpiciens vaſa duo humore plena, alterum ſex, continentia; quarum illae rupto aqualiculo prope umbilicum uno die, hae diſruptione juxta eundem locum poſtridie facta exierant: ita in biduum medicinam ſuam diviſit natura. Cum aegram jam languidam, & tantum non moribundam deprehenderem, non alia auxilia, quam quae cordi utilia eſſent, propoſui; juſſis etiam adſtantibus *ſpiritu vinoſo* abdomen fovere, ſimulque praedicens fore ut propediem moreretur. At mulieri, ne mortuae quidem, vix credendum eſt. Iterum falſus ſum; & poſt menſes aliquot incolumem, morboque iſto (in quem, quantum ſcire potui, nunquam denuo incidit) immunem aſpexi, vulnera etiam ſine ulla praeter eam, quam dixi, medicatione ſponte coierant.

Finis longae hujus chartae erit narratiuncula, ex qua manifeſtum fiet, naturam quandoque modo etiam ab hoc, quem proxime deſcripſi, longe alio huiuſmodi onere ſe levare. Mercatorem quendam aſcite gravatum, una cum alio medico experientiſſimo, curabam. Tentatis incaſſum uſitatis remediis, ad paracenteſin, tanquam ad ſacram anchoram, confugimus. Emiſſae itaque ſunt humoris limpidi & tenuis librae circiter viginti. Poſt aliquot hebdomadas de novo intumuit venter. Convenimus ideo mane chirurgum abdomen denuo exinaniturì. Subridens autem aeger nulla ſe iam amplius egere curatione dixit; & nudato corpore, abdomen molle laxumq; oſtendit. Mirantibus & rogantibus, numquid ea nocte per quaſcunq; vias effuſum fuiſſet, reſpondit, neq; per alvum, neq; per renes, neq; per ſudorem ſibi plus ſolito profluxiſſe. Per glandulas itaque, & exiles meatus, in peritonaeo, & membranis vicinis, abſorptus fuit totus ille humor. Ipſe autem poſtea medici cujuſdam empirici curae nimis imprudenter ſe commiſit: & ad praecavendum morbum valentiſſimis catharticis, uſus, brevi poſt, exhauſtis viribus, conſumptus eſt. Vix ulla tamen humoris copia in aperto cadavere deprehenſa.

Jamdudum noverant anatomici humorem ex ventre in partes circujacentes abſorberi. Si enim aquae tepidae libra per ſyringem, facto exiguo vulnere, in vini canis abdomen immittatur; illo poſt paucas horas inciſo, ne guttula quidem ejuſdem ibi reperietur. Ita *corpus univerſum tam foras, quam intro, perſpirabile eſt*: id quod olim docuit Hippocrates (*a*). Sed legenda omnino ſunt, quae ad hanc rem pertinentia ſcripſit medicus doctiſſimus, Abrahamus Kaav; qui per omnes corporis membranas, tam in ſano quam in morboſo ſtatu, recipi & tranſudare humores oſtendit (*b*).

CAPUT IX.

DE JECINORIS MORBIS.

PLurimis morbis ideo patet jecur, quod bilis multis modis vitium facit, exqua fere oriuntur hujus viſceris mala. Omnium autem frequentiſſimum eſt *icterus*; in cujus naturam, quoniam ea, quae ſuper illo tradiderunt auctores, mihi minus ſatisfaciunt, paulo accuratius inquirere lubet.

(a) Ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον ἐστιν ὅλον τὸ σῶμα. *Epid.* VI.

(b) In libro, cui titulus, *Perſpiratio dicta Hippocrati per univerſum corpus anatomice illuſtrata. Lugduni Batavorum, MDCCXXXVIII.*

SECTIO I.

Icterus.

Bilis eſt ſapo quidam naturalis, hoc eſt, miſtura ex oleo, aqua, & ſale tam volatili, quam fixo compoſita, ad varios fabricae animalis uſus in hepate e ſanguine ſeparata. Nil mirum igitur, cum ſanguis ipſe modis quam plurimis corrumpi poſſit, humorem hunc interdum officiis ſuis ineptum reddi. Peccat autem non raro lentore, nonnunquam etiam nimia raritate. Illud ubi eſt, obſtruuntur glandulae huic ſecernendae aptae, & exigua copia in canaliculos ſuos derivatus liquor in iis haeret; inde iecur durum evadit, naſcunturque ſub eius tunica congeries albidae, ſaponem craſſiorem referentes. At non tantum ab impedito bilis tranſitu propter viſciditatem, ſed etiam a raritate eius provenit hic morbus. Sal enim volatilis, quem partim bilem componere diximus, nimis abundat; unde tenuis nimirum & calidus humor inteſtina plus ſatis irritat. In priore caſu adſtrictior eſt alvus, faeceſque craſſae, argillae vel luto ſimiles, aegre deiiciuntur; in poſteriore diarrhoea, cum febre & liquidis flaviſque deiectionibus, aſſidue ſolicitat. Illi morbo obnoxios reddit vita deſidioſa, ſine debitis corporis exercitationibus acta; ſalis enim defectu pars bilis oleoſa concreſcit: hoc plurimum ii laborant, quibus facultates ſuae inutiles ſunt, & qui genio indulgentes vino meraciori corporis humores accedunt.

Sed & alia eſt icteri ſpecies, his quas deſcripſimus cauſam habens prorſus diſſimilem, quae a nervorum convulſionibus originem trahit; nempe cum humor ille ſubtilis & elaſticus, quem vehunt, acritudine & vi nimia praepollens, bilis canales ultra modum conſtringendo per hepar illam tranſire non ſinit; unde ſanguine exſuperans in quaſcunque corporis partes diffunditur. Tale quid cruciatibus colicis, quin & ictibus viperarum, ſupervenire iam olim oſtendimus (a).

Neque adjicere alienum, erit conſtrictionem non huic ſimilem, ſed ab ipſa glandularum in abdomine induratione factam, interdum evenire, jecinore & veſica ejus bile diſtentis, cum tamen nulla hujus portio in inteſtina delabi poſſit. Vidi olim in noſocomio inſigne hujus rei exemplum. Vir quidam operarius annorum quadraginta & duorum, cum ante quinque menſes ab acuta febre convaluerat, ſenſit in hypochondrio ſiniſtro inflammationem; qua repreſſa, in icterum pertinacem incidit, alvo faecibus albis adſtricta, brevique periit. In aperto abdomine fluitabant ſanguinis, ad ſenſum ſaltem, ſinceri librae quatuor. Mirantibus unde his effluxerat, ſe viſui obtulerunt membranulae quaedam, quaſi dirupti ſacculi fragmenta, putrido hic loci & corrupto omento. Pancreas autem non ſcirrho tantum, ſed & cancro, occupatum fuit; ex illo enim inciſo in chirurgi faciem lymphae guttulae aliquot acres adeo & corrodentes prorumpebant, ut cutem non ſecus, ac oleum vitrioli, laederent. Lien etiam ſcirrhoſus erat. Veſica fellis maxima, & bile repleta; flava; ſed viſcidiore, & obſcure vireſcente. Hepar nuſquam induratum; & ubicunque infligeretur vulnus, ſimilem humorem profudit. Univerſas denique corporis partes, membranas, adipem, glandulas, imo ipſam coſtarum ſubſtantiam, colore flavo ſuffuſas obſervavimus; fibris muſcularibus ſolum exceptis, quae nuſquam erant infectae. Ex veſica autem digitis compreſſa nihil bilis in inteſtinum effluxit; ita enim, quaſi injecto vinculo, contractus erat, qua ductus hepaticus cum cyſtico in unum coeit, hujus meatus, ut ſtylum non caperet. Hanc narratiunculam ideo memoravi, ut manifeſtum fieret, ex cauſis quam variis, iiſque etiam interdum mortiferis, oriatur hic morbus.

Multiplex adeo malum, multiplicem curationem deſiderat. Ubi alvus cum faecibus coloris cinerei vel albidi eſt adſtrictior, medicamenta *ſaponacea* cum per ſe, tum *rhabarbaro* conjuncta, neceſſaria ſunt. Cum fuſior eſt, non tam comprimere, quam moderari illam oportet; in primis ope *rhabarbari*, admiſto remedio anodyno. Nuſquam autem magis conveniunt ſomno & dolori ſecando apta, quam illis in caſibus, quos a conſtrictione canaliculorum, qui bilem ferunt, nervorum convulſionibus orta: provenire diximus. In omnibus autem icteri generibus, ſi inflammatio adſit, ſanguis detrahen-

(a) *Mechanica Venen. Expoſ. Tent.* 1. *edit.* 4.

hendus eſt; quin etiam vomitus plerumque eliciendus.

Iſta, quam dixi, inflammatio ſaepe in ſuppurationem vertitur, & fit vomica; ex qua ſi fertur pus purum & album, ſalutis ſpes eſt, quia malum eſt in tunica. Sin autem totum jecur ab ea conſumitur, lenta febre & anxietate ſumma diu luctatus moritur aeger. Frequentiſſimus eſt, ut a viatoribus accepi, in India Orientali dirus hic morbus, & emiſſo per medicamentum cauſticum humore, non raro ſanatur. Ulcus autem, ut in fonticulis mors eſt, diu apertum ſervare oportet. Memorat hunc affectum doctiſſimus Bontius, & curandi modum illi, quem propoſuimus, non abſimilem diſerte ſatis explicat (*a*). Quin & eandem medicis nonnullis olim iu uſu fuiſſe obſervat Celſus (*b*).

Ex iis denique, quae bilem ipſam emendant, nihil utilius eſt illa potione, quae habent *ſucci limoniorum* drachmas ſex, *ſalis abſinthii* drachmam ſemis, *quae cinnamomi ſimplicis* unciam unam, *ſucchari albiſſimi* ſcrupulum unum; quae etiam, ubi alvus nimis ſoluta eſt, auxilio erit, modo ſomniferis vis ejus irritans rite coerceatur. Propter vires etiam conſimiles *elixir virioli Mynſichti*, ex *aqua Bathonienſi* aut *Spadana* aſſumptum, multum commodi adfert.

SECTIO II.

Diabetes.

NImiam urinae ſaporis, odoris, & coloris mellei, profuſionem, *diabetem* dictam, non renum eſſe, ut vulgus medicorum exiſtimat, ſed jecinoris morbum, indiciis certiſſimis jam dudum demonſtravi (*c*). Nolo cramben bis coſtam opponere; & eaquae ſatis, ut opinor, prolixe propoſui, repetere. Unicum tantum illis, quae de cura ibi dicta ſunt, remedum adjungam, hoc eſt *ſerum aluminatum*, quod ex *lactis paululum cocti* libris quatuor, & *aluminis* drachmis tribus conficitur. Si hujus enim quarta librae pars ter minimum die bibatur, ad profluvium illud ſiſtendum plurimum valet.

Si quis autem quaerat, unde tanta humoris copia in hoc morbo laborantibus ſuppeditari poſſit: Facili ſane experimento comperimus, corpora quaedam interdum imbibere, & ad ſe trahere. ex aere humidum; quo, cum moles, tum pondus, eorum augeatur. Ita *ſal tartari* udo aeri expoſitus tantum creſcit, ut libra una rite calcinata ad libras decem exſurgat. Quidni igitur dicamus, ex ſphaera vaporum nos ambiente nonnullos eorum corpus ad illos recipiendos aptum intrare, qui humori aquaeo in renes derivandos conjuncti copiam ejus accumulent? Quapropter, cum frigidus ac humidus aer hoc malo affectis minime conveniat; calidum certe & ſiccum, ſi liceat, eos petere oportet.

Rationem autem hic reddere lubet, qua factum fuerit, ut apud antiquos tam raro occurreret hic morbus, ut illum bis tantum ſe vidiſſe referat Galenus (*d*). Id igitur ex more vivendi, quo utebantur, noſtro multum diſſimili proveniſſe autumo. Illos enim hoc malum maxime corripere dixi, qui inertes ac deſidioſi vitam agunt; & luxuria aſſidue diffluentes, poſtquam vino meraciori ſanguinem, & humores accenderint, frigidis potionibus intempeſtive ſitim reſtinguere ſolent. Veteres autem, licet plus ſatis vinoſi, prudentiores tamen hac in re ſibi cavebant; & inflati venas mero paulatim ad temperantiam redibant, ſenſim corpus refrigerantes, calidiſque aut ſaltem e gelidis liquoribus ſitim compeſcentes.

CAPUT X.

DE MORBIS RENUM, ET VESICAE

PRiuſquam ad morborum renum & veſicae medicinam accedam, nulla de morbis iſtis praefari commodum erit; horum enim naturam non dilucide ſatis videtur explicuiſſe auctores, cum tamen hanc noviſſe non parum ad eorum medelam conferat.

Obſervaſſe olim me memini (ſicut alias dixi (*e*)) in cadaveris ſectione pueri quinquennis, quem ad mortem cruciaverant gra-

(a) Vid. *Hiſtor. nat. & medic. Ind. Orient. Lib. II.*
(b) *Lib. IV. cap.* 8. (c) *Mechanica Venen. Expoſ. tent.* 1. *edit.* 4.
(d) *De locis affectis lib.* VI.
(e) *De imperio Solis & Lunae, pag.* 55.

ves nephritidis dolores, varios gradus, quibus calculus in lapideam duritiem concreverat. Oppleti erant cum renes, tum ureteres materia calculoſa, quam cernere erat varias hic illic concretionis formas induiſſe. Primum mali fundamentum erat aquoſus & limpidus humor, qui paulatim lacteſcens in tenues & ramoſas cryſtallos abiit, quibus in unum coentibus, acceſſit tandem lapidis forma & durities.

Tartarum quoddam hoſtilis coagulatione in renibus gentium calculi eſſe materiam, non ſine ratione, ut opinor, dixit in experimentis chemicis verſatiſſimus Helmontius (*a*). Quam quidem opinionem confirmare videtur analyſis ejus facta per ignem, cum tartari ex vino Rhenano reſolutione comparata. Hujus rei experimentum fecit vir ingenioſiſſimus, Stephanus Hales (*b*). Et in tartaro quidem Rhenano comperit tertiam totius maſſae portionem eſſe aerem elaſticum, calculum vero parte plus quam dimidia ex aere ejuſmodi conſtare; quam aeris proportionem in nullis aliis corporibus potuit deprehendere.

Annon igitur conjicere licet, cauſam hujus morbi proximam eſſe ſales tartareos ex ſanguine in canaliculos renales delatos? Salium enim iſtorum ea eſt natura, ut ſubtiliſſimae illius materiae, quam praeter alias dotes cohaeſionis corporum cauſam eſſe monſtravit illuſtris Newtonus, magnam quantitatem incluſam teneant (*c*). Eſt igitur calculus materia ex terra, maximamque partem ex aere, in renum tubulis concreta; quae aut in iis haberet, aut in veſicam delabitur. Haec ideo paulo latius expoſui, ut quibus modis medicinam hic facere oporteat, oſtenderem.

E primum quidem, ut venienti morbo occurratur, ne in cryſtallos abeant ſales iſti, *lixivialia* dicta *ſalia* optime prohibitura videntur: Cryſtallorum autem in calculum concretioni oleoſa corpora maxime obſtabunt. Et hoc ſane praeceptum tam in victu, quam in medicamentis, locum ſemper habere debet.

Cum autem eo res devenit, ut expellenda ſit per ureteres moles concreta, ſumma hic prudentia opus eſt. Peccatur ſaepiſſime in uſu medicamentorum, quae magna urinam movendi vi pollent; quibus ſcilicet arenulas ſimul propelli poſſe, ſpe plerumque vana, medici exiſtimant tutius enim pleriſque in caſibus ea res laxantibus & lubricantibus peragitur; praeſertim ſi, cum vehemens ſit dolor, miſſo primum ſanguine, remedia anodyna interponantur. Nunquam enim, dum in magno cruciatu aeger eſt, foras pellitur calculus; qui, ceſſante cruciamento, cum fluxu urinae ſponte ſua fere & inſperato interdum exit. Illud inde fit, quod dolor partium fibrillas coarctat; quae, ubi abeſt moleſtus ſenſus, officio ſuo rite funguntur. Idcirco non ſine magno levamine, & interdum commodo etiam majore, *opii* grana tria quatuorve in *decocti communis* unciis quinque aut ſex ſoluta, per clyſterem in alvum infundi poſſunt. Eſt autem, cum, ſedato jam angore, diureticis etiam valentioribus pugnare liceat; ea tamen circumſpectione, ut poſtquam effectum ſortita fuerint, iis non diutius inſiſtatur.

Alvus interim ſemper laxior eſſe debet; itaque ſi adſtrictior ſit, infuſa lotione ex *decocto communi*, adjecta *terebinthina* emollire convenit; interdum & *infuſo ſenae*, commiſta *manna*, purgare: neque enim nimis ſollicitanda eſt.

Lubricantia, quae dixi, medicamenta praecipua ſunt, *oleum amygdalarum dulcium*, *ſyrupus ex althaea*, *emulſiones ex amygdalis*, & conſimilia; quibus adjungendus erit balnei tepidi uſus. Inter diuretica autem valentiora *terebinthina* & *ſapo* praeſtant.

Et his quidem in ipſo morbi acceſſu proficitur. Extra illum autem ſaluti conducunt corporis exercitatio; in primis equitatio aſſidua, ſed citra fatigationem: cibus ex media materia, quique facile concoquitur: pro potu, aut vinum tenue aqua dilutum, aut cereviſia non lupulata, recens & minime acris; quae, ſi tempore fermentationis infuſa ſint *hederae terreſtris folia*, eo jucundior erit & ſalubrior. Mulſum etiam convenit; nullum enim diureticum melle praeſtantius eſt. Hujus cochleare ex cyatho uno aut altero infuſionis *radicum althaeae* renes, ſi

(a) Vid. *Supplementorum Paradoxum numero criticum*.
(b) *Statical Eſſais*, *Vol.* 1. *pag.* 184. & 193.
(c) Vid. *Thelife of Mr. Boyle*, *prefixed to his works*, *pag.* 70.

ſi aſſiduus ejus uſus fuerit, optime purgabit. Vina eligenda ſunt, in quibus minimum acoris ineſt. Aquae leviſſimae, puriſſimae, & ex fluminibus curſu exercitis hauſtae, potui ſunt idoneae. *Damnantur* enim, ut ait Plinius, *in primis fontes*, quorum aquae *decocte craſſis obducunt vaſa cruſtis* (*a*).

Magnopere autem cavendum eſt ab aſſiduo illorum medicaminum uſu, quae magna vi urinam cient; praeſertim ubi id agitur, ut nullae fiant in renibus arenularum concretiones: illa enim, quantumvis de iis magna promittant rerum ignari, acrimonia ſua & calore partes labefactant & laedunt. Neque temperare mihi poſſum, quin dicam in opprobrium nuper medicis nonnullis ceſſiſſe, quod inſano pretio redimendi anile remedium magnatibus auctores fuerunt; quo ipſos etiam in veſica calculos in ramenta comminui, & hinc foras per urinam pelli poſſe, vana ſpe deluſi ſpondebant. Erat medicamentum hoc ex *ſapore calcibus* que *teſtaceorum* non unius generis confectum, quod nemo non videt virtute ſumme cauſtica pollere. Monſtrabatur interea coram populo in rei teſtimonium calculoſa maſſa una & altera, ex veſica illorum, qui illud aſſumpſerant, exſecta, inaequali ſuperficie & foraminibus hic illic quaſi eroſa; quas cavernulas notas eſſe & indicia medicaminis, vim ſuam exerere jam incipientis, credi voluerunt. At ſciviſſe debuerant, non raro calculos in veſica naſci ita conformatos, ut ſpeciem lapidis hic illic exeſi prae ſe ferant; id quod ipſe non ſemel vidi. Tanta eſt in lapidibus cujuſcunque generis formandis varietas. Et legi quidem velim ſuper omni hac re librum ab anatomico & medico inſigni circa id tempus editum, utilibus documentis plenum; in quo tum noxae, tum fallacia, hujus medicaminis diſerte exponuntur (*b*).

Nil mirum ſane eſt, legislatores noſtros, cum tanta de nova hac, ut dicebatur, medicina praedicarentur, quovis fere praemio illius componendi modum comparare voluiſſe, ut reipublicae cauſa in lucem ederetur. Et erat quidem id ipſis laudi, quod hortatoribus culpae verti debet; quos noſſe oportebat, res tam acri virtute praeditas, ut calculos comminuant, non poſſe, illaeſa veſica in hanc partem illabi. In ſumma, valiquid ad arenulas foras per urinam pellendas iſta confectio, at calculos duritiei lapideae nunquam confringere poterit; quin & longus ejus uſus magno periculo non vacabit, propter rationes jam expoſitas. Neque multo tutius erit, licet forma commodius, *lixivium ſaponarium* ejus loco in potu datum, eandem ſcilicet ob cauſam.

Veruntament cum in re tanti momenti nihil diſſimulare, nihil celare oporteat; utilitatis publicae cauſa, quaedam a doctiſſimo Roberto Whytt, medico Edinburgenſi, experimentis comperta memorare juvat. Ille enim, cum incommodis, tum interdum etiam noxis, celebris hujus antidoti perpenſis, omiſſo *ſapone*, vires quas haberet *aqua calcis*, non calce viva, ſed rite calcinatis oſtreorum aliarumve concharum teſtis parata, ita ut librae ſeptem vel octo aquae teſtarum calcinatarum librae uni affunderentur, experiri veluit (*c*). Res ipſi ex voto cecidit; & multo quidem potentius calculum ſolvere hunc liquorem, quam vulgarem aquam calcis, fragmentorum calculorum immerſionibus in utraque factis, facile didicit. Modum deinde illam exhibendi oſtendit: quatuorque libras adultos pueros pro ratione aetatis minus, quotidie bibere jubet. Non uno autem exemplo felicem medicinae hujus effectum comprobavit.

Operae pretium certe erit ipſam ejus diſſertationem perlegere. Ego interim eo libentius haec adduxi, quod uuper, ut ex ipſius ore accepi, medicus quidam Londinenſis, mihi amiciſſimus, hac ipſa medendi via mercatorem graviter laborantem morbo eripuit; plurima enim fruſtula, nunc cruſtularum, nunc exiguorum nucleorum inſtar, ſimul cum urina foras ejiciebantur. Minime autem ſperandum, ſicut antea dixi, ut lapides ad ſilicem fere duritie accedentes quovis medicamento comminuantur.

Gratulor itaque civibus noſtris de ſcientia & dexteritate chirurgorum noſtrorum, qui novam viam tutius & expeditius calculos ex veſi-

(a) *Nat. Hiſt. Lib. XXXI. cap.* 3.
(a) *Parſons' Deſcriptior of the human urinary bladder*, &c.
(a) *Saggi di Medic. della Società d' Edimburgo*, *Vol. 6. art. 69.*

veſica exſcindendi adinvenerunt (*a*). Jam enim non pueri tantum & juvenes, ſed & aetate proveċtiores, ſine magno periculo hanc ἐγχείρησιν ferre poſſunt; nec cum ſit calculus, quam ut cervix veſicae, niſi rupta ſit, extrahi ſinat, illum findere neceſſe eſt: id quod reperiſſe dicitur medicus Graecus, Ammonius, ob id λιθοτόμος cognominatus (*b*).

CAPUT XI.

DE MORBIS OCULORUM.

MOrbos oculorum tanta cum diligentia tractarunt ſcriptores, ut ſupervacuum fere habeam de illis quidquam dicere. Ex veteribus in primis Celſus (*c*), ex recentioribus Vopiſcus Fortunatus Plempius (*d*), accuratiſſime eos enumerarunt & diſtinxerunt. Et ille quidem Graecos auctores tam medicos, quam chirurgos habuit, quorum opera ad nos non pervenerunt, ex quibus maximo uſus judicio medicamenta quam plurima aptiſſima ſelegit; hic vero nova inſuper inventa uſibus medicis accommodavit. His tamen adjungi velim librum a duobus ſummis geometris, junctis operis, conſcriptum; in quo ea, quae ad viſum pertinet, plane & dilucide exponuntur (*e*). Lectu etiam digniſſima ſunt, quae de hac materia diſſeruit medicus Edinburgenſis, jam alias a me laudatus, Porterfieldus (*f*).

Mihi igitur ſat erit de ingentibus quibuſdam vitiis, quorum natura vulgo non ſatis perſpecta fuit, quaedam monuiſſe.

SECTIO I.

De Gutta Serena.

AFfectus graviſſimus ſimul & difficillimus is eſt, quem ἀμαύρωσιν Graeci, ſequioris aevi medici Latini barbara voce *guttam ſerenam* apppellant. Hic ex variis cauſis naſcitur, quarum communiſſima eſt arteriarum, quae tunicam *retiformem* dictam perreptant, a ſanguinis canaliculos ſine effectu incidant; unde viſus pro ratione damni aut imminuitur, aut penitus perit. Hunc etiam morbum interdum facit nervorum, ex quibus contexta eſt haec oculi tunica reſolutio; quippe quae tollit quadantenus eorum ſenſum, unde lucis corpuſcula non ea vi impellantur, ut ad cerebrum res objectas transferre poſſint. Ipſius denique nervi optici, ſive ab humore glutinoſo affuſo, ſive duro tumore ibi nato, compreſſionem, antequam is a *thalamis* ſuis dictis exiret in oculos, hujuſmodi caecitatem afferre obſervavi. Id autem ſpirituum animalium ad cerebrum meatum intercluendo efficitur.

Tot caſibus etiam in uno morbo patent oculi, qui ad uſum ſimul & dulcedinem vitae plurimum conferunt. Quibus igitur modis hos tueri oporteat, jam diſpiciendum.

In primis autem mala haec internoſcere, & quaenam in ſingulis ſigna ſpem aut metum oſtendant, ſcire expedit.

Canaliculorum igitur ſanguine viſcido oppletorum indicium eſt gradatim ſuperveniens pupillae dilatatio. Haec enim naturae ſponte fit, ut incommodum, quod multis lucidis radiis in arteriolas, loco nervoſarum fibrillarum, impingentibus viſus patitur, ſolito majore horum numero penſetur. Hinc nervorum reſolutio, quae derepente ſaepe fit, iſtam dilatationem vix ita patefacit. Effuſus vero in ipſum nervum humor, aut ſenſim agnatus ibi tumor ampliorem pupillam propter dictam rationem comitem habet.

Vix ulla igitur medicina hos periculo ſubtrahit, quibus naturalem ſuam anguſtiam tuetur pupilla. Idem quoque de iis dicendum eſt, quibus viſum ademit morbus; qualis eſt intra cranium genitus humor, aut tumor, ipſe inſanabilis. Quid enim levamen recipere poterit aut ſubita nervorum de-

(a) Vid. *Cheſelden's Anatomy*, *edit.* 5. *cap.* 7.
(b) *Celſus*, *Lib.* 7. *cap.* 26.
(c) *Lib.* 6. *cap.* 6.
(d) *Ophthalmogr. Lovanii* 1659.
(e) *A compleat Syſtem of opticks*, *by Robert Smith*, M. D. *with an Eſſay upon diſtinct and indiſtinct viſion*, *by James Jurin*, M. D. *Cambredge*, 1738.
(f) Vid. *Saggi di Medic. della Società d' Edimb.* Vol. 3. & 4.

debilitas, aut humor, tumorve, propter locum, quem tenet, indiſſolubilis? Sola igitur, quam primo loco poſui, caecitas hujuſmodi medicabilis eſt. Niſi in illa, quam fecit tunicae retiformis reſolutio, ſpes aliqua ſalutis per ea forſan effulgeat, quae nervorum reſolutioni conveniunt; quorum praecipua ſunt aromatica, e *ferro* parata medicamina, & *gummi foetida*.

Quibus autem modis curationem aggredi oporteat, jam proxime dicendum eſt.

Et viis quidem quibuſcunque tollendam eſſe iſtam canalium oppletionem, & emendandum ſanguinis lentorem, manifeſtum eſt. Sanguinem igitur primo tum e brachio, tum e vena jugulari, detrahere oportet, & vicibus quidem pro morbi ratione iteratis. Neque inutiles ſunt cucurbitulae ſub ipſo occipitio, factis profundis inciſuris, collocatae; ut hac via ex cerebri finibus, qui *laterales* dicuntur, cruor emittatur. Cathartica etiam dare, ex iis praecipue quae craſſos humores expurgant, neceſſarium eſt. Cum autem nihil ad incidendos, & foras pellendos, tenaces & viſcidos humores hydrargyro valentius reperiatur, *mercurium ſexies ſublimatum* aliis purgantibus adjungere; vel potius, hoc per ſe aſſumpto, poſt paucas horas lene aliquod catharticum propinare, commodiſſimum erit.

Et haec quidem incipiente jam & recenti malo, ſaepe ſatis ad votum cedunt; inveteraſcens autem morbus potentius auxilium deſiderat, copioſam nimirum medicamenti hujus ope, parva copia & brevibus intervallis per os ſumpti, factam ſalivae irritationem. Singulare enim & eximium pondus, quo pollet metallicus hic liquor; uti & natura ejus, qua in minutiſſima corpuſcula facile ſeparabilis eſt, faciunt, ut intimos quoſque corporis receſſus ſubeat ac penetret, haerenteſque in his ſordes abſtergat, &, quacunque datur porta, foras ejiciat.

Hoc ego uſus experimento, dum juvenis adhuc medicinam facerem, pauperibus primum in noſocomio, deinde & aliis, viſum vitaeque ſolamen reddidi; laudantibus medicis, qui ad id uſque tempus malum hoc, cum invaluerat, immedicabile eſſe putarant. Conſilium autem rei hujus periculum faciendi ideo cepi, quod ex optices ſcientia didiceram corpuſcula quaedam in humore oculi, *aqueo* dicto, natantia morbi hujus cauſam eſſe (quae vulgaris erat opinio) non poſſe; utpote quae ob nimiam viciniam imaginem ſui in oculi fundo delineare nequeant. Alia igitur cauſa quaerenda fuit; quam an veram repererim necne, penes rerum mathematicarum peritos judicium eſto. Mihi profecto, quantum ad medicinam recte faciendam conferat vera matheſis, hoc invento illuſtre documentum dari videtur.

SECTIO II.

De Suffuſione, ſive Cataracta.

NOn parvum vitae taedium affert viſus defectus, Graecis γλαύκωμα, Latinis veteribus *ſuffuſio*, recentioribus *cataracta* dictus. Is eſt quaedam humoris cryſtallini obſcuritas, qui ex pellucido in glaucum colorem plerumque mutatur; unde lucis radiis tranſitus ad fundum oculi prohibetur.

Exiſtimarant omnis aevi medici caecitatem hanc originem trahere a membrana quadam, praeter naturam hic concreſcente, quae veli inſtar humori cryſtallino obtenderetur; viſumque reſtitui, hac membranula, acu depreſſa. At noſtro demum ſaeculo patuit error iſte. Diſſectis enim poſt mortem tam oculis illorum, qui hoc vitio affecti nunquam dictam curationem experti fuerant; quam aliorum, quibus, illa ἐγχείρησις bene ceſſerat: nulla apparente membranula, compertum eſt, ariditatem, duritiem, & opacitatem pellucidi iſtius & globoſi humoris morbum hunc genuiſſe (*a*).

Reticendum autem non eſt, depreſſam fuiſſe aliquando, ſed rariſſime, manu chirurgi veram membranulam (*b*). Hoc nuper docuit peritiſſimi apud nos anatomici & medici, Thomae Lawrence, ſolertia; qui tegumentum quoddam membranaceum pupillae obductum ex infantis corpore, cera etiam liquidiſſima repletis arteriolis id perreptantibus, mihi oſtendit. Hinc itaque didici, etiamſi certiſſimum ſit ipſum cryſtallinum humorem in longe plurimis hujuſmodi caſibus acu chirurgi loco ſuo dimoveri;

(a) Vid. *Antoine Maitre-Jan, Traitè des maladies de l'oeil, a Troyes*, MDCCVIII.
(b) Vid. *Hiſtorie & memoires de l'Academie Royale des Sciences. A Paris*, MDCCVIII.

ri; poſſe tamen interdum fieri, ut membranula quaedam deprimatur, quae infortunio aliquo ariditatem forte contraxerat.

Sola igitur chirurgi expertiſſimi manus hic opus eſt. Suffuſionis autem quaedam maturitas expectanda eſt, rerumque circumſtantium habenda ratio; ex quibus, an ſatis opportunus curationi ſit oculus, dignoſci queat.

SECTIO III.

De Albugine oculi.

HAud leve malum quoque eſt oculi albugo, a qua plus minuſve laeditur viſus, prout majorem minoremve tunicae corneae portionem eo loci, quo pellucida eſt, vitium hoc occupaverit. Interdum enim in extima tantum hujus membranae facie ſedem figit; interdum parti interiori, nunc altius, nunc minus profunde inhaeret.

Oritur autem ut plurimum ex inflammationibus, effuſo inter tunicae hujus membranas humore; & maxime quidem in variolis, ſuppurantibus hic loci morbi puſtulis.

Duobus ipſe modis iſtud lucis impedimentum amovendum curavi, altero in exteriori, altero in interiori malo uſus. In priori caſu pulverem hujuſmodi adhibui; *Vitrum commune* mortario impoſitum in pollinem tenuiſſimum terebatur, qui *ſacchari canti albi* pari portione commiſtus multo labore ſuper marmor laevigabatur. Pulviſculi aliquantulum, in oculum calami ope in dies immiſſum, vi ſua incidendi paulatim maculam abſtergit & abradit. Alter, quem dixi, modus labeculam hanc tollendi is eſt, ut ſolers & cautus chirurgus illam ſcalpello gradatim & quotidie excidat; ex lamellis enim ſibi ſuperincumbentibus conficitur haec tunica craſſa & firma ſatis; quae particulas aliquot abſcindi patiatur. Pulveris iſtius ocularii uſu multos ſanatos vidi; corneae vero reſectionem ſemel tantum, aut bis, felici cum eventu expertus ſum. Sed ſatius eſt anceps remedium experiri, quam nullum.

Odorum Vires.

De reliquis ſenſibus vix quidquam magni momenti occurrit, quod proponam; paucis quibuſdam, quae ad *olfactum* pertinent, exceptis. Cum quotidie enim magnam odorum vim tam ad laedendum, quam juvandum, corpus noſtrum experiamur; de hiſce quaedam breviter ſaltem dicere non erit inutile.

Et primum quidem vis horum nociva in morbis, qui contagione ſerpunt, inferendis ſatis manifeſto ſe prodit. Humorem enim ſubtiliſſimum, ex impuro & jam corrupto corpore prodeuntem, ſpiritu attractum ſanum habitum inficere, minime dubitari poteſt. Quin & ſaepiſſime hinc caput doloribus tentari, & ſtomacho, vitiata ſaliva, nauſeam concitari nemo non ſentit. Contra autem vires noſtras plurimis in caſibus maxime reficere res odoriferas notiſſimum eſt. Idque fit, excitatis, quum oppreſſi erant, ſpiritibus animalibus; aut recreatis per res ejuſmodi, quae tenuem fumum naturae gratum & amicum emittunt, naribus admotas. Sunt enim quaſi ſpirituum animalium pabulum hujus generis corpuſcula.

Omnium autem, quae hactenus innotuere, corporum odoriferorum valentiſſima ſunt *ſpiritus* & *ſales volatiles* dicti, vi ignis ex animalium partibus eliciti; hiſce proximae animales illae glandulae, quae *caſtoreum*, *moſchus*, & *zibethum*, appellantur. At illud fortaſſis jure mirum videatur, quod non omnia omnibus aeque conveniunt hujuſmodi corpora. Multos enim mirifice reficiunt *moſchus*, & *zibethum*: cum alios videmus, quos peſſundat fere, & aegritudine cum animi deliquio turbat, horum fragrantia; quos tamen recreat *viroſum caſtoreum* & *aſa foetida*. Id diſcrimen, ut opinor, facit diſſimilis inter eos fluidi liquoris, qui nervos irrigat, habitudo; natura ipſa, quaenam ſingulis aut profutura eſſent, aut nocitura, monſtrante. Neque ullus dubito, quin ſenſum harum rerum efficaciae nervorum humor menti impertiat. Ita nimirum ſapienter ſimul & benigne fabricam noſtram inſtruxit Supremus rerum Conditor, ut, quae ſalutaria ſunt ad vitam, aut ad ſobolem propagandam neceſſaria, ſint ſimul jucunda, & cum ſenſuum voluptatibus conjuncta. In hiſce tamen omnibus modum ſemper ſervare oportet, ne voluptatis illecebrae in noxam & detrimentum tum animi, tum corporis cedant.

CA-

CAPUT XII.

DE PODAGRA.

POdagra illorum hominum, qui plus ſatis genio indulſerunt, plerumque morbus eſt; in quo natura ex onuſto corpore id, quod ſibi inimicum eſt & noxium, in articulos protrudere nititur. Eſt itaque pro morbi liberatione potius, quam pro ipſo morbo, habenda haec affectio; unde magnopere cavere ac providere oportet, ut effectum ſortiatur iſte conatus. Minime igitur mitigandus eſt quibuſvis medicamentis externis dolor. Si hoc enim tentetur, in partes vitales puncto temporis tranſit humor morbidus, & de vita maxime periclitatur aeger; documento ſane inſigni ad ſubtiliſſimum quendam & actuoſiſſimum liquorem, qualis eſt nervorum ſuccus, turbidum hunc in corpore motum pertinere. Sin forte ignea colluvies iſta intempeſtive retrocedat, totis viribus contendendum eſt, ut in partem, quam prius occupaverat, revertatur. Id efficiunt ſanguinis miſſio; cathartica calidiora, quae non vehementer ventrem moveant; medicamenta cordi utilia; maxime vero veſicatoria membris impoſita, habita ſemper loci affecti ratione. Nihil enim optabilius eſt, quam ut partibus externis, quas jam tenuit, per dies bene multos ſalutare id malum inſidat; quia difficulter eiicitur ex corporis interioribus novus hoſpes, ac ſemel admiſſus male partam poſſeſſionem ingratiis tuetur: ut recte fortaſſe dici poſſit, ſolam podagram podagrae mederi.

Sedes hujus morbi ſunt ipſa articulorum vincula; & tendines muſculorum, qui motibus eorum inſerviunt, cum membranis, quae oſſa circumveſtiunt. In has partes delapſus ſuccus vitioſus, acrimonia ſua graviter pungit & vellicat; hinc oritur inflammatio, & tranſudantibus ex minimis arteriarum & nervorum ramuſculis liquoribus tenuiſſimis, fit tumor dolorem afferens. Dolore enim pro inſtrumento utitur natura; qui, quo acrior eſt, eo breviori tempore & tutius munere ſuo fungitur. Nonnunquam enim, quaſi officium detrectans, lente id agit; & pro vario corporis habitu, perinde ac ſi medicinam ſuam divideret, in plures dies cruciatum potrahit. Subſidente autem tumore, effuſi humoris pars, quae per cutis meatus exire non potuit (& exigua ſane ejus portio hac vita exhalatur) in venas & lymphae canales abſorbetur: dum id, quod craſſiſſimum eſt, membranis adhaeret; & ſingulis doloris circuitibus cumulatus, interdum id duritiem quaſi cretaceam concreſcit, ſenſimque articulos opplet & cotundit.

Quod ad remedia ſpectat, alia eſſe debent in ipſa acceſſione, alia extra illam. Quietem corpori impetrat ipſa ad motum impotentia. Victus, ſi febris adſit, erit qualis in acutis; ſin minus, ex media materia concedi poteſt. Stomacho enim, ut dixi, ac viribus proſpicere oportet. Et animadvertendum eſt (quod in alio morbo vix contingere vidi) ubi hanc partem corripuit morbus, quaſi torpore quodam & frigoris ſenſu mirum in modum affici ventriculum: ita ut vinum ſit pro aqua, & liquores calidiſſimos, quales ſunt *ſpiritus*, quos vocant, ex vino eliciti, is expetat & facile ferat. Rei igitur hujus ratio eſt habenda, & potui danda non ſolum vina meraciora ſatis magna copia, ſed & ſpiritus vinoſi, *radicis ſerpentariae*, *zingiberis*, vel etiam *alii nucleorum*, maceratione efficaciores facti. Quin &, his parum valentibus, ipſos *ſerpentariae*, *zingiberis*, & *pipers longi* pulveres, *confectione cardiaca* dicta commiſtos, devorare commodum erit.

Diſquirunt medici, annon, urgente in articulo intolerabili cruciatu, venam ſecare liceat. Meminiſſe autem oportet, dolorem hunc ad partem tumefaciendam ſumme neceſſarium eſſe, ideoque patienter perferendum. At nihilominus tamen, cum certum ſit ſeparationibus ex ſanguine, quae ſalutis cauſa ſponte naturae fiunt, nimium obſtare calorem; ſi febris ſit vehemens, & praeſertim ſi adſit delirium aut ſpiritus difficultas, ſanguinis detractio non ſolum dolorem aliquantum leniet, ſed & exitum humoris feliciter promovebit (*a*). Et illam ſane etiam repetere opus erit, ubi capitis ſopore affecti notae deprehenduntur. Saepiſſime enim animadverti medicos ab iſta exinanitione nimis metuere, ne ſcilicet humoris propul-

(a) Vid. *Librum de variolis*, *cap.* 3.

ſioni in articulos officeret. In ſumma, ſanguinis miſſio id plerumque efficit, ut morbus locum, quem jam tenet, deſerat & relinquat; quod quidem quanto cum commodo multis in caſibus fiat, manifeſtum eſt. Anodynorum autem uſus, niſi forte vomitiones aut alvi dejectiones ſolicitent, concedi non debet. Neque, ut id ſemel moneam, bene ferunt cathartica podagrici; niſi finito jam paroxyſmo, ad appellendas, quae tumorem faciunt, morbi reliquias.

Plus difficultatis & momenti habet quaeſtio de vitae regimine, quo quis tormentum hoc avertat, & eo ſe prorſus immunem praeſtet. Et primo quidem illud perpendere oportet, num tuto ſatis, & cum bonis aegri rebus, id fieri poſſit. Quibus enim aetate jam provectioribus per multos annos reverti conſuevit morbus; his, ſi non omnino invadat, pro articulis praecordia infeſtantur, crurumque inſuper robore deſtituti vitam ſaepe in reliquum miſeram tranſigunt: id quod illis non ſemel contigiſſe vidi, qui lacte & oleribus contenti cibis aliis omnibus ſe abſtinuernt.

Si quis igitur hujuſmodi quidquam tentare ac periclitari velit; is juvenis eſſe debet, & qui nondum morbum hunc, niſi forte bis vel ter, perpeſſus ſit. Illi vino & cerevisiis omnibus praefracte interdicendum eſt. Aqua pura ſitim ſedet. Lacte, & ex illo paratis eduliis, oleribuſque veſcatur; ſemel autem de die teneris carnibus, quales ſunt pollorum, gallinarum, & cuniculorum, interdum & piſcibus fluviatilibus, famem compeſcere licebit. Corpus exercitationibus aſſiduis, ſed non vehementibus, movendum erit. Nonnullos novi hoc vivendi more ſecuritatem totius vitae conſecutos eſſe; & ne vel minimum quidem podagra vexatos ad viridem ſenectutem, eamque etiam jucundam, perductos. Tantum prodeſt ſecundum naturam, id eſt, temperanter aetatem agere. Et hoc vitae genus illi praecipue experiri debent, ad quos vitio parentum, non ſuo, jure quaſi hereditario deſcenſurus expectatur hic morbus; ne ſemina ejus, ſanguini & nervorum liquori inhaerentia, fructum injucundum tempori ferant.

Concludet hoc caput unicum illud monitum, quod licet veriſſime modo dixerim, *pro morbi liberatione potius, quam pro morbo, habendam eſſe hanc affectionem*; interdum tamen, praeſertim in ſenectute, graviſſimum eſt malum; cum, fractis jam viribus, debilitatiſque membris, corporis motiones perduntur, & magna vitae jucunditas perit. At vero, ut aliae quaecunque aerumnae, ita & haec patientia levior fit. Et in mediis cruciatibus illud forſan, quod Sydenhamo fuit, ſolatio eſſe poterit; *ita vixiſſe, atque ita tandem mortem obiiſſe, magnos reges, dynaſtas, exercituum claſſiumque duces, philoſophos, alioſque his ſimiles haud paucos* (*a*).

CAPUT XIII.

DE DOLORIBUS ARTICULORUM.

POdagrae affines ſunt illi dolores, qui cum inflammatione & tumore articulos invadunt. His, ſanguinis miſſionibus, veſicatoriis partibus affectis admotis, &, niſi febris urgeat, purgationibus mederi oportet. Si nulla, vel levis tantum febris adſit, *gummi guajacum* cum *cinnabari antimonii* conjunctum, ita ut utriuſque partes ſint portiones, cum ad ventrem laxandum, tum ad humorum acrimoniam retundendam, utiliſſimum erit; eo modo datum, ut bis die ſaltem alvus dejiciat.

Horum omnium ſaeviſſimus eſt dolor, quem Graeci ἰσχιάδα appellant, quod coxas deprehendit; eoque difficilior eſt, quod fere poſt longos morbos, vi peſtifera huc ſe inclinante, hanc partem corripit. Malum hoc, ubi inveteraverit, femur cum crure debilitat, & aeger claudicat; interdum etiam femoris caput extra coxam elabitur, & femur ipſum protinus contabeſcit.

Non multum hic juvat cucurbitulae, aut veſicatoria parti impoſita; altius enim membranis os circumcingentibus infixus haeret moleſtus humor, quam ut his extrahi poſſit. Efficacius eſt *epithema vocabile* dictum, aut emplaſtrum ex *pice Burgundica*, addita *euphorbii* octava circiter parte, cum *terebinthina Veneta*; quantum ſatis erit compoſitum.

Nihil autem tantum levamen adfert, in pertinaci praeſertim morbo, ac *ſetaceum* (*b*) ſub locum affectum, ut materia inutilis evocetur, immiſſum. Sin autem vulnus ejuſmodi

(a) *Tract. de Podagra.*

(b) Vid. ſupra, *Cap. de inſania, pag.* 61.

di minus neceſſarium videatur, aut nimis acerbum; *fonticulum* ſaltem in femoris dolentis parte interna ſupra genu medicamento cauſtico inurere maxime ex uſu erit, ita tamen, ut ulcus id non ſanetur, ſed diu trahatur, donec id vitium, cui per hoc opitulamur, conquieſcat. Celſus (*a*), Hippocrates (*b*) exemplum ſecutus (*c*), candentibus ferramentis, tribus ut quatuor locis ſuper coxam, cutem exulcerare praecepit. Qua quidem medicina nulla foret efficacior; utcunque enim terreret ignis aſpectus, breviori cum dolore, quam infert medicamentum cauſticum, peragi poſſet.

Fricatione quoque utendum, & eodem die ſaepius, quo facilius ea, quae coeundo nocuerunt, digerantur; ipſiſque praecipue coxis, ſi fieri poſſit, adhibenda eſt. Aqua autem calida partem affectam fovere plerumque nocet; fibris enim illa relaxatis, augetur dolor.

Sed ad interna auxilia tranſeundum eſt. Horum praecipuum, detracto primum ſanguine, eſt purgatio per alvum. Catharticorum potentiſſimum eſt, aut *mercurius dulcis ſexies ſublimatus*, aut *electarium e ſcammonio*; quod pro varibus ſaepe repetere convenit. Diebus autem, quibus non exinanitur corpus, per ea, quae ſimul urinam cient, & alvum movent, morbi vis minuenda eſt. Ex his *tincturam guajacinam volatilem*, vel *balſamum guajacinum*, omnibus praepono.

CAPUT XIV.

DE MORBIS CUTIS.

NIhil jam dicam de *exanthematibus*, quae per febres prorumpunt; uti nec de *puſtulis* & *maculis*, quae in foedo corporis habitum cutem inficiunt. Haec omnia, ſuis quaeque locis, ſunt expoſita (*d*). Morborum autem omnium, qui ſummum corpus occupant, foediſſimus eſt *lepra*. Ea duplicis eſt generis; alterum Graecorum, alterum Arabum nominant. De utroque, tum quae ad naturam, tum quae ad curam mali ſpectant, quantum ad rem ſatis eſt, alio in libro diſſerui (*e*).

Huic vitio foeditate proximum, at origine plane diverſum, dicitur *ſcabies*. Eſt autem aſpritudo cutis rubicundior, unde puſtulae oriuntur, ex quibus exit ſanies; fitque ex his continua exulceratio pruriens, quae cito contagione ſerpit. Animatus revera dici poteſt hic morbus, utpote qui animalculis ortum ſuum debeat. Etenim inſecta quaedam adeo exigua, ut aciem oculorum, niſi microſcopio adjuvetur, omnino fugiant, in cuticulae ſulcis latentibus, & fere inviſibilibus, tanquam in nidis, ova ſua deponunt; tum calore loci foetus brevi excluduntur, qui juſtam magnitudinem nacti, ipſamque cutem roſtris aculeatis penetrant, fibrillas vellicant roduntque. Morſus iſte pruritum intolerabilem facit, unde ſcalpendi eſt neceſſitas; hinc ſcalptura pars lacerata humorem tenuem effundit, qui ipſe in cruſtulas duriores mox concreſcit. Animalcula cutem ſubter cutem aſſidue repentia de loco in locum, morbum propagant, dum ovis contagium longius effertur.

Manifeſtum hinc fit, cur linteis, veſtibus, chirothecis, ſimilibuſque, quibus uſi fuerint contaminati, hoc malum in corpora ſana transferatur. Ovula enim rebus hujuſmodi ex molli materia confectis adhaerentia cuti affricantur, & excluſa ſordidam prolem edunt.

Id vero majoris eſt momenti, quod cauſae cognitio morbi medicinam monſtrat. nihil enim hic proficiunt purgantia, aut quae ad ſanguinem emendandum dantur medicamenta. Externis adjumentis res agenda eſt; delenda ſcilicet impura progenies, quod facili perficitur. Tepido dicitur in balneo corpore primum lavato, inungendae ſunt quotidie ſub tempus lectum petendi partes affectae, aut *unguento e ſulphure*, aut quod odore minus ingratum, *e mercurio praecipitato* conficitur; niſi quis malit linimentum componere longe gratiſſimum, parique efficacia, ex *floribus aurantiorum*, vel *roſarum rubrarum*, adjecto *mercurio corroſivo rubro*, cum *axungia* contuſis.

Haec, quae dixi, omnia in *Actis Regalis* noſtrae *Societatis* habentur (*f*). Edidit enim anno 1687 medicus ingenioſus, Johannes

(a) *Lib.* 4. *cap.* 22. (b) *Aphor. VI.* 60.
(c) *Ibidem.* (d) *Cap. de Febribus*, & *de Scorbuto*.
(e) Vid. *Medica ſacra cap.* 2. (f) Vid. *Tranſact. Philoſoph. n.* 283.

nes Coſimus Bonomo, *Epiſtolam* Italico ſermone ſcriptam ad celeberrimum Fanciſcum Redi, Florentinum, *de vermibus corporis humani*; in qua totam hanc rem, adjunctis etiam animalculorum cum ovulis ſuis figuris, dilucide exponit. Hujus ego, cum decem circiter poſt in tempus annis per Italiam iter facerem, exemplar nactus epitomen lingua noſtra compoſui, quam in patriam redux *Actis* memoratis inſerendam curavi.

CAPUT XV.

DE STRUMIS.

Difficilis morbus eſt is, quem Latini *ſtrumas*, Graeci χοιράδας appellant, glandularum ſcilicet duri tumores. Eae fatigare medicos ſolent, quoniam & febres interdum movent, nec unquam facile matureſcunt; & ſive ferro, ſive medicamentis curentur, plerumque juxta cicatrices reſurgunt, & longo ſpatio detinent. In cervice maxime naſcunrur, item in alis, inguinibuſque praeſertim in pueris. Interdum vero in pectus, & in mammas foeminarum, perveniunt. Denique in pulmonem haud raro confluit humor, eoque vitiato, ſupervenit phthiſis. Et profecto, ſi verum dicere liceat, in noſtris ſaltem aliiſque borealibus regionibus a ſtrumis ut plurimum oritur illa pernicies. Eo autem terribilius eſt hoc malum, quod a parentibus in prolem ſaepe tranſit, & hereditate, quam cepit, haud facile ſe privari ſinit.

Pertinaci itaque & perículoſo huic morbo omnibus modis occurrendum eſt; ſanguinis miſſionibus, purgationibus, & eis, quae ad viſcidos, ſalſos, atque acres humores emendandos ſunt apta. Catharticorum optimum eſt *mercurius dulcis ſexies ſublimatus*, quem in puerorum uſum cum *rhabarbaro* conjungere convenit; adultioribus vero per ſe dari poteſt, potione leni purgante poſt aliquot horas exhibita. Huic viribus proxima eſt *radix jalapii*. Aquae etiam noſtrae purgantes, quoniam glandulas ſimul emundant, ventremque ſolvunt, accommode ſunt. Neque denique inutilis eſt tam in hoc morbo, quam aliis, qui a viſcidis humoribus naſcuntur, pilula ſingulis noctibus aſſumpta, quae ex *mercurii ſexies ſublimati*, & *ſulphuris antimonii praecipitati*, ſingulorum grano uno, & *aloes Socotorinae* granis tribus vel quatuor, adjecto *ſyrupo balſamico*, conficitur.

Quae autem pravitatem hanc ſanguinis & humorum corrigunt, pleraque ſunt ex eo genere medicamentorum, quae urinam movent, qualia ſunt, *ſpongia ad nigredinem uſta*, *ſal diureticus*, & *tartarum vitriolatum*; quae eo ſunt commodiora, quod alvum ſimul aliquo modo laxant. Neque inutilis eſt *aqua calcis minus compoſita*. Ego ſane pulverem ex *ſpongiae uſtae* ſcrupulo uno, *nitri puriſſimi*, *corallinae*, & *ſacchari albi*, ſingulorum ſcrupulo ſemis, bis die ſumptum, cum dictae *aquae* cyatis tribus quatuorve, ex uſu eſſe ſaepiſſime comperi. Sin autem corpus macilentum ſit, aquae iſti par *lactis* menſura commiſceri poterit. Propter vim etiam diureticam aliquid ad ſanitatem conferunt *millepedae*; vivarum potiſſimum ſuccus, cum *nucis Moſchatae* aliquantulo contuſarum, commiſto *vino tenui*, expreſſus, *melleque* aut *ſaccharo* gratior factus.

Diaeta neglectui eſſe non debet. Carnibus ex media materia, & piſcibus fluviatilibus, conchis maxime, veſcatur infirmus. Salſamentis & condimentis omnibus, abſtineat. Aquam bibat fluvialem etiam coctam; putealem, aut ſtagnantem nunquam; minime omnium nivoſam. Loca enim montana, Alpes praecipue, incolentibus gutturis glandulas natura tumefieri. *Fonticulis* etiam peccantem materiam exhaurire prodeſt. Coelum quoque mutare, ſaepe in ſalutem cedit, in primis ſi morbi in pulmonem ruituri ſit metus; ita tamen ut regionem nec calidam nimis, nec frigidam, nec tempeſtatum variationibus inſalubrem, petat aeger.

Illud denique in hoc morbo quantumvis pertinaci notabile eſt, quod nonnunquam per aetatis & habitus corporis mutationes, in juvenibus praeſertim, ita ſponte ſua deſinit, ut integra ſanitas reſtituatur.

CA-

CAPUT XVI.

DE SCORBUTO.

SCorbuti nomen apud auctores medicos morbum deſignat adeo multiplicem, & facie diverſum; ut non idem, ſed alius atque alius eſſe videatur. Nullo non tempore in ſeptentrionalibus regionibus popularis fuit, eo ſaevior, quo illae oceano propius adjacent: idcirco Danos, Norvegos, & maris Baltici accolas maxime infeſtat; neque eo immunes ſunt Germani, Belgae, noſtrique homines (*a*).

Incipit autem hoc malum a foedis in ore cruribuſque ulceribus; unde Plinio *ſtomacace* & *ſceletyrbe* dicitur (*b*), qui ſceleribus aquarum imputat, & auxilio repertam fuiſſe *herbam Britannicam* (quae nobis *hydrolapathum nigrum* appellatur) memoriae prodidit. Sed & ipſi Hippocrati jam olim innotuit, a quo σπλῆν μέγας, *lien magnus*, vocatur; & pariter a frigidis, crudis, turbidiſque aquis epotis oriri dicitur (*c*).

Memini me vidiſſe in noſocomio hujuſmodi caſum in viro ruſtico mediae aetatis, qui in inſula *Toliapis* Ptolemaeo dicta, nunc *Sheppey*, vitam egerat. Is locus tam coelo turbido & humido, quam aquis inſalubribus, infamis eſt. Et quidem conjectari licet Romanos milites, poſtquam, duce Claudio Ceſare, in Britanniam tranſmiſſi erant, atque hanc inſulam cum locis vicinis occupaverant, morbo hoc correptos, monſtrantibus incolis, *herbam Britannicam*, quam auxilio repertam fuiſſe dicit Plinius, comperiſſe, & a regione id nomen dediſſe. Scimus enim imperatorem illum a Geſſoriaco, quod in Gallia oppidum eſt, nunc *Coulogne* dictum, ex adverſo Cantii noſtri, hanc in terram milites expoſuiſſe (*d*). Huic parem hiſtoriam narrat Strabo de Romano exercitu apud Album Pagum, quem, duce Aelio Gallo, Auguſtus Caeſar in Arabiam miſit. Dicit enim illum oris & crurum vitiis, morbis nimirum regionis iſtius indigenis, qui *ſtomacace* & *ſceletyrbe* vocantur, ſuntque reſolutio quaedam ab aquis & herbis proveniens, tactum fuiſſe (*e*). Minime autem dubito, quin aer inſalubris marinus cibus pravus, cum aquis noxiis, coelum illud hiſce vitiis obnoxium reddiderint; ex Ptolemaei enim *Geographia* liquet Album Pagum ad ſinum Arabicum ſitum fuiſſe. Sed haec obiter. Ruſticus ille, quem dixi, malo corporis habitu cum febre intermittente abnormi laborabat; accedebant crurum ulcera mala, in utraq; nimirum tibia. Ab aſſumptis medicamentis, quae ſcorbuto conveniunt, amaris ſcilicet & urinam moventibus, convaleſcere videbatur: ulcerum enim alterum ope chirurgi jam impletum erat; alterum vero, dum ſaneſcebat, ex improviſo tenuit gangraena, & conciſa carne, ne latius ſerperet malum, aeger ſubito mortuus eſt. Diſſecto abdomine, mox oculos rapuit ingens lienis moles forma naturali, ſola magnitudine aucta; neque color mutatus erat, nec mollitiem tumor aut ſcirrhus vitiarat. Pendebat autem libras quinque cum quarta librae parte, cum hepar quatuor tantum libras totidemque uncias pondere aequaret. Subſtantia denique, quae viſceris hujus natura eſt, laxis fibris ſuffuſum nigrum cruorem viſui obtulit.

Ab ulceribus iſtis ſupra memoratis os ipſeque ſpiritus male olet; gingivae vitiantur, ſublividae & nonnunquam ſubatrae redduntur, ac digito vel leviter preſſae atrum cruorem emittunt; eaedemque ſic laxae ſunt, ut a dentibus diſcedant, quos facile omnes interdum eximere liceat. Interea maculae lividae, tanquam veſtigia ſuggillationum, variis corporis locis efflореſcunt; in brachiis ſcilicet, in coxis, in cruribus, ſaepeque per univerſi corporis cutem, adeo ut haec quaſi ictero foedata videatur. Tormina quoque ventrem diſcruciant. Et ne levia quidem praetermittam, ab inteſtinorum doloribus no-

(a) Vid. *Eugalenum de Scorbuto*; ſed in primis *Sennertum*, *lib. 3. par. 5.*
(b) *Nat. Hiſt. lib. 25. ſect. 6.*
(c) Vid. *De internis affection. Sect. 34.* & *De aeribus, locis, & aquis, Sect. 10.*
(d) Vid. *Sveton. vit. Claudii Caeſ. cap. 17.*
(e) *Στομακάκη τὲ καὶ σκελοτύρβη πειραζομένης τῆς ςρατιᾶς ἐπιχωρίοις πάθεσι, τὸν μὲν περὶ τὸ ςόμα, τὸν δὲ περὶ τὰ σκέλη παράλυσίν τινα δηλούντων, ἔκ τε τῶν ὑδρείων, καὶ τῶν βοτανῶν, Geogr. Lib. 16. p. 781. ed. Par. 1620.*

nomen ſuum, tum Latinum, tum Anglicum, traxiſſe videtur iſte affectus, a voce nimirum Saxonica *ſchorbock*, vel *ſchorbuck*, quae illa lingua ventris lacerationes denotat.

Praeter inſalubres aquas cibos etiam in partem nocumenti trahunt auctores, ſalſamenta nimirum & legumina; quae, cum ſint difficilis concoctionis, craſſum minuſque commodum nutrimentum corpori ſuppeditant. At cauſam tamen magis univerſalem adhuc non videntur ſatis attigiſſe. Illa autem aer eſt uſibus vitae minus idoneus, qui in pulmones receptus plurimum noxae adfert. Id in longis navigationibus maxime manifeſtum eſt, in quibus nautas ſaeviſſime corripit haec lues. Cujus rei illuſtre exemplum praebuit *Hiſtoria* nuper edita itineris marini magni noſtri ducis Anſoni, qui totum terrarum orbem circumnavigavit; in quo tertia fere pars nautarum hac calamitate conſumpta periit, maloque adeo evecto, ut etiam in fractis oſſibus calli, qui diu induruerant, quaſi compage jam recenter rupta, mirandum dictu! diſſolverentur (*a*). Eſt profecto in hiſce caſibus ſumma humorum omnium corruptio, & quaedam putrefactio; ſanguinis miſtura eo uſque vitiata, ut quacunque parte emiſſus nihil purpurei coloris habeat, ſed atram & coenoſam colluviem referat. Quibus autem modis ita corrumpant & putrefaciant humores dictae jam cauſae, non difficulter cognoſcet, qui proprietates legeſque motus in fabrica animali perſpectas habuerit. De illis enim ut pluribus hic agam, eo minus neceſſarium videtur, quod in libello nuperrime edito eas fuſius expoſui; ubi commoditates & uſum *machinae Suttonianae* ad extrahendum e navibus aera inquinatum, allatis etiam documentis, oſtendi (*b*).

Quod ad curam attinet, facilius multo eſt morbo huic venienti occurrere, quam illum depellere; cum enim corpori ſemel inſederit, difficillime medicinam ſentit. Optimum autem medicamentum eſt aer ſalubris opportune inſpiratus, cum apta diaeta. Cum primum igitur quis aegrotare coeperit, ſi forte ſit in mari, quam citiſſime fieri poterit, mutandum eſt coelum, & pro marino terrenus aer hauriendus; ſin in terra ſit, rus amoenius petere, & aere aperto ac ſereno frui debet. Uterque vero aut carnibus recentibus veſcatur, & ex materia tenerrima: aut potiſſimum herbis, tam iis, quae ſale volatili gaudent, quales ſunt *cochlearia*, *naſturtium*, *becabunga*, & his conſimiles; quam illis, quae ſuccum frigidiorem praebent, cujuſmodi ſunt, *acetoſa*, *endivia*, *lactuca*, *portulaca*, & id genus aliae. Et has quidem omnes utriuſque generis alias aliis miſcere, & temperare inter ſe, ſaepe erit utile. Maxime autem juvabit fructus ſubacidos, *mala citrea*, *aurea*, *punica* que frequenter comedendo ſtomachum pariter, ac corporis humores, refrigerare & aſtringere.

At operae pretium erit ipſam *Narrationem* itineris modo dicti pervolvere; quae multa ſane medicis ſcitu utilia, omnibus lectu jucunda, varioſque caſus ac rerum diſcrimina juſto ordine, ſtyloque eleganti deſcripta complectitur. Neque laboris fortaſſis illum poenitebit, ſi quis velit ea pervolvere, quae, cum *machinae Suttonianae* utilitates exponerem, ipſe de hoc morbo conſcripſi. Leget ibi hiſtoriam maxime memorabilem de nauta quodam Batavo; qui cum in nave ad Groenlandiam appulſa hoc malo jam fere conſumptus eſſet, herba tamen *cochlearia* pecudum more paſtus, reſtituta ſanitate, in patriam firmis viribus rediit.

His, quae fuſius fortaſſe diximus, illud denique adjungere non inutile erit: quod ſanguinem, ſi ex quavis parte profluat, id quod non raro fit, *elixir vitrioli Mynſichti*, *aqua fontana frigida* commiſtum, ac ſubinde hauſtum; vel interdum etiam *tinctura ſtyptica*, eodem modo aſſumpta, commodiſſime ſupprimet.

CAPUT XVII.

DE MALO HYPOCHONDRIACO.

NOn unam aliquam ſedem habet malum, quod *hypocondriacum* dicitur, ſed totius corporis eſt morbus. Maxime autem vi-

(a) Vid. *Anſon's Voyage round the vvorld*, London 1748.

(b) *An Hiſtorical account of a nevv method for extracting the foul air out of ſhips*, *London* 1749.

vitiantur imi ventris viſcera, ventriculus nimirum cum inteſtinis, hepar, lienis, pancreas, & meſenterium; quorum ſingula pro natura ſua & uſibus vitae, quibus accommodata ſunt, afficiuntur. Ventriculum crebri ructus & inflationes, cruditatis ſigna, infeſtant. Bilis craſſior & tenax in canaliculis ſuis haerens hos opplet, & jecur tumefacit. Cum affectus eſt lienis, cujus officium id eſſe videtur, ut per arterias ſuas ſanguinem fluidiſſimum, partim in cellulas proprias, in venam ſplenicam, ad hepatis uſus immittant; liquor is craſſior factus vitium facit, unde in vena iſta fere ſtagnat, & molle viſcus tumore diſtenditur. Pancreas ubi male habet, glandulae ejus, quae ſalivam deferunt, aliquo modo induratae humorem ſuum parcius profundunt; hinc bilis, quae in inteſtino illi admiſcetur, non ſatis diluitur; & chylus nimis viſcidus per canales *lacteos* dictos difficulter fertur, atque in viis ſuis quodammodo haeret. Omentum, pinguitudinis officina, ſi quando ab hoc morbo aliquid mali patitur, oleum illud tenue & ſubtile, quod in ſacculis hic colligitur ad hepar uſque deferendum, & ſanguini illuc a liene adducto affundendum, copia ſolito minori elabitur; quo fit, ut ſanguis in vena portarum neque pro more ſolutus, neque lympha attenuata ſatis refertus evadat. Meſenterii denique vitium, quod affert iſte affectus, id facit, ut glandulis membranae hujus obſtructis, lymphae in ductus chyliferos inſtillandae penuria chylus nimis ſpiſſus, & nutritioni minus idoneus, ſanguini aſſidue ſuppeditetur. Iſthaec omnia morbi hujuſce naturam patefaciunt; in quo ſcilicet ſanguis & humores craſſeſcunt; & motionibus ſuis vitaeque uſibus inhabiles redduntur.

Cauſae autem multiplicis hujus mali in promptu ſunt, quarum praecipuas, ut verbo dicam, corporis quietem, animique motiones, merito quis ſtatuat: illa enim efficit, ut tardius moveantur humores; ab his nunc conſiſtit fere ſanguis, nunc vehementius incitatur; in utroque vero caſu incommodum capit ſanitas.

Hactenus expoſita ad curationem ducunt, in qua tum expurgare, tum emendare humores convenit. Neque tamen violentiora cathartica hic opus ſunt; mitioribus res tutius agitur, illis praeſertim, quae incidant humores, alvumque ſimul & urinam moveant. Hujus generis ſunt *pilulae ecphracticae*, *aloetica ſaponaceis* conjuncta, *rhabarbarum*, *ſal Glauberi*, & his conſimilia.

Humorum vitium, lentor nimirum & craſſitudo, medicamentis ex *chalybe*, amaris & aromaticis adjunctis, tincturae praeſertim modo, commodiſſime tollitur. Aquae vero, quae per venas hujus metalli fluxerunt medicamentorum omnium chalybejorum ſunt efficaciſſimae.

Omnia denique corporis exercitationum genera neceſſaria ſunt: ſphaeris ligneis vel pila ludere; brachia, compreſſis utraque manu ponderibus plumbeis, frequenter agitare, eſt utiliſſimum; nihil autem aſſidua equitatione ſalubrius.

Dictis finem imponet narrantiuncula, quae riſum ſimul moveat, & inconſtantis hujus morbi indolem patefaciat. Vir quidam academicus ex nimia ignavia hac aegritudine tam graviter laborabat, ut tandem decumberet: ingraveſcente in dies morbo, mortem ſibi inſtantem denunciat; jubet igitur, ut moris eſt, campanam funebrem in templo aedibus ſuis vicino pulſari, quaſi neniam ſuam ante ſupremam vitae horam audire volens. Fuerat autem ipſe juvenis exercitii cauſa modulate campanas pulſare ſolitus. Quid jam ſequitur? Campanarum pulſator illi male rem agere videtur; ſtatim itaque iratus e lecto ſurgit, manibus ſuis modum rectius pulſandi monſtraturus; quod cum fecerat, totus ſudoribus diffluens ad lectum iterum ſe confert, mox expiraturus. Vitam autem reddidit iſte labor, & convaluit. Ita, quod obſervavit olim Hippocrates (*a*), *contraria contrariorum ſunt medicamina*.

CAPUT XVIII.

DE ANIMI AFFECTIBUS.

Affectus animi, quos *paſſiones* vulgo appellant, vehementes nimirum & immoderati, pro morbis haberi debent; nam corpori etiam varias aegritudines afferunt. Id autem quibus modis eveniat, niſi cogni-

ta

(a) Τὸ ἐναντία τὸν ἐναντίων ἐστιν ἰήματα, *de flatibus* §. 3.

ta animi natura, legeque perſpecta, qua is cum corpore in unum coeat animal, intelligi nequit, quam ſcientiam in hac vita nunquam, ut opinor, aſſequemur. Vitae enim ac naturae noſtrae ratio ita comparata eſt, ut facultates animi vireſque corporis mira quadam promptitudine exeramus; modum vero ipſumque actionum omnium principium prorſus ignoremus, cujus cognitio ad bene beateque vivendum minime neceſſaria eſſe videtur.

Effecta tamen motionum animi in machinam noſtram deprehendere facile poſſumus; nec mutationes, quas in ſanguine & humoribus ſecum ferunt, dignoſcere eſt admodum difficile. Quaedam enim ſanguinei laticis motum reprimunt, aliae incitant, nonnullae alternatim ſiſtunt & propellunt. Sic moeror & metus cohibent; iracundia, indignatio, & intemperata libido ſtimulant; conjunctae hujuſmodi perturbationes motus tardioris, aut celerioris, viciſſitudines ſubitaneas, ſe feſtinanter excipientes, procreant. Neque illud obſervare alienum eſt, quod immodici affectus, ubi diu inſederint, pro natura ſua in longos ſaepe morbos vertuntur. Ita ſolicitudo, deſperatio, moeror melancholiam faciunt; iracundia longo temt pore perſeverans in furorem & inſaniam deſinit. Attamen pro varietate temperamentorum cum animi, tum corporis, plus minuſve nos movent affectus. Quin & in eodem homine non omni tempore pariter perturbant. Uſque adeo incomprehenſibilis eſt fabricae noſtrae conſtructio.

Caeterum id longe adhuc mirabilius eſt, quod inter auctores medicos a ſolo ſagaciſſimo Aretaeo animadverſum reperio (a). Etenim non modo, ut is notat, animi affectus morbos faciunt; ſed & viciſſim ipſi morbi efficiunt πάθη, eaque interdum, quae naturae illorum contraria videantur. Exemplo apud ipſum eſt *hydrops*, *qui licet morbus ſit pernicioſiſſimus, aegrotantibus tamen tolerantiam & patientiam affert; non ex alacritate, ac bona ſpe, velut iis accidit, qui bonis rebus utuntur, ſed ex ipſa morbi natura. Cujus rei cauſa*, inquit, *exponi non poteſt, ſed mirari tantum id licet*.

Verum iſta omnia ſpirituum animalium miniſterio peraguntur; hi enim cor, motus ſanguinis inſtrumentum, minori aut majori vi contrahunt. Idcirco pulſus arteriarum has permutationes etiam in ipſo illarum ortu commoſtrant.

Priuſquam autem ad medicinam harum animi aegritudinum deveniam, monere convenit, non fruſtra, ſed optimo Supremi rerum Conditoris conſilio, inſitas nobis eſſe naturales iſtas animi commotiones; quo ſcilicet ad mala fugienda, & bona arripienda, cum impetu quodam feramur. Minime igitur noxia ſunt πάθη, niſi ubi immoderata rectae rationis imperio non reguntur, & limites aptos tranſcendunt.

Tumidos autem hos animi fluctus componere philoſophiae munus eſt. Verum, proh dolor! ad irritum hic plerumque cadunt Stoicorum praecepta; quippe qui & ipſi ſaepenumero magna loquuntur, non vivunt:

Naturam expellas furca licet, uſque recurret.

Tendandum eſt tamen, & quo difficilior ſit pugna, eo glorioſior erit victoria. Sed haec philoſophorum diſputationibus relinquenda eſſe forſan quis dicet; cum noſtrum ſit corporis medicinam promittere. At liceat mihi in re tanti momenti pauca quaedam virtutis incitamenta, quae ex ſcholis eorum didici, hiſce medicis noſtris immiſcere.

In Primis itaque ipſa natura trahimur omnes ad voluptates; quarum aliae corporis, aliae ſunt animi. Ad illas autem, maxima pars hominum proclivior eſt; harum illecebris pauci, *quos aequus amavit Jupiter*, capi volunt. Rei autem iſtius haec ratio eſſe videtur, quod vix unquam iſtis recti animi conſcientia frui licuit, & gaudium illud percipere, quod ex libidinum ſuarum moderatione viro bono enaſcitur; cupiditatum vero lenociniis dediti virtutis blandimenta nondum experti ſunt, unde ignoti nulla cupido. Paulatim igitur aſſueſcere oportet, nec oleum camino unquam eſt addendum, ſi quis tantam hanc exoptat felicitatem.

Pertinet ad hanc rem id, quod eſt apud Ciceronem a Catone dictum; acceptum vero ab Archyta Tarentino, magno in primis & praeclaro viro; *Nullam capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem, eſſe hominibus a natura datam; cujus voluptatis avidae libidines temere & effrenate ad potiundum inci-*

(a) *De cauſis & ſignis diuturnorum morborum lib.* 2. *cap.* 1.

citarentur (*a*). Et ea ſane, quae ſummus ille vir huc facientia perſequitur, prudens quiſpiam magna animi jucunditate perlegere poterit. Rectiſſime igitur apud Silium Italicum exclamat virtus:

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes:
Quantum ſola noces animi illapſa voluptas (*b*).

Verum enimvero, ſicut moderatio cupiditatum mentem confirmat; ita temperantia in victu corpus turbidis his motibus minus obnoxium reddit. Neque id tantum in iis, quibus excandeſcit ſanguis; ſed etiam in illis, qui reprimunt, locum habet; quandoquidem tranquillum rerum ſtatum conſervat.

Et hac quidem via venientibus his malis occurritur, aut ſaltem leviora fiunt. Ubi autem jam corpus occuparint, ſingula ſibi convenientia poſtulant remedia. In iis commotionibus, quae vitalium humorum curſum coercent, ſtimuli requiruntur; frena vero, ſi effervescant. Stimulant commodiſſime *gummi graveolentia*, *caſtoreum*, *ſales* & *ſpiritus volatiles ex animalibus vi ignis eliciti*, & ſimilia. Impetum autem & furorem ſanguinis refrenant, ſanguinis miſſio, alvus paulo fuſior, *nitrum*, & quaecunque refrigerantia. Optimum autem eſt conſuetudine & conſiliis uti fortium & ſapientium virorum; permultum enim in vita omni valent exempla, quibus rationi obtemperare ſenſim diſcimus, affectuſque regere, qui, niſi parent, imperant.

Qui autem prorſus ἀπαθεῖς non eſſe volunt, omneſque animi affectus quaſi nocuos ſupprimere; ii certe rerum Conditoris ter Optimi Maximi ſapientiam & bonitatem impugnant, qui in optimos uſus fabricae noſtrae illos inſeruit & quaſi intexuit, idque non ut ſingulis tantum ſalutares, ſicut jam dixi, ſed etiam ad ſocietates conjunctioneſque hominum ſervandas prorſus neceſſarios.

CAP. XIX.

DE

MORBIS MULIERUM.

SUper mulierum morbis multa dicere eo minus neceſſarium eſſe videtur, quod in his deſcribendis & ſanandis tantum operae poſuerint plurimi auctores. Pauca tamen, ne neglectui habitus videatur ſexus amabilis, breviter attingam; illis, qui virgines infeſtant, primum tribuens locum, quibus caelebs ſua vita multa affert incommoda. Ex his autem frequentiſſimum eſt.

SECTIO I.

Menſtruorum ſuppreſſio.

MEnſtruorum fluxum plerumque impedit ſanguinis lentor, quo fit, ut is canaliculos ad hunc effluxum natura comparatos, & ſpincteribus ſuis inſtructos, vi ſua aperire non poſſit. Neque enim, ut vulgaris fert opinio, arterias uteri ſingulis menſibus dirupit ſanguis; ſed per ductus ſibi proprios, naturae legibus turgeſcens, foras exit. Ab iſta humoris vitalis craſſitudine evenit, ut vultus color vividus in viridem mutatus amittatur & pereat.

Huic malo illa remedia conveniunt, quae ſanguinis circuitum promovendi, vicidoſque humores incidendi & attenuandi, vi pollent: qualia ſunt amara omnia, aromaticis conjuncta, ut etiam multa eorum, quae *ferrum* ſuppeditat. Haec autem antecedere debet ſanguinis detractio; & cathartica, adjuncto *mercurio ſexies ſublimato*. Praeſtantiſſima eſt etiam *tinctura ſacra*.

Ex omnibus autem, quae menſes movent maxime, ſingularem virtutem habere deprehendi *helleborum nigrum*; ita ut illum vix unquam ſpem feſelliſſe meminerim. Idcirco *tincturae melampodi* concleare minimum ex aquae tepefactae hauſtulo bis die aſſumi jubeo. Et illud quidem notabile obſervavi; quod quotieſcunque aut propter malam partium conformationem, aut alia quacunque de cauſa, ſine effectu datum eſſet hoc medica-

(a) *Cato Major*, *cap.* 12. (b) *Punicorum*, *Lib.* 15. *v.* 94.

mentum, ſanguis per alias vias propulſus fuerit: unde clariſſime conſtat, quanta vi ſanguinem propellendi polleat iſta medicina.

SECTIO II.

Immodicus menſium fluxus.

SEd & non raro nimis magna copia fluunt menſes. Ubi hoc accidit, cohibendum eſt profluvium. Id autem, miſſo primum ſanguine, efficiunt, cum ea, quae ſanguinem cogunt & inſpiſſant, tum, quae fervorem ejus minuunt. Ex illis praecipua ſunt, quae *vitriolum* aut *alumen* participant; in primis *tinctura roſarum*; aut *pulvis* ex *aluminis rupei* portionibus tribus, & *ſanguinis dragonis* parte una, ſimul liquatis, confectus. Calorem vero ſanguinis, & fluxum hinc provenientem, quibuſcumque aliis remediis potentius lenit *cortex Peruvianus*.

SECTIO III.

Fluores albi Mulierum.

FŒdus morbus eſt terra iſta colluvies, quae colore albo ex foeminarum naturalibus interdum profluit. Hunc autem humorem modo profundunt canales uterini; modo ex glandulis, quibus conſita vagina eſt, erumpit. In illo caſu, fluentibus menſibus ſupprimitur profluvium; in hoc, etiam cum in menſtruis eſt mulier, perſtat adhuc, & vel uterum gerentem excruciat.

In utraque mali ſpecie corporis habitus praecipue habenda eſt ratio; ab illius enim vitio tam hinc, quam iſte morbus originem trahit; ubi autem in ipſa vagina ſedem fixit, externa etiam opus ſunt.

Vomitum igitur plerumque primo ciere oportet, *vino* praeſertim *ipecacoanche*. Purgantia brevibus intervallis data conveniunt, in primis *rhabarbarum*: quod vel per ſe, adjectis quibuſdam aromaticis, additoque interdum, ubi res poſtulat, *mercurii ſexies ſublimati* aliquanto; vel, quod nomine *tincturae rhabarbari vinoſae* proſtat, frequenter aſſumi poterit. Quinetiam laxiores corporis fibrillae adſtringentia deſiderant, ea in primis, quibus *ferrum* ineſt.

Quod ad externa autem, quae in vaginae vitio neceſſaria fore dixi; ea minime adhibere oportet, quae nimia vi peccantem humorem reprimunt ac repellunt; illa tantum ſunt ex uſu, quae membranae hujus ulcuſcula detergent ſimul & ſanant. Ipſe eventu ſaepe feliciſſimo foeminam laborantem, aut *aquam aluminoſam Bateanam*, aut *aquam vitriolicam camphoratam* (adjecto alterutri *mellis Aegyptiaci* aliquantulo) per ſyringem hujuſmodi uſibus aptam, parva quantitate, at repetitis vicibus, infundere juſſi. Neque nihil ad ſanationem confert vaginam ſubinde ſuffumigare; ſuperinjecto nimirum prunis pulvere ex *thure*, *maſtiche*, *ſuccino*, & *cinnabari antimonii* ita commiſtis, ut ſingulorum aequalis ſit portio.

SECTIO IV.

De Morbo Hyſterico.

NUllus morbus aeque foeminas vexat, atque *affectio hyſterica*. Haec puellarum, nuptarum, viduarumque communis eſt; & ſi non magnum periculum, terrorem tamen non levem ſaepiſſime affert; interdum etiam ita exanimat, ut tanquam comitialis morbus proſternat.

Ubi incidit in eam mulier, ſi ſatis virium eſt, ſanguis miſſus adjuvat, ſi parum eſt, cucurbitulae tamen defigendae ſunt inguinibus aut coxis. Sin autem diutius jacet, extinctum ex lucerna linamentum, aut aliud quiddam foetidi odoris, naribus admovere oportet, quo excitetur. Aquae frigidae perfuſio idem efficit. Inter haec coxas & poplites perfricare convenit.

Deinde, ubi ad ſe rediit aegra, ne caſus idem revertatur, providendum eſt. Menſtrua, ſi ſolito minus fluxerint, proritanda ſunt. *Gummi graveolentia* multum proſunt, item parata ex *ferro* medicamenta. Corporis etiam exercitationes conveniunt. At facienda plerumque eſt animi commotionibus medicina.

Sapientiſſime denique Hippocrates pro medico maritum eſſe voluit. Ille enim, poſtquam *caſtoreum*, aliaque plurima juvantia, propoſuerat; *Optimum eſſe, ut mulier in utero*

ro

ro geſtet, & virgo cum viro ſimul habitet, decernit (*a*).

SECTIO V.

De Partu difficili.

HUmanitas nos admonet, ut mulieribus difficulter parientibus; ſi quid auxilii praeter manus operam præſtari poſſit, ſuccuratur. Quanquam enim humani generis propagationi ita conſuluerit provida natura, ut, licet magno cum dolore ſine multo certe periculo ex utero exeat foetus; fit tamen interdum, ut gravi cum labore in lucem protrahatur infans. Id multas ob cauſas evenit, quibus obviam ire norunt obſtetrices. At unico in caſu quid faciendum ſit, ſaepe neſciunt; is eſt, cum irritis conatibus, colicorum torminum aemulis, diu parturit foemina. Hoc ubi fit, *opii* granum unum aut alterum aſſumere convenit; cujus ope dolores iſti, qui partum impediunt magis quam promovent, conquieſcunt, & ſublevata rem ſuam ſtrenue agit natura. Eſt etiam illud hic alicujus momenti, quod medicamenti anodyni vis, ut alias omnes partes conſtrictas, ita etiam uterinas laxat, aperitque.

CAPUT XX.

DE MORBIS VENEREIS.

LUes venerea, magnum illud ſcortatorum flagellum, opprobrium foret medicorum, ni feliciter illi remedium inventum fuiſſet *argentum vivum*.

Morbi naturam, hiſtoriam, & progreſſus ita diſerte expoſuit doctiſſimus Aſtruccius (*b*), ut nihil amplius ad ejus cognitionem requiri poſſit. Modum autem, quo vires ſuas in corpore exerit ponderoſus hic liquor, ipſe olim ſatis, ut opinor, adjunctis etiam cautionibus aliquot neceſſariis, dilucide explicui (*c*). Illud igitur ſolum reſtat, ut ſuper incommodo uno & altero, quae morbo huic, partim ex ipſius natura, partim ex mala curatione ſuperveniunt, monita quaedam ſuggeram.

Et primo quidem infeſtus caſus eſt jugis iſta, quae gonorrhoeam interdum excipit, humoris mucoſi deſtillatio. Pertinax id profluvium tam ex veſiculis ſeminalibus, quam ex glandulis, *proſtatis* dictis, provenit, corroſis vi morbi canaliculorum oribus; illoſque maxime fatigat, qui ad expellendum virus conceptum fortioribus catharticis nimis diu corpus debilitarunt.

Balſamicis partes laxatas confirmare nituntur medici, at fruſtra plerumque ſunt. Mihi multis jam annis in uſu fuit hujuſmodi tinctura: *Rhabarbari* drachmae tres, *gummi guajaci* ſeſquidrachma, *laccae* drachma una, *cantharidum contuſarum* drachmae duae, *coccinellae* ſemidrachma, in ſpiritus vini rectificati ſeſquilibra infunduntur, & fit colatura. Hanc efficaciſſimam eſſe ſemper expertus ſum, & medicis chirurgiſque quamplurimis commendavi. Guttae autem triginta, ad quinquaginta uſque (quantum ſcilicet ſine urinae difficultatis metu ferri poterit) mane, & hora decubitus, ex aquae tepefactae hauſtulo aſſumuntur.

Non raro autem, morbo per longum ſalivae fluxum depulſo, febris hectica corpus debilitatum occupat. Ubi id accidit, decoctum ex *lignis guaiaci* & *ſaſſafras*, *radicibus*que *Chinae* & *ſarſaparillae*, adjuncto *glycyrrhizae*, *ſeminum*que *coriandri* aliquantulo, copioſe bibendum eſt, lacte commiſto. In decocti autem hujus uſu, uſquequo refectae fuerint vires, perſiſtere oportet.

Denique non alienum erit monuiſſe, tempus proritandae ſalivae, quo noxii humores expellantur, maxime opportunum id eſſe, cum aut puſtulae per corpus, aut ulcuſcula in ore praeſertim & faucibus, jam aliquandiu proruperint; neque tamen oſſa, quibus proxime inſtat caries, corrumpi coeperint. Metus enim eſt, ne lamellae oſſeae, putredini jam obnoxiae, ponderoſa globulorum metallicorum vi diffringantur. Idcirco uſu medicamenti parciori hanc curam longius protrahere, quam feſtinare, ſatius eſt.

(a) Ἄριστον δὲ ἐν γαστρὶ ἔχειν. τὴν δὲ παρθένον πείθειν ξυνοικέειν ἀνδρί. *De morbis mulierum*, *Lib.* II. *ſect.* 19.

(b) *De morbis venereis. Lutetiæ Pariſiorum*, 1740.

(c) *Expoſ. de Venenis*, 1748. *Tent.* 4.

CAPUT XXI.

DE MORBIS,

Qui aliis ſuperveniunt, aut in alios mutantur.

PLurimum confert cum ad medendi rationem, tum ad medici honorem, quinam morbi aliis ultro ſuperveniant, aut in alios mutentur, cognoſcere. Horum igitur praecipuos quoſdam breviter commemorabo.

Diſputant autem inter ſe auctores, quarumnam cauſarum vi iſtiuſmodi mutationes eveniant. Eae autem cauſae pro morborum natura ſunt diverſae. Nonnunquam enim partium affectarum conſortio, & quadam cognatione cum aliis, ex laeſa in ſanam il labitur malum. Saepius partium vicinia damnum latius trahit. Saepiſſime vero ipſe morbus eſt ejus conditionis, ut vel per modum ſolutionis, vel corporis corruptionem, in alium deſinat. Exempla nonnulla ex multis, quae in promptu ſunt, producam.

Capitis & ventriculi conſenſus facit, ut hoc pituita gravato, illud vertigine laboret; & contra, ut, repleto aut laeſo cerebro, ventriculus aegritudine corripiatur. Pari cognatione jecinoris & inteſtinorum fit, ut, colicis doloribus haec torquentibus, icterus in illo mox oriatur; cum ex adverſo icterus interdum bilem flavam in alvum effundit, & tormina excitat. Uteri quoque cum multis partibus eſt conſortium, adeo ut Hippocrates *hunc eſſe omnium in mulieribus morborum cauſam* (a) dixerit. Hae autem partes praeſertim ſunt caput, pulmo, & ſtomachus; συμπαθείας vero inſtrumenta ſunt ſpiritus animales, qui animi maxime affectionibus commoti, vel a vulva male affecta corpus afficiunt, vel noxas corporis cum illa communicant.

Partium autem vicinia, quam alteram cauſam morborum ſucceſſionis propoſui, in inflammationibus praecipue locum habet, humore in partem adjacentem translato. Ita pleuritis in peripneumoniam tranſit; difficultati urinae, quam στραγγουρίαν Graeci vocant, ileus ſupervenit; renum malae affectiones lumbos in conjunctionem trahunt, lumborumque dolores cum renibus communicantur.

Morborum denique, qui aliis ſuperveniunt, aut in alios mutantur, tertiam cauſam naturae ipſorum tribui; quae, cum ſit multiplex, multis etiam modis effectuum ſortitur. Arthritis interdum in dolorem colicum tranſit, dolorque colicus in arthritidem. Varices doloribus articulorem ſupervenientes liberationem morbi promittunt. Apoplexiae ſuccedit paralyſis; & nervorum, nunc in toto corpore, nunc in aliqua tantum parte, reſolutio morbum ſolvit. Sin autem a membris jam reſolutis ad caput revertatur malum, mors plerumque pro medico eſt. Difficultas ſpirandi, quae diu moleſta fuit, hydropem in pectore pariter ac abdomine progignit. Hydrops inter cutem ne in aſcitem deſinat, magnopere timendum eſt. Melancholiae etiam, quae longo tempore duravit, non raro ſupervenit morbus comitialis, ſalutiſque ſpem omnem adimit.

Multa, quae huc faciunt, collegit Hippocrates; & ex illis divinam artem bonum aut malum eventum praeſagendi ſapienter monſtravit. Ut finem igitur faciam, non ab re erit monere, etſi cauſae, quas dixi, ſingulae virtutem ſuam haud raro exerant; ut multae tamen ſimul, junctis viribus, morborum cum ſucceſſiones, tum mutationes efficiant, plerumque evenire.

CONCLUSIO.

DE VITÆ REGIMINE.

A Propoſito, ut opinor, nequaquam alienum erit, ſi illis, quae aegris facienda propoſui, nonnulla etiam, quae ſanis per omnes aetates conveniunt, concluſionis loco breviter adjungam. Etſi hunc ſane laborem ſapientiſſimi Celſi praecepta ſupervacuum fere reddidiſſe videantur (b): quae, diſcriminis, quod coelum diverſum, diverſaque hodie ac olim vitae conſuetudo facit, habita ratione quiſquis ſervaverit; is pro-

(a) *De morbis Mulierum Lib.* II.
(b) *Lib.* I. *cap.* I. 2. & 3.

profecto, ut verbis ipſius utar, *in ſecunda valetudine adverſae praeſidia non conſumet*.

Ita enim comparatum eſt corpus noſtrum, ut mutationes aliquas & aberrationes ſine magna injuria facile ferre poſſit; quod ni ita eſſet, detrimentum perpetuo fere levibus de cauſis fabrica noſtra caperet. Id commodum praeſtant mirae iſtae interiorum partium communicationes, quibus uni male affectae altera confeſtim opem fert. Ita repleto ultra modum corpore, per has aut illas vias ſponte naturae fiunt interdum exinanitiones. Et ob hanc cauſam morbi ab inanitione, quam a repletione, orti periculoſiores eſſe ſolent; quoniam demere, quam addere, materiam expeditius poſſumus. Idcirco etiam, quamvis temperantia omnibus ſit utilis; medici tamen antiqui auctores fuerunt, ut qui bene valeret, & ſuae ſpontis eſſet, genio nonnunquam indulgens tam cibum, quam potum, ſolito abundantius aſſumeret. Tutior autem eſt in potione, quam in eſca, intemperantia. Caeterum qui expletus eſt, facilius concoquet, ſi quidquid aſſumpſit, potione aquae frigidae includat; cui etiam, praeſertim ſi condimenta cum cibis devorata fuerint, *ſuccum limoniorum*, vel *elixir vitrioli Mynſiehti*, adjungere proderit. Tum paulisper invigilet, deinde dormiat. Si quibus vero de cauſis futura eſt inedia, labor omnis vitari debet. Neque ex ſatietate fames, neque ex fame ſatietas idonea eſt. At neque ex nimio labore ſubitum otium, neque ex otio nimio labor ſubitus, ſine gravi erit noxa, ſenſim igitur quaecunque mutationes faciendae ſunt.

Varium etiam habere oportet vitae genus; modo ruri eſſe, modo in urbe, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere; ſiquidem ignavia corpus habetat, labor firmat. At modus in his omnibus ſervandus eſt, neque multum fatigari convenit: frangit enim vires, & corpus ſolvit crebra & vehemens exercitatio; moderata vero ſemper cibum antecedere debet. Ex omnibus autem exercitationis generibus commodiſſima eſt equitatio; aut, ſi imbecillitas id non ſinit, vectio in curru, vel ſaltem in lectica: deinde arma, pila, curſus, ambulatio. Verum id incommodi fert ſenectus, ut corpori exercendo vires vix ſufficiant, cum tamen ſanitas id maxime requirit. Fricationes igitur in hac aetate ſuis manibus, ſi id fieri poteſt; ſin minus, opera ſervorum neceſſariae ſunt: quae verriculis ex ſetis confectis optime peraguntur.

Dulce curarum levamen, & virium reſtitutio, ſomnus eſt; qui, quod in vigilia laboribus diſperditur, quiete reparat, reficitque. At neque is immodicus juvat; ſenſus enim habetat, & vitae officiis minus idoneos reddit. Tempus autem ſomno opportunum nox eſt, in qua tenebrae & ſilentia illum invitant & conciliant; diurnus minus recreat. Quod ſi plebem ſervare convenit; multo magis viros literarum ſtudioſos tenere oportet, quorum mens, aeque ac corpus, injuriis plus patet.

Pueris alimentum mollius & lenius, juvenibus valentius congruit. Senes de cibo demere, & potioni addere debent. Aliquid tamen conſuetudini dandum eſt, in frigidioribus praeſertim regionibus, qualis eſt noſtra; nam in his ut acrior ciborum appetentia, ita facilior eſt concoctio.

Concubitum, cum jam aetas & robur ſtimulant, neque nimis concupiſcendum, neque nimis pertimeſcendum eſſe, conſentiunt medici. Senem ſua monet frigiditas, ne pro voluptate ingratum laborem trahat, & fata ſua abrumpat. Turpiſſimum autem eſt & maxime noxium, vi imaginandi quemquam ſe ad venerem ficta perſona incendere. Illud denique omnes ſemper cogitare oportet, quod tum hanc, tum alias quaſcunque,

Voluptates commendat rarior uſus.

Ipſe denique, re bene perpenſa, ſaepenumero mecum ad hunc modum reputare ſoleo. Utcunque voluptates; opes, potentia, caeteraque, quae fortunae dicuntur bona, nimis inaequaliter hominibus diſtributa eſſe videantur; ſi tamen in univerſis rem ſpectemus, illorum, quae felicitatem faciunt, major deprehendetur aequalitas, quam vulgo exiſtimatur. Communibus vitae utilitatibus commodius ut plurimum fruuntur humilis ordinis homines, quam illuſtres, & qui primum locum obtinent. Victum ſalubrem ſuppeditat labor modicus, qui & cibi appetentiam & concoctionem juvat; hinc jucundus ſomnus feſſa membra re-

recreat, neque curae edaces abrumpunt; laeta proles domum replet, ſuccreſcentibus paterno labori robuſtis filiis. Quantum autem hiſce cedunt cum aerumnis conjunctae plerorumque opulentorum inanes deliciae! Indiget illorum ſtomachus, ut veſci poſſint. ciborum condimentis, quae ſanguinem calefaciunt & corrumpunt, corpuſque morbis opportunum reddunt; diurna crapula nocturnam quietem interturbat; in poenam vitiorum nati, grande familiarum decus & columen, culpa parentum morbos in utero materno contrahunt, quibuſcum per totam vitam conflictati vix ad languidam ſenectutem perducuntur; anxietatibus quoque de honoribus & ſplendidis titulis conſequendis ſaepe diſcruciantur, ita ut oblectationem, quam ex praeſentibus bonis percipere poſſent, vana ſpe plura adipiſcendi non raro amittant. Horum igitur

Quis non optaret pauperrimus eſſe bonorum?

Quin & omnibus hiſce incommodis illud accedit, quod lautitiis onuſtum corpus animum quoque praegravat, & ad libidines incendit; cum ex adverſo tenuis humiliorum victus neque corporis vires opprimat, neque vitiis alimenta ſuppeditet. Quare, niſi opes comitetur prudentia,

Vivitur exiguo melius.

Neque injuſta noverca, ſed omnino utilitatum provida & benefica mater, cenſenda eſt natura.

In ſumma igitur, ſapientis eſt in omni vita

Servare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi (*a*).

Quiſquis autem de natura humana recte judicium tulerit, eam ita conſtitutam eſſe inveniet, ut, quemadmodum alii aliis ratione & ingenio longe praeſtamus, & tamen omnibus, quod dolendum, parvum quidpiam eſt ingenitum; ſic & corpora ſaniſſima vitio aliquo inſigni raro non laborent; quod ut futuri interitus ſeminium nos brevis aevi memores faciat, monſtretque appoſite ad hanc rem olim dixiſſe Lucretium,

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu (*b*);

neque *ἀπροσδιόνυσον* fuiſſe effatum illud Hippocratis (*c*), *Ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσός ἐστι*.

(a) *Lucan. Lib.* II. *verſ.* 381. (b) *Lib. III. v.* 984. (c) *Epiſt. ad Damaget.*

FINIS.

CA-

CAPITUM
ARGUMENTA.

CAP.	PAG.
INTRODUCTIO. *De corpore humano.*	5
I. *De febribus.*	7
SECT. I. De febribus generatim.	7
SECT. II. De febris ſolutionibus.	7
SECT. III. De febribus Continuis.	8
SECT. IV. De febri cum exanthematibus conjuncta.	8
Febris miliaris.	8
SECT. V. Febris petechialis.	10
SECT. VI. Eryſipelas.	10
SECT. VII. De febribus ſingularibus.	11
Pleuritis.	11
SECT. VIII. De febribus intermittentibus.	11
SECT. IX. De febribus vulgaribus, ſive publice graſſantibus.	12
SECT. X. De febribus lentis, ſive Hecticis.	13
II. *De morbis capitis.*	15
SECT. I. Apoplexia.	25
SECT. II. Paralyſis.	16
Chorea Sancti Viti.	16
SECT. III. Epilepſia & Vertigo.	17
Tetanus.	17
III. *De Inſania.*	17
IV. *De Angina.*	22
V. *De morbis pectoris.*	23
De Aſthmate.	23
VI. *De morbis cordis.*	24
VII. *De morbis ventriculi, & inteſtinorum.*	24
SECT. I. Alvi Fluxus.	25
Dyſenteria.	25
SECT. II. De Ileo.	25
SECT. III. De Lumbricis.	26
VIII. *De hydrope.*	27
IX. *De jecinoris morbis.*	33
SECT. I. Icterus.	43
SECT. II. Diabetes.	35
X. *De morbis renum & veſicae.*	35
XI. *De morbis oculorum.*	38
SECT. I. De gutta ſerena.	38
SECT. II. De ſuffuſione, ſive cataracta.	39
SECT. III. De Albugine oculi.	40
Odorum vires.	40
XII. *De podagra.*	41
XIII. *De doloribus articulorum.*	42
XVI. *De morbis cutis.*	43
XV. *De ſtrumis.*	44
XVI. *De ſcorbuto.*	45

XVII. *De malo hypochondriaco.* 46
XVIII. *De animi affectibus.* 47
XIX. *De morbis mulierum.* 49
Sect. i. Menſtruorum ſuppreſſio. 49
Sect. ii. Immodicus menſium fluxus. 50
Sect. iii. Fluores albi mulierum. 50
Sect. iv. De morbo hyſterico. 50
Sect. v. De partu difficili. 51
XX. *De morbis venereis.* 51
XXI. *De morbis, qui aliis ſuperveni unt, aut in alios mutantur.* 52
CONCLUSIO, De vitae regimine. 52

FINIS INDEX.

Coll. compl. a.
7 tav.